

RESPONSIUM AD OBIECTIONES ADUERSUS CONCORDIAM LIBERI ARBITRII...

Diego Alvarez







RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORDIAM LIBERI ARBITRII

CVM DIVINA PRÆSCIENTIA, prouidentia, ac prædestinatione,

Atque cum efficacia prauenientis gratiæ, prout à Sancto THOMA, & Thomistis defenditur, & explicatur.

Liber Quintus, & Sextus.

AVCTORE

F. DIDACO ALVAREZ METINENSI, Archiepiscopo Tranensi, & Salpensi, Sacræ Theologiæ Mag. ex Ord. Prædicatorum assumpto.



TRANI, Typis Laurentij Valerij, MDCXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.



APPROBATIO ADM. R. P.

FR. DAMIANI ALVAREZ

SACRAE THEOL. MAGISTRI.

EGo Fr. Damianus Aluarez Sacræ Theologiæ Magister Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, ex speciali commissione Curiæ Archiepiscopalis Tranensis librum Quintum, & Sextum, cuius titulus est, *Responsionum ad obiectiones aduersus concordiam liberi arbitrij, &c.* auctore Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Domino Fr. Didaco Aluarez Archiepiscopo Tranensi, & Salpensi ex Ordine Prędicatorum assumpto, attentissime legi, quod mihi opus catholicum, pium, lectuq; dignissimum visum est. In quo Auctor roborat, atque confirmat omnia, quæ in libro suo de Auxilijs elegantissime tractauerat, & eandem concordiam validissimis argumentis defendit: respondetq; obiectionibus in contrarium, in quibus Quinto, & Sexto libro nihil inueni Ortodoxæ Fidei dissonum: & ideò censeo dignissimos esse, quod Typis excussi in lucem prodeant ad communem vtilitatem scholasticorum. Datum Trani die 4. Martij Anni 1624.

Fr. Damianus Aluarez Magister.



APPROBATIO ADM. R. P.

F. BARTHOLOMAEI DE BARVLO


SACRAE THEOL. MAGISTRI.

EX Commissione Illustrissimi, & Excellentissimi Domini Proregis Regni Neapolitani vidi, & attentè legi Quintum, & Sextum librum *Responsionum ad obiectiones aduersus concordiam gratiæ cum libero arbitrio, &c.* à Reuerendissimo Domino Fr. Didaco Aluarez Archiepiscopo Tranensi, & Salpensi compositos, & nihil inueni quod Regiæ Iurisdictioni sit contrarium, vel Sacræ Doctrinæ, vel bonis moribus. Imò omnia Doctoris Angelici, Diui Augustini, aliorumq; Patrum dictis consona. Ideò hoc opus præclarum, vt Typis mandetur, & in lucem prodeat, merito censeo. Datum Baruli die 3. Aprilis 1624.

Fr. Bartholomæus de Barulo Magister Ord. Præd.

IMPRIMATVR.

D. DONATVS ANTONIVS THAVE' V. I. D.
ARCHIPRESBITER, ET VICARIVS
GENERALIS TRANEN.



IN-

INDEX CAPITVLORVM LIBRI QVINTI.




LIBRI SEXTI.

omnem



RE-



RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORDIAM LIBERI ARBITRII cum diuina præscientia, prouidentia, ac prædestinatione,

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, pro vt à S. Thoma, & Thomistis defenditur, & explicatur.

LIBER QVINTVS.

In quo agitur de Viribus naturalibus creati arbitrij tũ ante receptionẽ gratia: tũ in ipsa receptione gratia: tum etiam post gratia, tam habitualis, quam actualis receptionem.

PROOEMIVM.



IN quatuor libris prioribus mearum Responsionum illis tantum obiectionibus satisfacere curaui, quibus potissima fundamenta concordiæ gratiæ, & liberi arbitrij, prout à Sanctis Augustino, & Thoma, ac vtriusque discipulis explicatur, & defenditur. In hoc autem libro necessarium duxi alijs obiectionibus occurrere; quibus alię plures assertiones in libro meo de Auxilijs stabilitæ confutantur, vt veritas ipsa clarior appareat. Neque enim ægrè fero: sed potius gratum habeo, quod mea scripta à Doctioribus expendantur, & impugnentur, eadem sinceritate animi, & desiderio inquirendæ veritatis, quo

fuerunt scripta, & Typis mandata, vt quandiu vixero emendare possim, & corriggere; si quę inuenta fuerint à veritate deuiare: sin autem; gratum etiam mihi est argumenta Doctiorum, qui diuersa sentiũt, in medium proferantur, vt illis etiam, cum mutua charitate, qua pro veritate decertatur, respondere valeam. Hoc charitatis affectu doctissimus, & pijssimus Caietanus libros posteriorum, quos scripsit dum esset iuuenis his verbis conclusit. Et sic fit præsentis operis finis, in quo si qua falsa sunt omnes cuiuscumque ordinis viros rogo, vt (passionibus reiectis) dum superstes sum, aut verbis, aut scriptis arguant: gratissimum enim mihi erit ab errore reuocatum esse, & opiniones meliores amplecti. Si autem veritati consona depræhendent ob Diui Thomæ gloriam, pro qua hoc onus suscepimus dilatent. Gratiasque mecum agant Saluatori nostro Iesu Christo, qui opus hoc consumari concessit.]

Vt autem ordinatè procedamus, & distincte, detegendum est in primis, in quo error Pelagij, & aliorum Pelagianorum consistat, & Massiliensium similiter, vt eo cognito facile possit quilibet Theologus ab eo declinare, & veritatem Catholicam contra illos ab Ecclesia definitam amplecti.

Secundo, agendũ est, de viribus naturalibus creati arbitrij præsertim in natura lapsa, ante receptionẽ gratię.

Tertio, de actibus liberi arbitrij, quibus adiutus se disponit ad receptionem habitualis gratiæ.

Quarto; explicandum, quibus actibus post receptionem gratiæ se disponat vltimate ad eius augmentum, & qualiter idem augmentum mereamur.

Circa primum tria sunt consideranda.

Primo. Vtrũ Pelagius admiserit aliquã do generalẽ Dei concursum simultaneum, quo simul, & coinstentaneè cum causis secundis naturalibus, quotiescumque ex necessitate naturæ, vel per libertatem arbitrij operantur, aut voluerint operari, concurrat.

Secundo, vtrum Pelagius aliquando concesserit interiorem gratiam naturę superadditam, qua Deus tribuit nobis, vt possimus bene operari.

Tertio. In quo error Massiliensium consistat, & quare Semipelagiani dicantur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Vtrum Pelagius admiserit aliquando generalem Dei concursum simultaneum, quo simul, & coinstentanee cum causis secundis naturalibus concurrat quotiescumque ex necessitate naturæ, vel per libertatem arbitrij operantur, aut voluerint operari.



VIDAM dixerunt, Pelagium nunquã admisisse huiusmodi concursum generalem, etiam simultaneum: sed asseruisse, omnes causas secundas, siue naturales, siue liberas, postquam semel à Deo sunt productæ posse, à seipsis, absque aliquo Dei concursu generali, etiam simultaneo suas producere operationes. Probant hoc sequentibus argumentis. I. *P. Suarez Prolog. meno. 5. de grat. cap 4 num. 7.*

Primo. Auctoritaté antiquorum Patrum, qui expresse id asserunt, vel indicant. Etenim Paulus Orosius Apolog. de libero arbitrio circa medium ait: Pelagium constituisse gratiam in solo libero arbitrio generaliter hominibus concesso: & de alijs causis diuisse, Deum custodire naturam, quam semel benè disposuit, & elementarijs cursibus constitutis, inde facere Deum, quæ facit. Citatur etiam Hieronymus qui in epistola ad Ctesiphontem his verbis refert Pelagij errorem: *Dei est gratia, quod propriæ nos condidit voluntatis, & libero arbitrio contenti sumus, neque vltra eius indigemus auxilio, ne si indiguerimus, liberum frangatur arbitrium*. Et infra dicit: *Dei potentiæ factos se esse iactant, qui nullius ope indigent*. Et iterum ait: Pelagianos ita posuisse gratiam in libero arbitrio; vt non per singula opera Dei nitamur, & rogamur auxilio. Vbi nomine auxilij, etiam generalem concursum compræhendere videtur, ac subinde asserere, illum etiam Pelagium negasse. Nam statim inducit Pelagium sacrilegè (vt ipse ait) interrogantem, *Nunquid si voluero*

Paulus Orosius.

Hieronymus.

curuare digitum, mouere manum, ambulare &c. semper mihi auxilium Dei erit necessarium? Similem interrogationem habet lib. 1. contra Pelag. circa principium, cui cum Atticus, idest Hieronymus respondisset: *Iuxta meum sensum non posse, perspicuum est*, scilicet, hominem mouere manum, aut calamum temperare sine adiutorio Dei. Replicat Critobul. idest Pelagius: *Si absque Deo, & nisi per singula ille me adiuuerit, nihil possum agere, nec pro bonis me operibus iuste coronabit, neque affliget pro malis, sed in vtroque suũ, vel recipiet, vel damnabit auxilium.* Vbi clare loquitur de auxilio bonis, & malis operibus communi, quod non est nisi generalis concursus. Obijciente autem Attico. Non ita esse nobis datum liberum arbitrium, vt per singula opera Dei tollatur adminiculum. Respondet Critobol. *Non tollitur Dei adiutorium cum creaturæ in semel dati liberi arbitrij gratia conseruentur.* Ex quibus sanè verbis satis constat, negare Pelagium omnem alium Dei concursum præter liberæ voluntatis conseruationem.

Hieron.

II. Idem confirmat auctoritate Augustini libro 4. contra Iulianum cap. 3. circa finem; vbi cum dixisset, misericordiam Dei per seipsam naturali compassione bonam esse, illo tamen bono male vti, qui infideliter vtitur, & hoc bonum male facere, qui infideliter facit; Adiungit: *Etiam ipsa opera quæ faciunt infideles non ipsorum esse, sed illius qui bene vtitur malis: ipsorum autem esse peccata, qui bona male faciunt.* Talia autem opera, vt bona sunt nõ sunt à Deo, nisi per generale auxilium, seù concursum. Ergo sentit Augustinus, Pelagianos negasse, talia opera esse à Deo; ac subinde negasse generalem Dei concursum. Et circa principium eiusdē capitis agens de naturalibus virtutibus, & facultatibus bonis dicit ad Iulianum: *Quanto satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris, cuius occulto iuditio alij tardissimi ingeni, & ad intelligendum quodāmodo plumbei, alij obliuiosi, alij autem memoresquè nascuntur,* & cætera quæ prosequitur, sic concludit: *Quanto ergo tollerabilius illas, quas dicis in impijs esse virtutes diuino muneri potius; quam eorum tribueres voluntati?* Priora

Aug. lib 4 con. Iulian c. 3. circa finem.

ra uero bona naturæ non alia ratione sunt dona Dei, nisi propter generalem concursum. Ergo saltem hoc modo vult Augustinus concludere contra Iulianum, virtutes morales esse dona Dei. Ergo supponit, Iulianum negasse, hoc etiam modo esse à Deo: sed à nostra sola voluntate.

Confirmatur ex eodem Augustino Epistola 130. dicente: *Licet Polemones hortatu Xenocratis à vitio libidinis reuocatus non Deo fuerit acquisitus, sed tantum à dominatu luxuriæ liberatus; tamen nè ipsum quidem, quod in eo factum est humano operi tribuerim, sed diuino. Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & si quid eiusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore, ac perfectore naturæ, quanto magis animi dona donare nullus alius potest.* Hęc autem corporis bona à Deo solum sunt per generalem concursum. Ergo hoc saltem vult concedi Augustinus de bonis moribus naturalibus. Ergo è conuerso hoc etiam videntur negasse Pelagiani, dixisseque, Deum esse factorem humanæ naturæ, non vero perfectorem. Et hoc etiam indicat libro de Gratia Christi cap. 3. & 6. vbi refert Pelag. solam possibilitatem habere nos à Deo, non voluntatem, vel actionem, quia non credebat, Deum esse cooperatorem nobiscum. Si enim admisisset concursum Dei generalem, necessareo teneretur fateri, nos habere actionem bonam ex Deo. III. *Aug. epist. 103.* *Aug. lib. de gratia Christi c 3. & 6.*

Secundo idem probat ratione. Nam hoc est consentaneum generalibus verbis Pelagij, & aperte sequitur ex fundamento erroris eius. Vtrumque ostenditur ex decimo eius articulo damnato in Concilio Palæstino: *Non est liberum arbitrinm, si Dei indiget auxilio.* Hæc enim verba absoluta, & indefinita liberum arbitrium, tam in rebus diuinis, quam in moralibus, & naturalibus operans comprehendunt; imò tam bene, quam male operans: ergo in omnibus negauit necessitatem auxilij diuini, & nomine auxilij, omnem Dei influxum, omnemque cooperationem; etiam per generalem concursum comprehendit; quia in naturalibus, & præsertim in malis, nul- IV. Palæstini Concil.

lum

nullum aliud auxilium creditur necessarium. Vnde cum in eodē articulo subiungit: *Quoniam in propria volūtate habet, vnusquisque facere, vel non facere*, exclusiuam notam, sub intellexisse videatur. Vtique in sola propria voluntate, quæ in suo velle libero non potest ab alio dependere: nam hic sensus necessarius est, vt ex illa causali propositione altera pars inferatur.

V. Tertio probat Pelagium etiam negasse concursum generalem, quo Deus cum causis secundis merè naturalibus concurrat concursu simultaneo ad earum operationes, nam eadem ratio est de illis, & causis liberis. Si enim voluntas creata; etiam si sit causa secunda, non pendet in sua operatione ab actuali influxu causæ primæ in suam actionem: recte sequitur, causam secundam habentem proximam virtutem sufficientem in suo ordine ad suum effectum, posse illum efficere sine actuali concursu causæ primæ in eandem actionem. Quia licet voluntas propter vsum libertatis, putetur magis indigere hac exemptione (vt sic dicam) si tamen illā habet, non est; quia est libera, sed quia virtutem habet sufficientem ad suam actionem. Vnde non minus in naturalibus actibus, seu necessarijs, quam liberis illam habebit; ergo etiam aliæ causę secundę, licet naturaliter agant; quia virtutem proximam sufficientem habent in suo ordine; eandem indepēdentiam habebunt, ergo verisimile est; ita de omnibus causis secundis Pelagium sensisse, earum nimirum actiones, nō esse immediate à Deo: sed tantum mediate: quatenus dedit virtutem agendi, & illam conseruat.

V I. Quarto arguit, nam si Pelagius crederet ad volendū esse necessarium Deum saltem, vt coagentem voluntati: non posset absolute dicere Deo: *Recede à me*; aut: *Non habeo te necessarium*; aut: *Quid rursum te ingeris?* & similia, quæ refert Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, ergo negauit necessitatem cuiuscumque cōcursus Dei, quo immediate cum omnibus causis secundis concurrat ad earum effectus.

Hieron.

Quinto, nam decima propositio in Concilio Palestino contra Pelagium definita est: *Liberum esse arbitrium, etiam si diuino indigeat adiutorio*. Illa enim vni-

vniuersalis est,& cum proportione ad naturale, & supernaturale adiutorium in diuersis operibus liberis applicanda: tum quia verba generalia sunt: tum etiam quia propositio lata est in sensu contrario, & proportionato ad refellendam propositionem Pelagij; ergo Pelagius quodcumque Dei adiutorium, siue sit supernaturale, siue naturale semper negauit; ergo nunquam admisit concursum Dei generalem ad actus naturalis ordinis, siue sint liberi, siue necessarij. S.Hieron.

Sexto, nam, vt refert Hieronymus Dialog. 1. contra Pelagium, sic idem Pelagius argumentabatur: *Si in omnibus ille, cooperatur, non est meum, sed eius qui adiuuat, &c.* Vbi verbum, *cooperatur*, auxilium, siue concursum simultaneum indicat. Ergo negauit Pelagius eiusmodi concursum Dei esse necessarium, vt voluntas operatur. V I I.

Septimo, & vltimo, idem probat omnibus argumentis disput. 18. de Auxilijs adductis ad probandum concursum Dei generalem non esse immediatum eius influxum in causas secundas: sed influxum immediatum cum causis secundis in earum effectus.

V I I I.

Pelagius simultaneũ concursum Dei generalem non negauit.

Nihilominus persistendum esse censeo in sententia quam præmisi disput. 1. de Auxilijs num. 21. Pelagium nunquam negasse necessarium esse ad actus ordinis naturalis; vt Deus tanquam auctor naturæ concursu simultaneo influat nobiscum in eosdem actus, si nos volumus operari; vel quotiescumque voluerimus operari, quod idem est; neque etiam negasse Deum, eodem generali concursu simultaneo concurrere cum causis secundis naturalibus ad earum operationes, quotiescumque ex necessitate naturæ determinantur ad operandum: sed solum negauit eiusmodi concursum generalem præcedere ordine rationis, & causalitatis liberam determinationem, & influxum creati arbitrij; ita nimirum, vt ista causalis sit vera; quia Deus operatur, homo cooperatur: non valens intelligere qualiter saluaretur creati arbitrij libertas, si ad eius operationem esset necessarium huiusmodi concursum Dei generalem. Hanc sententiam docet expresse Gaspar Casalius Coimbricensis, qui Sacro Concilio Tridenti-

Gaspar Coimbricen-

no

Lib. 1. de quatripart. iust. ca. 36 no interfuit, cuius verba in præallegata disputatione retuli.

IX. Probatur hæc sententia. Nam videtur expressa D.

S. Hieron. Hieronymi in Epistola ad Ctesiphontem, vbi sic ait: *Quod autem sursum, deorsum iactant liberum arbitrium à nobis destrui, audiant è contrario eos arbitrij destruere libertatem, qui male eo abutuntur aduersum beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? ille qui semper* Deo *agit gratias; & quodcumque in suo riuulo fluit, ad fontem refert? an qui dicit, recede à me; quia mundus sum, non habeo te necessarium; dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero. Quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris? fraudulentus prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium* Dei *requiras; ne scilicet, liberum arbitrium videaris amittere, & cum* Dei *contemnas adminiculum, hominum quæras auxilium.* Et Sanctus Au-

S. August. gustinus libro 2. contra duas Epistola Pelagianorum cap. 5. calumnijs Pelagij respondens ait: *Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis diximus antecedi.*

X. Respondet Auctor, quod illa verba: *Nisi tu in me*

Suarez eodē c. 4. n. 7 *tua dona compleueris:* non intelliguntur de complemento virtutis ad agendum, quo indigeant causæ secundę: sed de peculiari ordinatione Diuina, qua omnia quę creauit gubernat; & administrat, & specialiter res humanas regit, aut præuenit ordinādo, aut permittendo, & cum omnibus iuxta operis qualitatem concurrendo. Et infra addit num. 9. quod non solum intelliguntur, de complemento virtutis in actu primo, sed maxime de complemento donorum in actu secundo: seu per actualem efficientiam ipsiusmet voluntatis, seu volitionis; nam alia verba, *Recede à me,* omnino remouent Deum, tanquam necessarium, vt voluntas compleatur; siue in virtute volendi, siuè in ipso velle. Item illa, *Non habeo te necessarium,* coniuncta sequentibus, *vt faciam, quod voluero,* plane excludunt omnino Deum, siuè, vt cooperantem, siuè, vt consumatorem virtutis volendi. Nam si Pelagius crederet, ad volendum

dum esse necessarium Deum, saltem, vt coagentem voluntati, non posset absolutè dicere Deo: *Recede à me*, aut: Non habeo te necessarium, aut: *Quid rursum te ingeris*? Ergo cum Hieronymus tradat, Pelagium ita exclusisse necessitatem diuini auxilij, vt verba illa, virtute saltem protulerit, profectò non est improbabile, ita sententiam illius intellexisse; & ita cum subdit, Pelagium quasi irridendo dixisse: *Si voluero curare digitum, mouere manum, &c. Semper mihi auxilium Dei necessarium erit*. De omni auxilio etiam per modum generalis concursus id intellexisse videtur.

II. *Pelagij argumentum potissimum quo negauit necessitatem auxilij diuini. S. August.*

Sed cõtra istam explicationem est efficax argumentum; nam vt supra dicebam, potissimum argumentum, quo fuit Pelagius cõuictus, ad negandum necessitatem concursus generalis, seu auxilij diuini hoc erat: nam existimauit illo posito non manere in homine libertatem, ad faciendum quod voluerit, sed solum, quod Deus voluerit: quod apertè constat ex verbis inductis Sanctorum Hieronymi, & Augustini, & ex eodem Augustino Epistola 106. circa finẽ, vbi hæc verba Pelagij refert, & impugnat: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet aliquis facere, vel non facere*. Vnde, vt notaui disp. 1. de Auxilijs num. 12. & disp. 99. & 100. potissima controuersia Sancti Augustini cum Pelagio fuit circa istam causalem; Vtrum videlicet diuina gratia actualis: *Ideo detur, quia volumus*; *An per ipsam, Deus etiã hoc efficiat, vt velimus*, vt expresse docet idem Augustinus Epistola 7. ad Vitalem post medium, & lib. 3. Hipognosticon. cuius verba adduxi in disputationibus præallegatis. Non potuit autem venire in mentem Pelagio per concursum generalem, quo Deus solum est paratus concurrere simul cum voluntate creata ad operandum; si ipsa voluerit se determinare, ad talem operationem, per talem concursum destrui libertatem arbitrij; nam iuxta hanc positionem ista causalis esset vera; Quia homo vult, Deus vult: sicut etiam ista; Quia voluntas se determinat, ad operandum, Deus suo concursu generali simul concurrit cum illa ad suam operationem: ac per consequens argumentum Pelagij euanesce-

Aug. cum Pelagio potissima controuersia.

nesceret, quoniam, ita haberet homo in sua potestate, & propria voluntate facere aliquid; vel non facere; pro vt ipse voluerit, & non prout Deus voluerit. Ergo solum putandus est, negasse concursum Dei generalem, qui ordine rationis & causalitatis præcederet determinationem creatæ voluntatis; nam si Deus per eundem concursum efficeret, vt creata voluntas se determinaret ad talem actum, tunc (vt arguebat Pelagius) humanæ actiones non essent in potestate hominis: sed in potestatr Dei; & ita homo non posset operari, quando vult: sed quando Deus vult. Ergo solum negauit Pelagius concursum Dei generalem, qui ordine rationis, & causalitatis præcederet determinationem, & influ um creatę voluntatis.

XII. Illud vero quod ait, complementum, de quo loquitur Hieronymus, nihil aliud esse, nisi peculiarem gubernationem diuinam, qua omnia, quæ creauit gubernat, & administrat: propositam difficultatem non soluit: habet enim manifestam impugnationem. Nam Deus non solum gubernat, & administrat ea omnia, quæ creauit præsertim humanas voluntates, tribuendo illis virtutes actiuas in actu primo, quibus possint operari si velint: sed etiam mouẽdo illas ad suas operationes, datq; illis efficiẽter hoc ipsũ, q̃ est actualiter operari, vel cõcurrere ad suas operattones, nam, vt 1. 2. quæst. 109. art. 1. in corpore ait S. Thom. *ad motum non solum requiritur ipsa forma, quæ est principium motus, vel actionis: sed etiam requiritur motio primi mouentis, &c. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta: non potest in suum actum procedere, nisi moueatur à Deo.* Et artic. 9. eiusdem quæstionis in corpore referens se ad ea, quę dixit in primo articulo ait: *Quod existens in gratia indiget auxilio gratiæ, secundum alium modum, vt scilicet à Deo moueatur ad recte agendũ,* & assignat rationẽ; *quia nulla res creata potest in quẽcumque actũ prodire, nisi virtute motionis diuinæ.* Expandatur illud verbum, non potest, significat enim, quamcũque causam creatã, siuè sit ordinis naturalis, siuè ordinis gratiæ; etiam postquam est perfecta per suam formam operatiuam, non posset secundũ illam

S. Thom.

illam operari, nisi moueatur à Deo, & cópleatur in sua virtute operatiua. Ergo similiter, cũ Pelagius quasi irridẽdo dixit Deo: *Quid ultra te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona cõpleueris*, loquitur de motione illa, qua Deus suo concursu generali mouet causas secundas ad operandũ præueniẽdo eodẽ cõcursu, ordine rationis, & causalitatis influxũ causarum secũdarum in easdẽ actiones. Pelagius ergo impugnauit, concursũ Dei generalẽ, quẽ post modũ S. Tho. locis allegatis docuit; esse necessariũ ex parte Dei, vt secundę causę operenẽ.

Præterea probatur. Nam Pelagio nõ fuit à concilio, & Patribus mota quęstio de simultaneo cõcursu Dei generali, ad opera ordinis naturalis, sed de adiutorio gratiæ Dei per Iesũ Christũ, nec de hoc cõcursu generali fuit vnquã a Cõcilijs, seu Patribus, præsertim à S. Aug. impugnatus: quin potius idẽ Aug. impugnans eundẽ errorẽ lib. 5. Gen. ad litterã c. 20. nõ tribuit illũ Pelagio, nec aliquã mentionẽ illius facit, ergo nullo fundamẽto asserit Pelagiũ negasse simultaneũ Dei concursũ generalẽ. Vtrũ autẽ Pelagius, vel sequaces illius admiserint cõcursũ Dei generalẽ ad act⁹ supernaturales: pręsertim, quando sũt meritorij vitæ æternæ. patebit cap. sequẽti.

XIII. *Pelagio nõ fuit mota quæstio de concursu Dei simultaneo naturalis ordinis.*

AD primum argumen. respondeẽ, Quod ex auctoritate Orosij solũ colligiẽ, Pelagiũ in primo statu suæ hæresis constituisse gratiam in solo libero arbitrio, quod etiam notauit expresse Aug. lib. aduersus hæreses hęresi 88. Post modũ vero argumẽtis S. Aug. & aliorũ Patrũ conuictus, auxiũ gratiæ, quod daret posse, concessit: sed cõtendebat gratiam illam, secundũ merita nostra dari, quia initiũ illius posuit in natura. Vnde, vt refert Aug. hæres. 88. allegata, *Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorũ hac tenus cessit, vt non eã libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret*. Ex quibus verbis colligitur, eam gratiam negasse Pelagiũ, quæ ordine naturæ, & causalitatis pręcederet humanã voluntatẽ, & eius liberam determinationẽ, & concursũ.

Orosij verba expenduntur.

Ad alium locũ adductum ex S. Hieronymo Epistola ad Ctesiphontem patet ex verbis superius allegatis, ex quibus cõstat mentẽ, & sensũ illius fuisse, Pelagiũ solum

XIV. *Hier. verba cir. err. Pel. expẽd.*

coucursum illum Dei generalem negasse, quo Deus ordine rationis, & causalitatis præuenit determinationem, & concursum creatæ voluntatis. Id quod etiam indicant vltima verba in argumento inducta, *ne si indiguerimus eius auxilio liberum frangatur arbitrium*, quæ obiectio nullam habere potest apparentiam in concursu Dei simultaneo, qui ordine naturæ sequitur determinationem creatæ voluntatis : sed solum posset habere aliquam difficultatem de concursu generali, vel auxilio Dei, quod ordine rationis, & causalitatis præcedit cooperationem voluntatis creatę, vt ex præmissis constat. Propter quod Sanctus Aug. lib. 1. de

August. gratia Dei contra Pelagium c. 47. *Ista* (inquit) *quæstio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium; negari* Dei *gratia videatur : quando autem asseritur* Dei *gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Quæ verba idem Augustinus iterum repetit lib. 4. contra Iulianum cap. 8. in fine, vt respondeat cuidam calumniæ Iuliani, imponentis Sancto Augustino, quod dixerit, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & iterum, negari gratiam, si liberum cōmendetur arbitrium. Præterea ex verbis, quæ adducuntur pro sententia contraria ex persona Pelagij constat aperte, sensum illius fuisse, quem supra diximus; non enim negauit aliud adiutorium Dei, tanquam necessarium ad operandum, nisi illud per quod existimabat tolli arbitrij libertatem, & omnia opera nostra, ita esse ad Deū referenda, vt nihil relinquatur libero arbitrio, quod non sit illi ex Deo. Hęc autem ratiocinatio Pelagij solum procedit de concursu generali, quo Deus ordine rationis, & causalitatis pręuenit liberam cooperationem arbitrij : non autem habet locum in solo simultaneo concursu, pręsertim in sententia eorum, qui dicunt, concursum Dei generalem secundum se indifferentem esse, & determinari per liberam cooperationem creati arbitrij ad talem speciem actus, & ad talem actum virtutis, aut vitij; quorum sententia impugnata est disput. 21. de Auxilijs: Nam iuxta istam sententiam Actualis operatio libera prius natura incipit à concursu

cursu,& determinatione liberi arbitrij, quam sequitur posterius natura concursus Dei generalis, qui per cooperationem arbitrij determinatur ad talem speciem, & indiuiduum actus moralis. Vnde Pelagius nullam poterat occasionem sumere negandi concursum Dei generalem: si de solo concursu simultaneo simulatè temporis,& subsequente posterius natura ad determinationem creati arbitrij esset quæstio.

Accedit, quod iuxta sententiam Sancti Hieronymi, XV.
Sancti Augustini,& Sancti Thomę, quam disput. 18. & 23. de Auxilijs defendi,concursus Dei generalis,siuè auxilium actuale,quo secundas causas constitutas in actu primo per formas proportionatas cum effectu adiuuat ad suas operationes, vnam quamque iuxta eius naturam; est influxus immediatus in ipsas causas, & cum eisdem causis in earum effectus.Ergo cum Sanctus Hieronymus in locis inductis refert,Pelagiũ negasse adiutorium Dei,intelligit Pelagium loqui de illo adiutorio superius commemorato: non autem de solo concursu simultaneo.

Ex quo sequitur, quod cum Pelagius ait: Sola arbi- XVI.
trij libertas sufficit ad bene operandum absque adminiculo, aut ope, vel auxilio Dei, per illam particulam *sola*, tantum intedit excludere concursum, & auxilim Dei,quod ordine rationis,& causalitatis pręueniat humanam voluntatem,& liberam eius determinationem; nõ autem intendit excludere concursum simultaneum, quod tamen rę vera,in eius sententia, solum est simultaneum secundum instans temporis: sed est posterius natura; quia concursus liberi arbitrij non potest determinare concursum Dei generalem,nisi pręcedat illum ordine naturæ.

Ad alia testimonia,quæ referuntur ex Sancto Augustino,respondetur potius militare pro nobis: nam eo ipso quod asserit ipsa opera bona, quæ faciunt infideles esse Deo tribuenda, & ab ipso procedere, & non arroganda voluntati creatæ, consequenter fatetur,cõcursum Dei esse pręuium ad concursum creatæ voluntatis, nam licet eadem voluntas liberè concurrat ad eadem opera: solus tamen Deus est, qui efficit, vt voluntas

luntas creata bene operetur, vt idem Augustinus ait libro de gratia, & libero arbitrio cap. 16. cuius verba adduxi,& expendi disput.100. de Auxilijs num. 6. Propter quod idem S. Augustinus sępius repetit totum esse Deo attribuendum, & non illi ex parte, & nobis ex parte,vt in libro de dono perseuerantiæ cap.6. vbi ait:
Augustin. *Tutiores viuimus si totum Deo demus,& non illi ex parte,& nobis ex parte committimus*, & ibi etiam refert dictum illud Cypriani lib. 3.ad Quirinum cap.11. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est*; quod etiam asserunt alij plures Sancti Patres allegati disput. 62.de Auxilijs num. 6.

XVIII. Ad tertium argumentum respondetur, multo minori cum ratione potuisse Pelagium negare concursum generalem, quo Deus simul cum causis secundis necessarijs cōcurrit ad earum actiones,vel effectus;quam loquendo de causis secundis liberis. De illis enim non procedit illa ratio Pelagij,qua deceptus est ad asserendum,Deū suo concursu generali,seu actuali auxilio nō præuenire ordine rationis, & causalitatis determinationem,& cooperationem creatæ voluntatis;quoniam per talem concursum,vel auxilium arbitrij libertas tolleretur,& induceretur fatalis necessitas. Vnde si admisit, concursu generali simultaneo Deum concurrere cū causis secundis liberis ad earum actiones, à fortiori id concessit,vel concedere debuit de concursu cum causis secundis necessarijs, in quibus hæc ratio nec militat, nec militare potest.

XIX. Ad quartum respōdetur, etiam si Pelagius admiserit generalem Dei concursum simultaneum, potuit impiè dicere Deo; *Recede à me, non habeo te necessarium*. Nam debet intelligi de concursu Dei,à quo primo incipit operatio liberi arbitrij,vt supra dictum est,& colligi potest ex ratione superius facta, qua fuit conuictus. Imò ex verbis subsequentibus: *Quid vltra te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona cōpleueris*. Clarè ostendit, se loqui de concursu, quo Deus efficit,vt voluntas creata operetur,id quod etiam non obscure indicant illa verba: *Nisi tu in me tua dona compleueris*.

Ad

Ad quintum iam patet ex dictis, in quo sensu negauerit Pelagius adiutorium, seu concursum generalem; loquebatur enim de illo adiutorio, cum quo existimabat arbitrij libertatem coherere non posse; hoc autem adiutorium erat illud, quod ordine rationis, & causalitatis præcedebat cooperationem voluntatis creatæ. Quid autem senserit, circa gratiam adiuuantem, & alia præuenientis gratiæ auxilia, & eorum necessitatem capite sequenti patebit. XX.

Ad sextum respódetur, quod Auxiliũ Dei cooperans, in quantum cooperans cum libero arbitrio, est quidem simultaneum simulatè temporis: sed ordine naturæ, seu causalitatis præcedit actualem concursum, & cooperationem creati arbitrij quatenus influit in illud, vt disp. 82. de Auxilijs ostensum est.

Ad septimum argumentum responsum est ex professo disp. 18. de Auxilijs. Vbi ostensum, concursum Dei generalem esse influxum eius immediatum in causam secundam, etiam liberam, & cum causa in effectum illius, & argumẽtis, quę in contrariũ objiciunt satisfeci.

CAPVT II.

Vtrum Pelagius aliquando concesserit interiorem grateam naturæ superadditam, qua Deus tribuit nobis, vt possimus bene operari.



LIQVI recentiores Thologi sentiunt, Pelagium nunquam eiusmodi gratiam concessisse, vel admisisse: sed nomine auxilij gratiæ, quam sæpius in suis libris, vel defensionibus inculcat, solum intellexisse liberum hominis arbitrium gratis creatum. Alij vero sectatores huius sententiæ, cum restrinctione quadam illam defendunt asserentes, Pelagiũ semper I. Suarez.

semper negasse veram gratiam, quę det nobis posse bene operari, aut malum vitare, quo additamento videlicet, *Veram gratiam*, limitatur illa sententia ad gratiam veram, & propriam, dantem posse, quam Doctores Catholici dicunt, simpliciter esse necessariam, ad implendum omnia diuina mandata. Probant suam sententiam.

Primo. Nam si talem gratiam Pelagius concessisset, colligeretur ex libris, & opusculis Sancti Augustini qui exactissimè refert sententiam Pelagij: sed ex illo non colligitur; quin potius idem Sanctus Augustinus sæpè dicit, nullam aliam gratiam concesisse Pelagiũ, nisi legem, atque doctrinam, vt patet lib. de gratia Christi contra Pelagium, & Cęlestium ferè per totum: pręsertim cap. 7. & 10. aut etiam nomine gratiæ intellexit exemplum Christi, vt dicit idẽ Augustinus lib. de gratia Christi contra Pelagium, & Cælestium cap. 2. hæc autem, & alia consimilia, quæ sub nomine gratię comprehendit Pelagius, non pertinent ad veram gratiam dantem posse, de qua loquimur. Ergo.

Aug. lib. de gratia Christi.

Secundo. Pelagius semper asseruit, gratiam Dei, quæcumque illa sit, secundum merita nostra dari, vt sæpè docet Aug. sed nulla vera gratia datur secundum merita nostra, nam vt dicitur ad Romanos 11. *Si ex operibus iam gratia non est gratia*. Ergo nullam veram gratiam dantem posse admisit Pelagius.

Augustin. Rom. 11.

II. Tertio. Idem Pelagius etiam asseruit, illam gratiam dantem posse, quam Sanctus Augustinus ab illo requirebat, solum esse necessariam ad facilius, non autem ad simpliciter implendum diuina mandata, vt refert idem Aug. lib. de gratia Christi contra Pelag. & Cælestium. c. 7. Ergo nullam veram gratiam dantem posse admisit vnquam Pelagius. Probatur consequentia, nam illa gratia, quæ dat posse, necessaria est simpliciter ad operationem, & ante illam debet præsupponi.

Quarto est argumentum, Nam, vt dicit Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum cap. 1. Semipelagiani plurimum à Pelagianorum errore discesserunt, quoniam isti admiserunt gratiam præuenientem ad opus bonũ, tum incipiendum; tum etiam perficiendum.

Ergo

Ergo Pelagius nō admisit gratiam internam, quæ tribuit posse: alias Semipelagiani non discessissent plurimum ab errore Pelagij.

Quinto arguitur, Nam Sanctus Augustinus libro 2. contra duas Epist. Pelagianorū cap. 5. & sequentibus expresse asserit, Doctrinam Pelagij fuisse: *Gratiam adiuuare vnius cuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud* Deum. & lib. 1. contra easdem epist. cap. 19. clarius dicit, *Vos autem in bono opere sic putatis adiuuari hominem* Dei *gratia, vt in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari.* Quo circa licet Pelagius aliquando confessus fuerit, Deum iuuare, vel etiam excitare voluntatem aliquo peculiari modo prouidentiæ suæ: nunquā tamen intellexisse videtur, illud fieri per internam excitationem eleuantem voluntatem supra suas vires naturales. Alioquin tale auxilium esset simpliciter necessarium ad tale opus prçstandum, quod ille non admittebat. III.

DE hac difficultate egi ex professo disput. 1. de auxilijs præsertim num. 4. & sequentibus, vbi quibusdam dictis, & assertionibus Pelagij, & Pelagianorum ex libris Sancti Augustini de verbo ad verbum desumptis explicui, quid senserint circa diuinam gratiam, & eius necessitatem ad omnia diuina mandata implenda; nunc autem breuiter attingenda sunt ad complementum doctrinę, &, vt quibusdam argumentis in contrarium obiectis satisfaciam. Igitur pro huius difficultatis explicatione; &, vt certa ab incertis separemus, & id de quo est controuersia intelligatur, supponendū est ex dictis disp. 1. de Auxilijs, quod qualemcūque, vel quamlibet gratiam concesserit, & vbilibet eam cōstituat, siue in intellectu, siue in voluntate, eam tandē penitus destruxit, dum asseruit secūdum merita nostra dari, vel cum dixit solum esse necessariam ad facilius implendum omnia diuina mandata, quæ tamen solis viribus naturę (licet difficilius) poterat obseruare. IV.

Punctus ergo difficultatis in hoc consistit. Vtrum Pelagius aliquando admiserit, vel confessus fuerit, dari

homini à Deo aliquam gratiam supernaturalis ordinis, qua possit, si velit, omnia diuina implere mandata, abstrahendo ab illa quæstione, an solum necessaria sit ad facilius, vel ad simpliciter operandum; præscindendo etiam illum errorem Pelagij, quo asseruit gratiam secundum merita nostra dari, & solum inquirimus in præsenti: vtrum aliquando admiserit, vel concesserit gratiam supernaturalis ordinis, qua Deus tribuit homini posse bene operari, si velit.

VI. *Pelagius ex triplici capite errauit circa necessitatē gratiæ.*

Notandum secundo, ex triplici capite Pelagium errasse circa necessitatem auxilij præuenientis gratiæ. Primo, quoniam re vera sensit secundum merita nostra dari. Dico, sensit, quoniam nunquam ausus est id aperte dicere. Imò sicut dicit Augustinus libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. *Timuit Pelagius Episcopale iudicium Palestinum, & cum ei fuisset obiectum, quod diceret gratiam Dei secundum merita nostra dari, negauit se dicere, & eos qui hoc dicerent anathematizando damnauit. Nec aliud tamen defendere inuenitur in libris, quos post modum scripsit, fraudem se putans hominibus iudicantibus fecisse mentiendo; aut nescio quomodo suum sensum verbis ambiguis obtegēdo.* Sed tamen Sanctus Augustinus libro de gratia Christi contra Pelagium, & Cęlestium ex dictis illorum eos conuincit, quod re vera sentiant gratiam secundum merita nostra dari. Sic enim ait: *Magnum profectò adiutorium diuinæ gratiæ, vt cor nostrum, quo voluerit Deus ipse declinet: sed hoc tam magnum adiutorium, sicut iste desipit, tunc meremur, cum, sine vllo adiutorio, non nisi de arbitrij libertate ad dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex eius voluntate suspendimus, eique adhærendo iugiter vnus cum illo efficimur spiritus. Hæc scilicet tam ingenia bona, nō nisi de arbitrij secundum istum efficimus libertate, vt his præcedentibus meritis, sic eius gratiam consequamur, vt cor nostrum, quo voluerit, ipse declinet.* Et idem argumentum inculcat libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. cum ait: *Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum ceptum erit meritū, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac sic*

gratia

gratia Dei non gratis donabitur : sed meritum nostrum dabitur. Et libro de prædestinatione Sanctorum cap. 2. vbi ait: *Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali iudicio Palestino, sicut eadē gesta testantur, damnare compulsus est, gratiam Dei secundū merita nostra dari, quasi non pertineat ad Dei gratiam, quod credere cepimus: sed illud potius, quod propter hoc nobis additur, vt plenius perfectiusque credamus*. Et infra: *Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnetur, ipse damnauit*.

Secundo ex alio etiam capite errauit circa gratiam Pelagius, quoniam, vt pluribus in locis refert Augustinus, asseruit solum esse necessariam ad facilius; non autem ad simpliciter implendum diuina mandata. Vnde etiamsi verè asseruisset gratiam ipsam gratis dari, & non ex precedentibus meritis, propter hoc secūdum caput meritò damnatus est. VII. *Aug. lib. de gratia Christi c. 7.*

Tertio errauit, quoniam negauit, Deum nobis donare gratiam, qua bonum velimus, & faciamus, sed solum, qua bonum velle, & facere valeamus. Propter hoc enim, etiam illum impugnat Sanctus Augustinus libro de gratia Christi contra Pelagium, & Cęlestium, quasi per totum: sed præsertim cap. 4. vbi hæc verba refert Pelagij: *Quod possumus videre oculis nostrū nō est, quod vero bene, aut male videmus, hoc nostrū est, & vt generaliter vniuersa cōplectar, quod possumus omne bonū facere, dicere, cogitare illius est, qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat. Quod vero bene, vel agimus, vel loquimur, vel cogitam' nostrū est, quia hac omnia vertere etiā in malū possumus*. Vtrū autē ex alio etiā capite circa gratiā Christi dñi Pelagius, vel sequaces illius errauerīt c. seq. patebit. Augustin.

His suppositis in quibus cōueniūt Auctores vtriusq; sentētiæ, dicēdū est, Pelagiū in vltimo statu suæ heresis admisisse gratiam naturę superadditam, quęcūque, & qualiscūque illa sit, qua Deus tribuit homini posse bene operari, si velit, quā quidē gratiā multis nominibus explicuit Pelag. aliquādo illā vocās suadentē gratiā, quādoque affirmās cōsistere in illuminatione intellect', & excitatione stupētis volūtatis, & nō semel illā etiā vocat auxiliū gratię, quo Deus posse donat, & ipsū posse adiuuat. Hoc VIII. *Pelagius qualem gratiā interiorem admiserit.*

non aliter probatur, quam expresſis eiuſdem Pelagij verbis,quæ in libris extant Diui Auguſtini,& ex his,quæ aduerſus eundem Pelagium dicit idẽ Auguſt.in libris,& epiſtolis,quas contra illum ſcripſit, præſertim libro de gratia Chriſti contra Pelagium;& Cæleſtium cap. 5. 7. 10. 11. 24. 41. & 47. cuius verba retuli diſp. prima de Auxilijs num. 6. & ſequentibus. Ex quibus apertè colligitur, Pelagium tandem admiſiſſe gratiam interiorem ad poſſe naturę ſuperadditam qualiſcumque illa ſit,& gratiam illam negaſſe,qua Deus donat,atque adiuuat,vt faciamus: ſed præſertim notanda ſunt, & expendenda verba Pelagij quę refert Auguſtinus cap. 10. allegato: ſunt autem quæ ſequuntur. *Et alio quippe loco,eum diu aſſeruiſſet non adiutorio Dei, ſed ex nobis ipſis, in nobis effici voluntatem bonam, oppoſuit ſibi ex Apoſtoli epiſtola quæſtionem, atque ait. Et quomodo* Philip.2. *(inquit) ſtabit illud Apoſtoli. Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere? Deinde, vt hanc oppoſitionem veluti ſolueret, quam videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam,ſecutus adiunxit Operatur in nobis velle,quod bonum eſt,quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos,mutorum more animalium, tantummodo præſentiam diligentes futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum reuelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem,dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) ſuadet omne,quod bonum eſt.* & cap.5. eiuſdẽ libri refert alia verba Pelagij aſſerentis, quod Deus *Non adiuuat, vt velimus, non adiuuat, vt agamus, ſed tantummodo adiuuat, vt velle, & agere valeamus.* Id quod impugnans Auguſtinus cap. 14. eiuſdem libri; tale aduerſus Pelagiũ facit argumentum. *Si tantum poſſe noſtrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me; non autem ſic dixit: ſed, omnis, qui audiuit, & didicit venit ad me.* Supponit ergo Auguſtinus, Pelagium admiſiſſe gratiam internam,quæ daret poſſe,& illam negaſſe,quæ donat bonum velle,aliàs argumentum Auguſtini non eſſet ad propoſitum,nec impugnaſſet aſſertionem Pelagij. Et cap. 41. eiuſdem libri ſic concludit:

Aug. argumentum cõtra Pelagiũ

Ipſum

Ipsum vero auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituat, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam sancto Spiritu reuelari, propter quod, & adorandum esse concedit. Sentit ergo Sanctus Augustinus, Pelagium admisisse illuminationem intellectus, & suasionem internam voluntatis immediate à Spiritu sancto immissam; nam propter hoc asserit adorandum esse.

Hoc argumentum, quod efficacissimum est quatuor solutionibus Auctor præallegatus conatur dissoluere. Prima solutio est, Pelagium nunquam admisisse gratiam, quæ tribuat posse, sed solum concessisse gratiam, quæ iuuet possibilitatem voluntatis, atque operis: longe autem minus est, iuuare possibilitatem, quam dare, vt ex terminis constat. & similiter dicit Augustinus dicto cap. 5. de gratia Christi, voluisse Pelagium gratiam, quę tantummodo adiuuet, vt velle, & agere valeamus. Et semper ita loquitur in discursu illius libri, nunquam vero dicit, Pelagium admisisse gratiam, quæ nobis det posse operari, quin potius in cap. 14. ait Pelagium in natura posuisse posse venire, & addit; *vel etiam, vt modo dicere cæpit in gratia, quamlibet eam sentiat*. Non vero ait Augustinus, Pelagium retractasse vnquam priorem assertionem: sed addidisse nescio quam gratiam, quæ potestaté iam in natura existentem iuuaret. Vnde statim contra Pelagium probat, non tantum posse nostrum per gratiam iuuari, sed etiam velle. IX. *Prima solutio.*

Sed hæc solutio non videtur sufficiens. Nam gratiam adiuuare, vt velle, & agere valeamus, nihil aliud est, quam dare posse, quo velle, & agere valeamus, siuè illud posse necessarium sit ad simpliciter operandum, vt sentiunt Catholici; siuè ad facilius tantum, vt errando dixit Pelagius; siuè detur omnino gratis, vt fides docet, siue secundum merita nostra, vt Pelagius somniauit. Nec obstat, quod Sanctus Augustinus nullibi referat, Pelagium retractasse priorem assertionem, tum, quia hoc argumentum est ab auctoritate negatiua, quod nihil probat: tum etiam, nam Pelagius multa dixit sibi contraria, vt ex eodem Augustino constat libro de gratia Christi cont. Pelag. & Cęlest. cap. 37. *Repellitur prima solutio.*

Secun-

X. *Secunda solutio. Suarez c. 3 alleg. n. 11*

Secunda solutio est. Quod licet daremus fuisse Augustini mentem, quod Pelagius admiserit, gratiam quæ daret posse, & negauerit illam, qua Deus tribuit bonum velle, & operari, nihil obstare opinionibus varijs Catholicorum de auxilio efficaci; quia inter Catholicos rectè sentientes non est controuersum; an efficax auxilium detur volentibus, & credentibus, sed quale illud auxilium sit. Et licet controuersia Augustini cum Pelagianis fuisset de auxilio efficaci: non tamen fuit de modo intelligendi, & explicandi tale auxilium.

XI. *Impugnatur secunda solutio.*

Hæc etiam solutio facile impugnatur. Nam, vt supradictum est, potissima quęstio Sancti Augustini cum Pelagio fuit circa illam gratiam, quam ex eo negauit Pelagius; quia existimauit cum libertate creati arbitrij coherere non posse, vt fatetur auctor sententiæ contrariæ. Hæc autem erat gratia, qua Deus non solum alliciendo, inuitando, suadendo, aut quolibet alio modo, etiā interius solū moraliter attrahēdo donat bonū velle (hanc enim nō negauit Pelagius) sed etiam vere efficienter faciendo, quod liberum arbitrium consentiat, & cooperetur cum Deo. Ergo hæc est illa gratia, quam semper negauit Pelagius. Nam per gratiam, quæ solū tribuit posse, suspicari non poterat Pelagius, destrui libertatem arbitrij: cum hæc sola gratia non determinet voluntatem ad bene operandum: sed omnino illam relinquat in sua libertate, vt si vult operetur cum illa gratia, si non vult non operetur, eo quod Deus per talem gratiam non facit ex nolentibus volentes; nec ex repugnantibus consentientes. Et similis controuersia versatur inter modernos Thelogos. Nam ex illis quidam negant, Deum suo absoluto decreto per gratiam præuenientem efficacem determinare voluntatē creatam ad bene operandum, nec efficere ad modum causæ Physicæ, quod voluntas consentiat; ita nimirum, vt concursus liberi arbitrij, vt ab eo dimanat sit effectus Dei, & gratiæ ipsius in genere causæ verę efficientis, nam per talem gratiam tolleretur libertas. Hoc enim argumemtum semper inculcant, & propter illud conuincuntur ad negandum gratiam præuenientem prædicto modo efficacem. Alij vero, quibus libenter assen-

Controuersia inter modernos Theologos, circa gratiam adiuuantem in quo consistat.

assentio ,docent, per gratiam actualem predicto modo efficacem non solum non ledi liberum hominis arbitrium, sed mirum in modum perfici, & roborari, vt adversus Pelagianos sæpè docent Sancti Augustinus, & Prosper; quorum verba retuli disput. 122. de Auxilijs num. 20.

Aug. lib. de Spiritu, & litera c. 29. & lib. 1. contr. duas epist. Pelag. cap. 20. S. Prosper ep. ad Ruffin. vers. fine, & cont. Collat. c. 12. & 38.

Nec satis est dicere; quod auxilium efficax detur volentibus, & credentibus, vt in solutione insinuatur, sed necessario adiungendum est, quod Deus per illud auxilium efficit verè efficienter; siuè admodum causæ physicæ, quod homines velint, & credant, & opera pietatis libere exerceant, vt lib. 4. nostrarum responsionum cap. 6. & 7. probaui. De hoc enim auxilio fuit potissima controuersia Sancti Augustini cum Pelagio, vt ex præmissis constat.

XII. *Tertia solutio.*

Tertia Solutio est: Quod nemo negat admisisse Pelagium reuelationem diuinam fidei: tam externam: quam internam, quatenus se tenet ex parte obiecti, & pertinet ad illius applicationem, seu sufficientem propositionem. Parum enim refert ad gratiæ auxiliantis necessitatem, quod reuelatio fidei tantum interius, vel per sensus interiores fiat. Semper enim, præter reuelationem obiecti necessaria est noua gratia, iuuans intellectum ad doctrinam reuelatam conuenienti modo concipiendam, & cum inclinatione, & affectione voluntatis acceptandam, & suscipiendam: & hanc vocauit Augustinus gratiam, per quam sanctificamur, & iustificamur, & qua Deus in nobis facit bonas voluntates, eamque efficienter distinxit in excitantem, & adiuuantem.

XIII. *Impugnatio.*

Sed contra hanc solutionem vrget argumentũ. Nam Pelagius non solum admisit gratiam dantem posse, quatenus se tenet ex parte intellectus, qui per sensus exteriores aliorum ministerio; aut etiam per internam, & diuinam reuelationem illuminatur intellectus à Deo, sed etiam admisit excitationẽ stupentis voluntatis, qua suadet omne, quod bonum est, vt patet ex verbis Pelagij superius adductis, quæ refert Augustinus libro de gratia Christi contra Pelagium, & Cælestium cap. 10. quæ quidem maiorẽ vim habent pro nostra sententia,

si cor-

si corrigantur iuxta exemplaria manu scripta, quæ in Bibliotheca Vaticana seruantur, in quibus, vt ego proprijs oculis legi, habetur. *Quod tamen alibi negare non metuit, suadet omne quod bonum est* vbi verba illa parentesis, *quod tamen alibi negare non metuit,* non sunt verba Pelagij ad Augustinum directa, sicut videntur esse in omnibus libris Augustini prælo mandatis, in quibus sic legitur, *Quod tu alibi negare non metuis,* &c. Sed sunt interposita ab eodem Augustino, vt significaret Pelagium alibi, seù alijs in locis, vel locutionibus prius negasse interiorem gratiam suadentem omne, quod bonum est: sed post modum argumentis eiusdem Augustini conuictum illam tandem concessisse.

XIV. *Quarta solutio. Idem eodē cap. 3. n. 13*

Quarta solutio est. Quod si Pelagius veram internam gratiam prçuenientem fassus est, in eo non fuit hçreticus, nec errauit: neque enim necesse est, vt omnia, quæ hæretici dicunt, falsa sint, vel erronea; sufficit enim vnus error contra fidem cum pertinacia ad constituendum hæreticum. Erit ergo Pelagius hæreticus, quia negauit necessitatem illius gratiæ, vel quia cooperantem non admisit, non quia veram excitantem fassus est, si illam saltem, vt vtilem cognouit. Addit, ex verbis citatis, & relatis ex Augustino non colligi Pelagium cognouisse gratiam internam, quæ legem, & doctrinam excederet.

XV.

Sed in hoc nulla est controuersia, vel dissensio, fatemur enim Pelagium, non errasse in hoc, quod admiserit gratiam internam ad posse: sed quoniam asseruit secundum merita nostra dari, & non esse necessariam simpliciter: sed solum vtilem ad facilius: & quia omnem aliam gratiam præuenientem negauit, vt dictum est. Fatemur etiam gratiam illam internam ad posse facilius, quam Pelagius admisit, non excedere legem, atque doctrinam: sed tamen contendimus, preuenientem gratiam internam, qua Deus solum illuminando intellectum, & excitando voluntatem facit, vt consentiamus, & piè operemur, quod pertinet ad solam causalitatem moralem præuenientis gratiæ, qua præueniens est, non excedere legem, atque doctrinam, nam etiam hæc motio tenet se ex parte obiecti, & finis. Manifestū

est

est autem secundum sententiam Sancti Thomæ, quod nulla motio ex parte solius obiecti, & finis quantumuis vehemēs, potest in via esse efficax, nec inducere infallibiliter actum, ad quem mouet. Vnde etiam contendimus, vltra illam gratiam præuenientem, quę inquantum est præueniens, mouet moraliter voluntatem ad piè operandum, esse necessario admittendam aliam distinctam gratiam præuenientem, qua Deus verè efficienter; siuè ad modum causæ physicæ facit; vt voluntas creata infallibiliter, & libere operetur, & piè, id quod latius prosequutus sum lib. 2. responsionum cap. 1. num. 37. & lib. 4. cap. 6. & 7. S. Tho. 1. p. q. 106. art. 2. & q. 111. art. 2.

XVI. August.

Quæ omnia confirmantur ex eodem Augustino cap. 13. eiusdem libri, vbi distinguens doctrinam internam, quam ipse requirebat, ab illa quam concedebat Pelagius, ait: *Hæc autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos, & secundum propositum vocatos ad summam perfectionem, glorificationemque perducit: qua gratia agitur non solum, vt diligenda credamus, verum etiam, vt credita diligamus. Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere non solum per eos qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt non ostendat tantummodo veritatem; verum etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Ergo supponit Augustinus Pelagium concedere gratiam, quæ ad legem pertinet, & doctrinam, quā Deus interius infundit, qua ostendit tantummodo veritatem illuminando intellectum, & stupentem voluntatem excitando, & eam doctrinam negasse, qua Deus interius impartitur charitatem simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere. Quod etiam idem Augustinus confirmat his verbis cap. 47. eiusdem libri de gratia Christi: *Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, idest, vt bene velimus, & bene agamus quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, &* August.

bene agit. Si vt dixi consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio, nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, qua nobis ab illo est, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersia relinquetur. Quibus verbis aperte docet, Pelagium sensisse solam possibilitatem, quę est in homine quando non vult, nec agit bene, diuinitus adiuuari, non autem præstari per gratiam Domini nostri Iesu Christi, vt bene velimus, & agamus. Hęc enim gratia Iesu Christi est quam semper Sanctus Augustinus requirebat à Pelagio si volebat, non solum voce, sed etiam re esse Christianus.

XVII. Sed dicunt: Moderni Theologi, qui totam gratiam præuenientem, qua præueniens est in sola illuminatione intellectus, & pia excitatione voluntatis constituunt; fatentur etiam per eandem gratiam non solum dare posse, bonum velle, & operari: sed etiam ipsum velle, & operationem, quotiescumque Deus confert homini eandem gratiam in illis circumstantijs, in quibus præscit, esse consensurum, & cooperaturum, ex hipothesi, quod ei daretur, quod tamen non concessit Pelagius: Sed melius dixissent, gratiam præuenientem donare non solum posse: sed etiam velle, & bene operari, quando confertur homini in illis circumstantijs, in quibus Deus voluit, & prauoluit per eandem gratiam efficere, vt voluntas bonum velit, & operetur; sic enim tolleretur omnis quæstio, hoc vnico verbo mutato. Pelagius enim parum curasset concedere, quod gratia tribueret bonum velle, si semel eidem daretur, gratiam illam esse pedissequam, & ordine naturæ posteriorem determinatione creatæ voluntatis, vt ex argumento, quo fuit conuictus apparet. Nam si concursus gratiæ sequitur determinationem creatę voluntatis, non poterat suspicari per gratiam, quam ab eo requirebat Augustinus, tolli arbitrij libertatem, vt ex præmissis constat.

AD

AD Primum argumentum respondetur, solum conuincere Pelagium incompossibilia dixisse, & sibimetipsi esse contrarium, quod & Sanctus Augustinus libro de gratia Christi contra Pelagium, & Cęlestium cap. 37. his verbis notauit: *Mihi penè persuaserat* (scilicet Pelagius) *hanc illum gratiam, de qua quæstio est confiteri, quamuis in multis eius opusculi locis sibi ipsi contradicere videtur*. Nec mirum, nam hæc semper fuit astutia hæreticorum, vt pro diuersis occasionibus, diuersas, & inter se colluctantes, & contrarias propositiones vel negent, vel affirment. Id quod etiam Sanctus Hieronymus Epistola ad Pamachium, & Occeanũ de erroribus Originis adnotauit quorũdam hæreticorũ errorẽ impugnans: *Sic* (inquit) *Hęretici verba tẽperant, sic ordinem vertunt, & ambigua queque concinnant, vt & nostram, & aduersariorum confessionem teneant, vt aliter hęreticus; aliter catholicus audiat*. Et post pauca: *Credimus* (inquiunt) *resurrectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur pura confessio est, sed quia corpora sunt cœlestia, & terrestria, & aer iste, & aura tenuis iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem, vt Ortodoxus corpus audiens carnem putet: hæreticus spiritum recognoscat*. Nec solum in Pelagianis, sed in alijs etiam pluribus hęreticis hoc inuenitur, quod non solum Catholicis: sed etiam sibimetipsis sunt contrarij. Nam Lutherus in assertionibus art. 36. ait: *Mala opera in impiis operatᷓ Deus*, vt Prouerb. 16. dicitur: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malũ:* sed ad cap. 9. Exodi negat: *Iustum est* (inquiens) *quidquid Deus agit: non vult quidquam iniusti, vel mali*. Item etiam in explicatione orationis Dominicæ ait: *Hominem esse liberi arbitrij*: sed in libro de seruo arbitrio contra Herasmum negat, ait enim: *Hoc fulmine* (scilicet præscientiæ, & voluntatis diuinæ) *sternitur, & conteritur penitus liberum arbitrium*. Rursus in visitatione Saxonica ait: *Bona opera ad salutem esse necessaria*: sed in libro de captiuitate Babylonica cap. de Baptismo id negat. In defensione contra Echium ait, *Mandata Dei per eius gratiam seruari posse*: sed id negat

VXIII. *Pelagius sibiipsi fuit contrarius.* August.

Hæretici sibi metipsis sunt, in multis contrarij Hieronymus.

Lutherus est sibi contrarius.

gat in responsione ad dialogum Syluestri Prieratis. Similes contradictiones in Philippo Melanton, Martino Luthero, & aliis hæreticis obseruauit Thesaurus Catholicus Iodocci Cocci tomo primo lib. 8. de signis Ecclesiæ art. 7. cap. 2. & sequentibus. Smiles ergo contradictiones in dictis pelagij inueniri est satis credibile.

Ad secundum argumentum, patet soultio, per ea quę in secundo notabili dicta sunt.

XIX. Ad tertium respondetur, quod potestas operandi absolute loquendo necessaria est simpliciter ad operationem, vnde oportet, quod præexistat in causa ante ipsam operationem: sed potestas operandi facilius non est necessaria simpliciter, sed solum secundum quid ad eandem operationem, scilicet ad melius esse, & hanc solam potestatē concessit Pelagius auxilio gratię, quod tribuit posse, vt ex pręmissis constat.

XX. *Massilienses in quibus discesserunt ab errore Pelag.*

Ad Quartum argumentum respondetur, Semipelagianos plurimum discessisse ab errore Pelagij; nam illi crediderunt cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, & ad omne opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum quemquam sibi sufficere non posse; vt in eodem capite dicit Augustinus: sed non penitus ab eodem errore discesserunt; Quia licet admiserint, ad omne opus bonum esse necessariam simpliciter gratiam Dei præuenientem: dixerunt tamen ad primum initium fidei, quam ab operibus distinxerunt, necessariam non esse præuenientem gratiam: sed hoc initium ex solis naturę viribus procedere, cuius intuitu, vel merito, vt arguit Augustinus, dabatur illis gratia ad actum fidei perficiendum, & reliqua auxilia, quæ sunt ad salutem necessaria.

Aug. lib. de Præd. SS. c. 2.

S. Augus. Vnde idem Augustinus cap. 2. eiusdem libri, & sequentibus probat ex professo; etiam ad primum initiū fidei, qua Christiani sumus, esse necessarium simpliciter auxilium pręuenientis gratiæ. Ex hoc tamen non sequitur, quod Pelagius non admiserit internam gratiam dantem posse bene operari: sed solum infertur quod negauit, esse necessariam simpliciter ad opera pietatis, quod tamen Semipelagiani non negauerunt. Vnde etiam quantum ad hoc saluatur magna differentia

tia

tia inter Pelagianos & Semipelagianos.

XXI. Ad quintum respondetur, quod ex illis verbis Pelagij solum concluditur, illum negasse gratiam excitantem, quæ antecederet omnia merita naturę, quod ex eo constat. Nam, vt sæpè dicit Augustinus, sensit gratiam secundum merita nostra dari, *quamlibet, vel quamlemlibet eam sentiat*, & vbilibet eam constituat, siue in intellectu solum; siue etiam in voluntate: quod etiam colligitur ex verbis inductis, quia intelligere non potuit Pelagius quommodo absque acceptione personarũ, Deus eandem gratiam conferret vni, & non alteri, si absque vllis pręcedentibus meritis daretur. Nam tunc nulla posset assignari ratio, vel differentia ex parte hominũ, propter quam vni daretur eadem gratia, & non alteri: Sed in hoc fuit deceptus, quia cum gratia secundum fidem Catholicam gratis detur, non oportet assignare differentiam, ex parte hominum, propter quam vni detur, alteri non detur: sed cuicumque datur misericorditer datur: cui autem non datur in pœnam præcedentis peccati saltem originalis non datur, vt dicit Augustinus libro de correctione, & gratia cap. 5. & 6. Etenim, vt sæpè docet Sanctus Thomas, acceptio personarum locum non habet in gratuitis.

Aug. lib. de gratia Christi cap. 31.

Pelagius qualem gratiam excitantem negauerit, & quare.

S. Aug. lib. de correp. & gra. c. 5, & 8.

S. Thom 1. p. q 23. a 2. 5. ad 3. & 2. 2. q. 63. ar. 1. ad 3.

CAPVT III.

In quo error Massiliensium consistat, & quare Semipelagiani dicantur.



I. EGI de hoc diffuse disputatione secunda de Auxilijs, vbi errorem Fausti, & Cassiani, quibusdam eorum assertionibus explicui. Vnde in præsenti breuiter de hoc puncto agendum est.

Omnes Theologi moderni in hoc conueniunt, libros Fausti, & Cassiani in his quæ circa gratiæ necessitatem scripserunt, esse valde suspectos, & in

Cassiani, et Fausti libri circa gratiã

multis

unt valde suspecti; multis non discedere ab errore Pelagij. Et idem sentiunt multi graues Auctores antiqui disputatione secunda de Auxilijs allegati, quamuis Gennadius absque vllo fundamento asseruerit, Ecclesiam scripta Cassiani hac in parte approbasse, & Prosperum eadem scripta infamasse: sed manifestè colligitur oppositum ex his, quæ diximus eadem disputatione secunda, vbi constat prima capita erroris Massiliensium fuisse Cassianum, & Faustum.

II. *Massiliensium error. in quo consistat.*

S. August.

Primus, & potissimus eorum error fuit, primum initium fidei Christianæ esse à solo libero arbitrio solis viribus naturæ, perfectionem autem, & consumationem eiusdem fidei procedere à gratia, & ex hoc infert S. Aug. lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 2. Gratiam secundũ merita nostra dari, & similiter S. Prosper libro contra Collatorem cap. 6. cum ait: *Quomodo autem non aduertis te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, conuinceris dicere, gratiam secundum merita nostra dari, cum aliquid pręcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas.* Quis vero, & qualis fuerit motus ille arbitrij creati, in quo posuerunt primum initium gratiæ, non eodem modo Semipelagiani explicuerunt. Quidam enim illum constituerunt in hoc, quod est credere, velle, & desiderare gratiam, pulsare, & eam quærere, vt constat ex

Concilũ Arausicanum.

Concilio Arausicano 2. Canon. 6. vbi diffinitur eiusmodi actus procedere à præueniente gratia. Alij dixerunt, non solum primum initium fidei: sed etiam cuiuslibet piæ operationis esse constituendum in natura, quod tamen per subsequentem gratiam foueatur, & perficiatur. Hunc errorem nonnullis Massiliensibus tribuit Sanctus Prosper in epistola ad Augustinum illis

S. Prosper

verbis: *Quem bona appetentem gratia Dei foueat, mala iectantem damnatio iusta suscipiat.* Et illum expresse

Cassianus,

docet Cassianus, Collatione 13. cap. 7. Vbi explicans primum initium vnde incipit: *Gratia* (inquit) *Dei benignitas cum bonę voluntatis in nobis quantamlamcumque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse tanquam de dura silice nostri cordis excusserit, confouet eam, & exuscitat, suaque inspiratione confortat.* Et cap. 8.

Cum

Cum in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse. Et cap. 11. *Cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit statim, dirigit, & confortat, &c.*

Vnde S. Prosper libro contra Collatorem cap. 13. eundem errorem tribuit Cassiano, ait enim: *De his, quæ iam donatis sibi viribus facit, vult illa munire, quę ei naturaliter inesse definit, vt quod est per adiutorium Dei perfecisse, hoc sit per arbitrij libertatem cępisse.* Verum est quod idem Prosper in fine eiusdem libri contra Collatorem escusat Cassianum à peccato, quamuis eius sententiā damnet; quia non ita erat tunc discussa, sicut est nunc, quando pluribus diffinitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum veritas est definita.

S.Prosper.

S. Prosper excusat Cassianū a peccato licet eius doctrinam damnet.

III. Faustus Regiensis.

Eodem errore fuit infectus Faustus Regiensis, vt ex his, quæ disputatione secunda de auxilijs dicta sunt, cōstat. Nam in c. 7. lib. 1. de gratia, & lib arb. ait: *Opera cū fide a cōfirmatis, requirit, ita tamē; vt credulitatis affectū proficiētibus augeat, & laborātibus adiutor quotidianus adsistat.* Et in eodem cap. 7. rationem assignat, *Vt per quandam voluntatis ansulam, & comprehendi, & attrahi valeat, qui vocatur.* Quod etiam magis explicat his verbis: *Assistenti, & vocanti Domino famulus manum fidei, qua attrahatur extēdit, & dicit, Credo Domine, adiuua infirmitatem meam.*

IV.

Dubium tamen non dissimulandū se offert in præsēti: Vtrum Semipelagiani etiam errauerint, quia dixerunt, Deum, post quam sua excitante gratia hominem præuenit, expectare eius voluntatem, vt purgari velit.

Pro explicatione huius difficultatis, & vt titulus quæstionis manifestus fiat, & id, de quo est controuersia, intelligatur, notandum, quod dupliciter potest intelligi, Deum expectare nostram voluntatem. Primo quidem, vt nos sua vocatione, & gratia excitante præueniat; ita nimirum, vt ante eandem gratiam præcedant opera naturæ, petendo, quærendo, pulsando, &c. quorum

Deum expectare nostram voluntatem, vt purgari

velit dupliciter potest intelligi.

rum intuitu, Deus primam gratiam excitantem nobis tribuat,& in hoc sensu nulla est controuersia inter modernos,& antiquos Theologos;omnes enim Catholici vnanimi consensu fatentur; Deum in hoc sensu voluntatem nostram non expectare, vt purgari velimus, vt ex supradictis constat. Secundus sensus est,quod Deus etiam postquam sua præuenienti gratia excitante, & vocante nos præuenit,expectet concursum, & liberam determinationem, & cooperationem nostræ voluntatis,vt nobiscum per suam gratiam adiuuantem concurrat ad piam operationem, ad quam per gratiam excitantem nos vocauit; ita videlicet vt quamuis concursus Dei per gratiam adiuuantem,& concursus liberi arbitrij ad piam operationem simul tempore existant,& coexistant: nihilominus Deus expectat eundem concursum liberi arbitrij, vt nobiscum concurrat, ac per consequens ordine naturæ prius intelligatur concursus liberi arbitrii,vt ab eius innata libertate procedit,quã intelligatur cõcursus Dei per gratiam adiuuantem; ita videlicet, vt ista causalis sit vera; Quia liberum arbitrium concurrit,Deus sua gratia adiuuante concurrit. Hæc autẽ sit falsa:Quia Deus per gratiam adiuuantẽ cõcurrit;ideo voluntas humana simul cõcurrit cũ Deo ad eundem actum, & in hoc sensu est controuersia inter modernos Theologos: Vtrum,postquam Deus excitauit nostram voluntatem, expectet eius concursum, vt per gratiam adiuuantem simul tempore concurrat.

V.

Deum expectare nostram voluntatem, vt purgari velimus, qualiter quidam intelligant. Suarez Prologomeno 5. c. 6. n. 7. & sequen.

Prima ergo sententia est asserentium,quod solum in primo sensu Deus non expectat nostram voluntatem, vt purgari velimus. In secundo autem sensu affirmãt,nostrum conatum,& influxum liberum esse natura priorem,seu quod Deus illũ expectat,vt per gratiam suam adiuuet voluntatem nostram ad consentiendum,& impugnant oppositũ asserentes argumentis sequentibus.

Cõc. Arau.

Primo. Nam opposita sententia nulllum habet fundamentum in dictis Cassiani,vel Fausti, aut in his omnibus,quæ ex Concilio Arausicano, aut ex Sanctis Augustino, Prospero, & Hylario de hoc errore dixerunt: sed potius ex illis colligitur contrarium. Nam Concilium Arausicanum Canone tertio 6. & 7. & sequentibus

tibus per initium salutis, aut fidei non explicat solum concursum; vel conatum voluntatis, cum operante, & cooperante gratia, sed aliquem actum, vel affectum humanum, sine his gratijs factum, qualis est inuocatio humana, desiderium aliquod salutis, electio, labor, & similia: & è contrario in Canon. 5. per initium fidei intelligit credulitatis affectum, qui ex inspiratione diuina concipitur. Neque comparat in eodem actu conatum volūtatis ad concursum Dei: sed vnum actum ad alium, vel alios distinctos, & damnat dicentes, actum naturalibus viribus factum esse rationem obtinendi gratiam, aut fidem. Neque damnat dicentes talem actum fieri sine concursu Dei, aut prius elici à voluntate, quam fiat à Deo; quia nimirum neutrum legimus dixisse Massilienses: sed damnat eos, qui, cum dicerent, tales actus fieri solis viribus liberi arbitrij (quod non excludit generalem concursum Dei) dicebant, esse causam, & principium salutis, & fidei, seu gratię, quæ esset res distincta à tali actu, & effectus illius meriti.

Secundo. Idem probat ex Concilio Tridentino Sessione 6. cap. 5. vbi volens tradere doctrinam contrariam Semipelagianorum errori, docet initium salutis sumi à vocatione antecedente omnia merita, & reipsa distincta à concursu libero voluntatis. Ponebant ergo Massilienses hoc principium vel meritū in aliquo actu, qui à nobis fiat cum solo Dei concursu, nec comparabant illa duo inter se, nec de hoc fuit vnquam controuersia inter illos & Patres. Quod etiam aperte ostendunt verba Augustini lib. de Prædestinatione Sanctorū cap. 2. quibus explicat punctum controuersiæ, in quo Galli nondum à Pelagianis discedebant. Et ex verbis Prosperi, & Hilarij, qui semper referūt huiusmodi actus; velle, credere, inuocare, velle sanari, & similia, quæ significant actus ipsos, quos dicebant fieri à libero arbitrio sine adiutorio gratiæ, & in illis ponebant tale meritū, & gratiam retributam talibus actibus ponebant in alio nobiliori effectu, vel dono ab ipsis actibus distincto, ad quod recipiendum dicebant, præpari voluntatem prioribus actibus naturaliter elicitis. Et hoc ipsum euidenter declarant Cassianus, & Faustus in suis sententijs.

V L. Concil. Trident.

S. August.

tijs. Ego quid quid aliud eis attribuitur, voluntariè excogitatum est.

VII. Tertio. Quia Massilienses nunquam distinxerunt in ipso voluntario cõsensu conatum liberi arbitrij à cooperatione Dei, vt illum dicerent, esse priorem, & rationem alterius, & ideo illum vocauerint initium salutis ex parte nostra. Nam præterquam, quod nihil tale in eorum scriptis reperitur, nec de illis relatum inuenitur, illud ipsum etiam ipsi naturali lumine rationis repugnat; ideoque sine magno fundamento, & euidentia verborum illis attribuendum non esset. Quo circa à Patribus non arguuntur dixisse, initium salutis, vel fidei esse ex nobis, quia dicerent, influxum liberi arbitrij in consensum esse priorem cooperatione Dei, sed quia dicebant, illum actum fieri à nobis ex nobis, idest, sine præuia interna gratia, & inspiratione, ac illuminatione diuina præparante voluntatem.

VIII. Concil ũ Arausicanum. Quarto idem probat ex intentione Concilij Arausicani: nam in hoc sensu tantũ damnat asserentes Deũ expectare voluntatem hominis, in quo id dixerunt Massilienses, & Semipelagiani. Cum enim intenderet reliquia Pelagianorum extinguere, in sensu illis contrario loqui debuit: sed Massilienses intelligebant Deum expectare voluntatem hominis, vt se præparet suis viribus ad præuenientem gratiam, qua vocantur ad fidẽ, aut pœnitentiam, vel quod grauius est, vt ipsam salutẽ gratiæ, & perfectionem recipiat, ergo in hoc tantum sensu damnatur illa propositio in Canone 4. eiusdem Concilij.

Quinto idem probatur ex testimonijs scripturæ quibus idem Concilium suam doctrinam confirmat; Nam primum testimonium est illud Prouer. 16. *Pręparatur voluntas à Domino*. Quod de præparatione, quam solus Deus facit, intelligit Augustinus quæst. 2. ad Simplic. Nam hominis etiam est præparare cor, vt dicitur Prouerb. 16. Vnde nobis dicitur: *Pręparate corda vestra Domino*. 1. Reg. 7. Hæc autem præparatio secunda fit ab homine cum Deo, & gratia eius cooperante: illa vero prior quæ antecedit, fit à solo Deo per gratiam excitantem, seu vocationem, vt ibidem ait Augustinus

(margin: August. — Prou. 16. — 1. Reg. 7.)

stinus,& libro de prędestinatione Sanctorum cap. 6.& 16. & contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. & 9. & lib. 2. de peccat merit. & remiss. cap. 18. De hac ergo prępatatione per solam Dei præuenientem gratiam loquitur illud Concilium, cum docet Deum non expectare hominis voluntatem. Aliud testimonium, est illud ad Philippenses 2. *Deus est, qui operatur in nobis, & velle*, &c. Quod etiam facit Deus per congruam vocationem, vt eisdem locis Augustinus exponit,pręsertim dicta quæst. 2. ad Simplic. Itẽque libro de bono perseuer. cap. 13. & libro de gratia, & libero arbitrio cap.16.& 17. Ergo secundum doctrinam Concilij, Deus non expectat hominem,nondum vocatum, vt illum vocet; hominem autem iam supernaturaliter excitatum,& vocatum expectat Deus,vt libere consentiat,& ad vlteriorem gratiam se disponat. Philiph.2. August.

IX. Secunda sententia est pręcedenti opposita multorũ Thomistarum asserentium,quod neque in primo, neque in secundo sensu expectat Deus nostram voluntatem,vt purgari velimus, quam sententiam pro viribus defendere curaui disput. 95. de auxilij,& disputat. 97. & tribus sequentibus, & nunc oppositis non obstantibus in eadem sententia persistendum esse censeo. Pro cuius maiori explicatione, supponendum est primo, quod, vt disput. 82. de auxilijs ostensum est,gratia adiuuans,& cooperans,in quantum cooperans est,ordine rationis,& causalitatis,præueniens, seu præmouens liberum arbitrium, & eius determinationem ad consensum,& non solum simultaneè,seu constantaneè cum eodem arbitrio in suam operationem influens, quod in eadem disput. multis rationibus,& auctoritatibus scripturæ, atque Concilij Trideutini probaui, quæ ibi poterint videri. Quod etiam aperte colligitur ex his,quæ disp. 95. de auxilijs dicta sunt.

Gratia adiuuans in quantum adiuuans qualiter sit præueniẽs.

X. Secũdo supponendũ est,ꝙ supposita gratia excitãte, cõsensus,vel cooperatio lib.arb.nõ est primo incoãda. etiã physicè à volũtate creata,sed à volũtate,& causalitate diuina, quæ per auxiliũ efficax gratię adiuuantis efficit,vt eadẽ volũtas se libere determinet ad cooperãdũ,& cooperaĩ cũ eadẽ gratia,id ꝙ dis.98.& 100.de Aux.

Deus per auxilium efficax efficit,vt volũtas se libere determinet ad piũ actum.

ex professo comprobaui, & lib. 4. responsionum c. 6. & 7. Ex quo etiam sequitur per euidentem consequentiam, istam causalem esse veram; Quia homo præuentus gratia excitante adiuuatur à Deo ad piè operandū, & libere; ideo libere, & pie operatur. Istam vero causalem esse falsam; Quia homo præuentus gratia excitante vult conuerti; ideo adiuuatur à Deo, & conuertitur, quod etiam multis rationibus probaui disput. 99. de auxilijs, & argumentis in contrarium obiectis pro viribus satisfacere curaui.

XI. Dicendum est ergo, Massilienses, & forsitan aliquos Pelagianos, etiam in hoc errasse, quia dixerunt, determinationem, & cooperationem arbitrij creati cum gratia adiuuante esse priorem ordine naturæ, quam influxus ejusdem gratiæ adiuuantis, ac per consequens in eadem pia operatione dicebant priorem esse creatum arbitrium: Deum autem posteriorem, secundum ordinem naturę.

Voluntatē nostram non expectat Deus, etiam postquam nos excitauit.

Nos autem existamus, concursum Dei esse ordine naturæ priorem concursu creatæ voluntatis quatenus videlicet, per gratiam adiuuantem, seù efficacem verè efficienter, siuè ad modum causę physicæ mouet voluntatem creatam, vt libere, & infallibiliter consentiat, & cooperetur cum Deo.

XII. Probatur hæc sententia ex Concilio Arausicano 2. in quo errores Pelagianorum, & Massiliensium damnati sunt. Nam in cap. 3. sic legitur: *Si quis, vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti. Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* In quo decreto ponderanda sunt testimonia scripturæ, quibus id probat sacrum Concilium. Nam illud Prouerb. 8. *Præparatur voluntas à Domino*, non debet solum intelligi de pręparatione remota, quæ tempore antecedit instans iustificationis: sed præcipue intelligitur etiam de præparatione proxima, qua in eodem instanti iustificationis

Concil. Arausic. *Cap. 3. expenditur.* Prouer. 8. Philiph. 2.

volun-

voluntas creata præparatur à Domino per auxilium efficax gratiæ adiuuantis, per quod Deus efficit, vt voluntas creata eliciat actum contritionis, quo proximè ad iustificantem gratiam se præparet, vt in alijs locis Scripturæ ab arguente inductis habetur: Sensit ergo Concilium prius esse ordine naturæ, quod Deus per gratiam adiuuantem efficiat, quod homo se præparet per eandem contritionem ad infusionem gratiæ, quam quod voluntas humana eandem præparationem eliciat, cooperando cum Deo.

XIII. *Lib. arb. se mouet motum à Deo.*

Itaque, sicut liberum hominis arbitrium se mouet, motum tamen à Deo prius natura, eo quod non est simpliciter primum liberum, sed sub potestate constitutum primi liberi simpliciter, quod est Deus: ita proporsionabiliter se præparat proxime ad gratiam iustificantem consequendam, præparatum prius à Deo per auxilium efficax gratiæ adiuuantis. Quod & Sanctus Augustinus in Enchiridion. ad Laurentium cap. 32. probat ex illo ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis; sed Dei miserentis*. Vbi, vt notaui disput. 85. de auxilijs num. 3. impugnans quandam explicationem eorum qui asserebant, propterea dictum esse non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia videlicet ex vtroque fit simul natura, idest ex voluntate hominis, & misericordia Dei, infert è contrario etiam recte dici posse, non miserentis est Dei; sed volentis est hominis; quia id misericordia Dei sola non implet, quod tamen esse falsum his verbis ostendit: *Porro si nullus Christianus dicere audebit, nō miserentis est* Dei, *sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat, vt propterea dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* In quo testimonio ponderandum est illud verbum: *Vt totum* Deo *detur*, & illud, *qui voluntatem hominis præparat adiuuandam*. Nam primum verbum clare significat, liberum concursum creatę voluntatis cum gratia adiuuante esse effectum Dei, & eiusdem gratiæ, quatenus per illam Deus efficit, quod liberum arbitrium consentiat gratiæ

August.

Deo totum esse dandū qualiter intelligatur.

exci-

excitanti,& cooperetur cum adiuuante,alias non esset totum Deo tribuendum:sed aliquid reseruandum libero arbitrio pro innata, & naturali eius libertate;quod quidem non sit acceptum à Deo in genere causæ verè efficientis, quod tamen non est admittendum : licet enim non producat solus Deus actum pium absque libera cooperatione,& influxu creati arbitrij : solus tamen Deus est,qui per gratiam adiuuantem,seu efficacē facit,quod voluntas creata libere,& infallibiliter consentiat,& cooperetur cum Deo,vt disput.100. de Auxilijs ostensum est.

X I V. August. Sequentia quoque verba Augustini videlicet, *Qui hominis voluntatem præparat*, &c. id ipsum confirmant ; quia non possunt interpretari,neque intelligi de sola præparatione remota,quæ fit per gratiam excitantem. Hæc enim præparatio reperitur in peccatore , qui remote prçparatur,vt purgetur à peccato, quia tunc voluntas eius non est simpliciter bona,cum adhuc peccato mortali sit infecta,& à Deo habitualiter auersa, ergo loquitur Augustinus de præparatione volũtatis,qua in eodem instanti iustificationis præparatur à Domino, quæ quidem præparatio fit etiam per gratiam adiuuantem . In eodem quippe instanti temporis voluntas est bona simpliciter,vt pote cum gratia iustificante coniuncta .

X V. Secundus etiam locus scripturę sacrę, quo Arausicanum Concilium probat , quod Deus non expectat nostram voluntatem,vt purgari velimus, sententiam nostram apertius cõfirmat;quia videlicet secundum Apostolum ad Phillppen. 2. *Deus est,qui operatur in nobis velle , & perficere* , quibus verbis reddit rationem sacrum Concilium,propter quam *Deus* non expectat voluntatem nostram , vt purgari velimus ; quia videlicet Deus in nobis , atque nobiscum operatur ipsum velle purgari . Manifestum est autem , quod causa efficiens non expectat suum effectum : sed potius illum causat , vt ex principijs Philosophiæ constat. Sentit ergo Concilium , quod etiam postquam Deus nostram excitauit voluntatem,non expectat consensum eius, & cooperationem , qua vult purgari ; ergo in illo Canone damnantur

Philip. 2.

nantur etiam Massilienses, eo quod senserint gratiam adiuuantem, quæ ab excitante distinguitur, non esse præuiam ordine rationis, & causalitatis, sed solum comitem humanorum meritorum, sicut asseruit Faustus Regiensis lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. 12. & 17. cuius verba sunt adducta disput. 2. de auxiliis num. 4. Et quidem in hoc etiam errore fuisse Massilienses constat ex Sancto Prospero in Epistola ad Augustinum, vbi Pelagianæ hæresis reliquias commemorans, hunc etiam errorem illis tribuit, cum ait: *Nec considerant, se gratiam Dei, quam comitem, non præuiam humanorum volunt esse meritorum: etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præuentas:* quo nihil clarius dici potuit pro nostra sententia aperte namque significat. S. Prosper sententiam Massiliensium fuisse gratiam Dei adiuuantem esse comitem humanorum meritorum, nõ autẽ præuiam ordine videlicet rõnis, & causalitatis.

Faustus Regiensis

S. Prosper.

Secundo probatur alijs testimonijs Sancti Augustini desumptis etiam ex libris, quos aduersus Pelagianos composuit. Etenim libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. refert Iulianum dixisse: *In bono opere à Dei gratia super adiuuari, tanquam sua voluntate nulla Dei gratia bonum opus aggressus in ipso bono opere diuinitus adiuuetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ*. Et in fine eiusdem capitis expendens illud Ioannis 15. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* aduertit, quod *non ait duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere volũtatem*. Ergo secundum August. nullo modo creata voluntas præcedit Dei trahentis auxilium efficax. Ergo non potest, neque debet concedi, quod voluntas creata in instanti, quo purgatur homo à peccato, præcedat aliquo modo operationem, & concursum Dei trahentis. Ergo concursus creatæ voluntatis, non est prior ordine naturæ: sed posterior concursu, siue influxu gratiæ adiuuantis: quod etiam in verbis sequentibus magis ostendit sanctus Augustinus, cum subdit: *Quis trahitur, si iam volebat, & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit,* ab

XVI. August.

Ioan. 15.

S. August.

ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Sentit ergo

Deus qualiter faciat ex nolentibus volentes.

Augustinus, quod voluntas creata non est volens prius natura, quam per gratiam adiuuantem, & operationem Dei trahentis fiat volens; alias Deus non faceret homines ex nolentibus volentes, sed ex volentibus prius natura efficeret perfectius volentes, seu quod idem est, volentes prius natura ex innata libertate faceret supernaturaliter volentes. Vnde idem Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 5. & 6. eos acriter impugnat; quia dixerunt, *Gratiam quoque adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere.* Et cap. 9. eiusdem libri ait: *Quid ergo, quod in consequentibus, vbi ea quę ipsi sentiunt commemorant, dicunt se confiteri gratiam quoque adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere? Hoc quippe ita dicunt, velut homo à seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum, studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adiuuari Dei gratia subsequente.*

August.

Quibus verbis aperte docet, Pelagianos concessisse gratiam adiuuantem subsequentem ad determinationem creatæ voluntatis, quam Semipelagiani comitem appellarunt; & Sanctus Augustinus, iuxta mentem Pelagianorum, appellat *pedissequam*. Et in fine eiusdem libri expendens illud Psal. 76. *Et dixi, nunc cœpi;* aduertit, quod *cum dixisset nunc cœpi: non ait, hęc mutatio arbitrij mei: sed dextera excelsi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, ab initio bonæ mutationis suę vsque in finem consumationis; vt qui gloriatur in Domino glorietur: Quia sicut nemo potest bonum incohare sine domino, sic nemo perficere sine domino.*

Psal. 76.

XVII. Solutio.

Respondebunt fortasse, hæc Diui Augustini testimonia solum procedere aduersus Pelagianos, qui dixerunt absque vlla præueniente gratia excitante voluntatem hominis viribus proprijs habere bonum propositum, & primo inchoare opus pium, & posterius natura Deum adiuuare voluntatem ad idem opus perficiendum: De his enim loquitur S. Augustinus in locis inductis.

ductis. At vero Semipelagiani nihil tale dixerunt,nam re vera concesserunt præuenientem gratiam, non solũ esse necessariam ad perficiendum: sed etiam ad incipiẽdum quodlibet opus bonum,vt referunt Prosper, & Hilarius Epistolis ad Augustinum, & ipsemet Augustinus libro de prædestinat. Sanctorum cap. 2. Vnde absque vllo errore dicere potuerũt, quod Deus postquam præuenienti gratia excitauit hominem, expectat eius voluntatem,seu consensum, vt purgari velit, nam sicut dicit August. *Qui fecit te sine te,non saluabit te sine te*, idest sine tua voluntate, & consensu: Sed hęc solutio, licet ex parte verum contineat, quatenus asserit,quod absque libera determinatione, & cooperatione creati arbitrij Deus non producit in nobis aliquam operationem liberam; nihilominus ex eo deficit, quoniam post gratiam excitantem, ponit operationem piam inchoari ab innata libertate arbitrij prius natura, quã à Deo per gratiam adiuuantem; & ita gratiam adiuuantem, inquantum est adiuuans,non esse præuenientem,quod tamen non est admittendum. Nam Concilium Trid. sess. 6. de iustificat. c. 5. agens de iustificationis exordio ait: *Esse necessarium vt qui per peccata à* Deo *auersi erant,per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo,& cooperando disponantur. Vnde in sacris litteris cum dicunt: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis nostræ admonemur, cum respondemus: conuerte nos Domine ad te, & conuertemur,* Dei *nos gratia pręueniri confitemur*. Quibus verbis aperte docet, gratiam illam, qua Deus actualiter nos conuertit, esse præuenientem, ergo determinatio, & cooperatio liberi arbitrij est effectus Dei, & gratiæ adiuuantis in genere causæ efficientis: ergo postquam Deus nos excitauit, non expectat nostram voluntatem,aut liberum eius concursum,vt purgari velimus,nam causa efficiens non expectat suum effectum:sed illum efficit,vt supra dictum est.

Prosper. Hilarius. August.

Impugnatio.

Concil. Trident.

Zac. 1. Ioelis 2. Tren. 4.

XVIII. Alia euasio

Si rursus dicatur, quod concursus Dei per gratiam adiuuantem, & concursus liberi arbitrij à se inuicem dependent,vt sint,vel non sint,nam posito vno concur-

su supponit simul,& alius,& cessante vno concursu,cessat etiam alius, & ideo nulla prioritas naturæ reperitur in vno concursu respectu alterius, quæ similiter è conuerso non reperiatur in alio, & propterea concursu simultaneo influunt in effectum, & nullus concursus est præuius, etiam ordine naturæ comparatione alterius. Contra hoc est argumentum,nam Deus per gratiam adiuuantem influit immediate in nostram voluntatem eam mouendo efficaciter ad piam operationẽ, & mediate voluntate influit simul cum illa in eandem operationem; vt disp. 18. & 91. de Auxilijs ostensum est. Ergo concursus Dei per gratiam adiuuantem non potest proprie loquendo pendere à concursu nostri arbitrij: sed potius è conuerso concursus eiusdem arbitrij pendet ex operatione,& concursu Dei per gratiam adiuuantem. Nec obstat, quod vtrique concursus simul tempore ponantur in rerũ natura,& cessante vno concursu, cesset pariter & alius. Ex hoc enim solum sequitur,quod simul tempore existant, & etiam desinant esse; non tamen ex hoc infertur, quod Dei concursus per gratiam adiuuantem, non sit prior ordine naturæ, nam prioritas naturæ non est prioritas in quo: sed à quo, vt supra dictum est.

Impugnatio.

XIX. Denique probatur nostra sententia, nam si daretur semel Pelagianis,& eorum reliquijs, quod libera determinatio,& concursus liberi arbitrij est prior natura, quam concursus Dei per gratiam adiuuantem;ita nimirum,vt ista causalis esset vera; Quia homo vult: Deus vult. Quia homo concurrit ad piam operationem,Deus concurrit,magna ex parte suum intentum fuissent consequuti;nam circa istam causalem fuit controuersia potissima Sancti Augustini cum Pelagianis, & eorum reliquijs,vt apertissimis eius testimonijs, & Sancti Prosperi probaui disputat. 99. & 101. de auxilijs. Hac enim causali semel admissa procedit argumentatio Sancti Augustini inferentis ex dictis Pelagianorum, & Massiliensium gratiam secundum merita nostra dari;nam,vt ipse ait lib. de prædest. Sanctorum cap. 2. *Quis dicat eum,qui iam cœpit credere,ab illo in quem credidit nihil mereri;vnde fit, vt iam merenti cætera dicantur ad-*

Augusti: potissima controuersia, cum Pelagianis quæ fuerit. Augusti.

di

di retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Ergo si post gratiam excitantem voluntas ex sua innata libertate, est quæ, prius natura, incipit piam operatinnem, per quam vltimate disponitur ad iustificationem, & posterius natura Deus concurrit per gratiam adiuuantem ad eandem operationem, iam gratia adiuuans daretur ex debito incipienti illud opus, ac per consequens gratia adiuuans non esset gratia, & consequenter etiam cessaret Pelagianorum, & sequacium argumentum potissimum, quo ausi sunt negare necessitatem præuenientis gratiæ, qua Deus facit, nos velle piè operari; quia non intelligebant, vel intelligere nolebant, qualiter per eandem gratiam non destrueretur creati arbitrij libertas. Si enim voluntas creata est, quæ physicè primo incipit operationem piam, & quæ primo se determinat ad illam, & gratia adiuuans sequitur ordine naturæ, & comitatur concursum voluntatis, quomodo poterant Pelagiani aliqua ratione apparenti dicere, quod per illam gratiam adiuuantem tollitur libertas creati arbitrij? Quin potius è cōtrario merito inferre poterat, per eundē modū cōcurrēdi gratiæ adiuuātis, Dei libertatē, quę sūma est, & perfectissima, potius auferri, quia Deus tūc nō posset aliud facere, neque ad aliū actū concurrere cū lib. arb. creato, nisi ad illū duntaxat ad quē voluntas creata se vult determinare. Ex quo rursus sequeretur, quod Deus nō operaretur omnia secundū consiliū volūtatis suæ, quod est cōtra Apostolū; nā potius operaretur act⁹ nostros liberos, secundū consiliū, & determinationē volūtatis creatæ.

Libertas Dei tolli iuxta per Massilienfium errorem.

XX. *Aliud effugium.*

Nec satis est respōdere, quod voluntas creata nō incipit prius natura illud opus ex virib⁹ proprijs absq; omni prorsus auxilio præueniētis gratiæ; nā vt supponit, iā præcessit in illo gratia excitās, cui⁹ virtute volūtas creata opus illud primo inchoat, & posterius natura Deus influit in illud per gratiā adiuuantē. Hęc .n. solutio nō videt satisfacere; nā gratia illa excitās, nō cōcurrit physicè ad piā operationē, ad quā suadēdo mouet voluntatē, vt lib. ref. c. 4. probaui. Ergo si volūtas est, quæ in piā operationem, quæ est vltima dispositio ad iustificationem, prius natura, influit quā per gratiam adiuuantē moueatur ad illam, sequitur, quod ex sola innata libertate

Impugnatio.

absque vlla prorsus gratia præueniente, quæ sit principium, vel comprincipium physicum, incipiat illam operationem. Ex quo rursus sequeretur, quod si potuit incipere, potuit & perficere; hoc enim argumento vtitur Sanctus Augustinus contra Semipelagianos libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. cum ait: *Redditur hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœpta fides aucta: nec attenditur, cum hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum debitum istam mercedem credentibus imputari. Cur autem non totum tribuatur homini, vt qui sibi potuit instituere, quod non habebat: ipse, quod instituit, augeat omnino non video.* Et infra concludit, quod iuxta Semipelagianorum doctrinam: *Homo quasi componat cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod est elatius, primam tollit, sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* Quibus verbis manifeste docet, Massilienses asseruisse, priorem esse hominem, posteriorem Deum in eodem actu perfecto fidei, quæ ex concursu pendet vtriusque. At Sanctus Augustinus cap. 3. eiusdem libri expresse docet, causalitatem, & operationem Dei, etiam in eodem actu esse priorem ordine naturæ, quam concursus creatæ voluntatis; nam Deus est causa efficiens, quod voluntas concurrat, & libere concurrat, vt lib. 4. responsionum cap. 6. probatum est.

Aug. argumentum contra Semipelagianos.

XXI.

Concil. Arausic.

AD primum argumentum patet ex dictis, quam magnum fundamentum habeat nostra sententia in Canone illo 4. Arausicani Concilij, & in his quæ Sancti Augustinus, Prosper, & Hilarius referunt circa sententiam Pelagianorum, & Massiliensium, quam impugnat; nam licet Concilium Arausicanum, & Tridentinum in aliquibus decretis damnent Pelagium, & eorum reliquias, eo quod dixerint opera naturæ præcedere gratiam excitantem, & adiuuantem, & esse quoddam initium licet imperfectum illius: non tamen constat, quod illud initium, & meritum imperfectum, posuerint semper in actibus diuersis ab illis; quos per gratiam excitantem, vel adiuuantem producunt; quin potius mul-

totics

toties asseruerunt, actum inceptum ex solis viribus naturæ, & illum qui gratia subsequente perficitur, esse vnum, & eũdem actum numero; qui à principio fuit im perfectus, & post modum per gratiam adiuuantem per fectus efficitur; nam ille actus potuit continuari per aliquod tempus, in cuius initio Pelagiani errando poterant dicere, quod actus inceptus solis viribus naturæ erat meritum gratiæ adiuuantis, per quam idem actus in sui continuatione perficitur: id quod non obscure colligitur ex verbis Augustini, & Prosperi superius inductis, & ex dictis Cassiani, & Fausti relatis disputat. 2. de Auxilijs.

1 Imò addendum est, quod etiam si actus imperfectus, in quo Pelagiani posuerunt primum initium gratiæ ad iuuantis, duraret solum per instans, quod aliqui existimarunt esse possibile, adhuc esset locus, vt errando potuisset dicere, illum actum esse primum initium eiusdẽ gratiæ, ac per consequens gratiam illam adiuuantem secundum merita nostra dari; quia non est necessarium simpliciter, quod meritum, & præmium verum, vel existimatum sint in diuersis instantibus; ita vt meritũ tem pore antecedat præmiũ: sed sufficit, quod meritum ordine naturę antecedat præmium, vt euidenter constat in augmento habitus gratię, & charitatis supernaturalis, quod quidem augmentum meretur homo per actum charitatis, vt diffinit Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificat. Canon. 32. & tamen saltem quando actus charitatis est intensior habitibus præexistentibus gratiæ, & charitatis, meritum illius augmenti, & præmium simul existunt in eodem instanti temporis, & sola prio ritas naturæ, quæ est in actu illo meritorio, cum alijs requisitis ad meritum sufficit, vt augmentum illud detur in præmium eiusdem actus. Ergo ad meritum præ sertim imperfectum, quale Pelagiani, & Semipelagiani posuerunt in natura comparatione gratiæ adiuuantis impertinens est, quod in diuersis actibus constituatur, quorum vnus sit meritum gratię adiuuantis à qua pro cedit alius actus posterior: sed sufficit, quod idem actus imperfect', q asserit à Pelagianis, esse meritũ adiuuãtis sit natura prior, quãuis sit in eodem instanti tẽporis;

XXII.

Meritum, & premiũ esse posũt in eodem instãti tem poris.

Conciliũ Tridẽnt.

Ergo

Ergo absque fundamento asseritur, concilium Arausicanum, & S. Augustinum, & Prosperum necessario fecisse comparationem inter vnum actum, & alium, quando impugnauerunt Pelagianos, asserentes gratiam secundum merita nostra dari, nam talis comparatio non erat necessaria.

XXIII. Secundo respondetur ad argumentum, quod in alijs decretis Concilium Arausicanum, & Tridentinum non obscure docet gratiam excitantem, & adiuuantem esse distinctam, & vtramque præuenientem esse, ac per consequens concursum gratiæ adiuuantis, quatenus influit in liberum arbitrium, vt in causam illud mouentem ad piam operationem, esse priorē ordine rationis, & causalitatis determinatione, & concursu liberi arbitrij in eundem actum. Vnde in hoc etiam Pelagiani, vel Semipelagiani errare potuerunt, asserētes etiam post quam Deus nos excitauit expectare nostram voluntatem, vt purgari velimus.

XXIV. Nec tamen per hoc cōcedimus, actum liberū in quo Pelagiani posueruut meritum gratiæ adiuuantis prius fieri in se ipso à voluntate; quam fiat à Deo, nam simul illum efficiunt: sed addimus, concursum voluntatis non esse prius naturæ, quam Dei concursum, sed potius è cōuerso, concursum Dei, quatenus per gratiam adiuuantē, qua ratione est adiuuans, influit in voluntatē illam efficienter mouendo ad actum fidei, & alios pios actus esse ordine rationis, & causalitatis priorem actuali determinatione, & concursu creatæ voluntatis in eosdē actus pios.

XXV. Ad secundum respondetur. Quod Semipelagini non semper ponebant præmium præcedentis meriti in actibus distinctis numero ab actu illo imperfecto naturæ, quem asserebant esse primum initium, & meritum gratię adiuuantis, aut etiam iustificantis, vt alij dixerunt; sed sufficit, quod sit realis distinctio inter illum actum naturæ, quem asserebant esse primum initium gratiæ, & gratiam ipsam, quæ, secundū illos dabatur in præmiū; licet gratia ipsa perficeret eundem numero actum, & conatum solis viribus naturæ inceptum. Id quod ex verbis illis Cassiani colligitur: *Qui cum in nobis ortū quendam*

Collat. 13. cap. 8.

dam

dam bona voluntatis conspexerit illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse. Et cap. 11. *Nam cũ videt nos Deus ad bonũ velle deflectere, occurrit, dirigit, atq; confortat. Ad vocẽ clamoris tui statim, vt audierit respondebit tibi. Statim* (inquit) *& confestim*, non expectando alium actum, quẽ perficiat distinctũ realiter ab eo, qui fuerat solis viribus naturę inceptus. Ergo sensus Cassiani fuit, quod idem numero actus solis viribus naturæ inceptus confortabatur per gratiam excitantem, vel adiuuantẽ, & perficiebatur. Id ipsũ colligitur, ex S. Prospero epist. ad Aug. Nam referens Massiliensium errores ait: *Consequens putant, vt quia prauaricator; ideo dicitur non obedisse; quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus fuisse, quia voluit. Et quantum quisque ad malũ; tantum habet facultatis ad bonum, parique momento se; vel ad vitia, vel ad virtutes mouere. Quem bona appetentẽ gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta suscipiat: fouere* autẽ per gratiam excitantẽ, & adiuuantẽ opera naturæ est; eadem met opera numero solis viribus naturæ incepta cõseruare, & perficere per gratiam subsequentẽ: nam tunc proprie loquendo aliquis actus fouetur, quando idẽ numero conseruatur, & perficitur, nam si post modũ producatur alius actus distinctus numero, ille prior non fouetur proprie loquendo, cũ necessariũ sit, quod desinat esse, vt alius actus specie distinctus, aut numero producatur ab eadẽ potentia. Et per hæc patet solutio ad tertium argumentum. S. Prosper. *Fouere aliquid quid sit.* *Ad 3. arg.*

XXVI. Ad quartum respondetur, intentionem Cõcilij Arausicani satis constare ex supra dictis. Docere quippe intendit Deum, etiam post quam nos excitauit, non expectare nostrã voluntatẽ, vt purgari velimus, quoniã per gratiam adiuuantẽ efficit, vt velimus, vt supra dictũ est.

Ad quintũ respondetẽ. Quod ex eisdẽ locis Scripturæ sacrę, quæ Arausicanũ Cõc. adducit, ad suũ Decretũ cõprobandũ satis perspicue ostendit Deũ nõ expectare nostrã volũtatẽ, vt purgari velim⁹, etiã post quã nos sua gratia excitãte præuenit, vt ex supra dictis colligi potest.

His suppositis, quæ ad errorem Pelagianorum, & Massilien-

silienſium circa neceſſitatem gratiæ pertinere videbantur, agendum eſt de viribus naturalibus liberi arbitrij, præſertim hominis lapſi ante receptionem gratiæ ad faciendum bonum naturalis ordinis, & vitandum malũ circa quod ſunt ſex per ordinẽ conſideranda.

Primo. Vtrum homo in natura lapſa eaſdem prorſus vires habeat ad operandum bonum, & vitandum malum, quam ſi in puris naturalibus conditus fuiſſet.

Secundo. Vtrum ſi homo fuiſset conditus in puris naturalibus, potuiſset ex ſolis viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia, vt eſt vltimus finis naturalis.

Tertio. Vtrum in natura lapſa poſſit homo ex ſolis viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia ſimpliciter dilectione naturali.

Quarto. Examinanda ſunt, & diſcutienda teſtimonia Doctorum, quæ pro parte affirmatiua referuntur.

Quinto. Vtrum liberum arbitrium cum ſolo concurſu Dei generali atritionem, & contritionem, quo ad ſolam actus ſubſtantiam elicere valeat.

Sexto. Vtrum homo lapſus poſſit ex ſolis viribus naturæ ſuperare quamcumque grauem tentationẽ, quam pro ſeruanda in quocumque inſtanti lege naturali, neceſsarium ſit vincere.

Septimo. Vtrum naturalis dilectio Dei ſuper omnia ſimpliciter, & originale peccatum, vel actuale eſse ſimul poſsint in eodem ſubiecto.

CAPVT IV.

Vtrum homo in natura lapſæ eaſdem prorſus vires habeat ad operandum bonum, & vitandum malum, quam ſi in puris naturalibus conditus fuiſſet.

1. Anc difficultatem pertractaui diſput. 45. & 47. de Auxilijs: ſed vt ſatisfaciam quibuſdam obiectionibus nouiter excogitatis, iterum operoſius eſt agendum de illa.

Suarez. Pater Suarez tomo primo de gratia, Prologomeno 4. cap. 8. & lib. 1. de neceſſitate gratiæ cap. 8. &

& lib. 1. de necessitate gratię cap. 8. partem defendit affirmatiuam, in cuius explicatione dicit duo.

Dicit primo: Communis, & vera sententia est, naturales vires hominis, vel liberi arbitrij, quoad gradum, seù perfectionem, quam in statu puræ naturæ haberet, non fuisse diminutas in natura lapsa ex vi solius peccati originalis: sed solum quo ad robur, & integritatem, quam à iustitia originali accipiebat. *Primum dictum habetur in Prologomeno citat. n. 45*

Dicit secundo: Intrinsece non esse potentiorem hominem in vno statu, quam in alio, & pro vtroque dicto allegat quam plurimos Doctores, tam antiquos, quam modernos, etiam ex Thomistis, sed quid re vera senserit circa istam difficultatem inferius discutiendum est, & eorum legitimus sensus ex verbis ipsis, & contextu eruendus est. Probat autem vtrumque dictum sequentibus argumentis. *Cap. 28 citat. nn. 8.*

II.

Primo; quia sine dubio hæc est sententia Diui Thomæ, nam 1. p. q. 95. art. 1. ait, naturalia mansisse in homine integra post peccatum, & in hoc ęquiparat hominem Angelis lapsis. De quibus dixit Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus, in eis naturalia mansisse integra post peccatum. Item etiam eadem 1. p. q. 87. art. 7. dicit: *Hominem amisisse iustitiam originalem, & suę naturę fuisse relictum*. Quid enim aliud est relictum esse suæ naturæ, nisi relictum esse cum omnibus viribus, & perfectionibus, quas seclusa iustitia originali, humana natura ex se, seu ex naturali conditione postulat, & habere potest? Hæc autem omnia, & sola sunt, quæ homo in pura natura posset habere; Ergo ex sententia Diui Thomæ, in hoc est æqualitas, inter hominem lapsum, & purum. S. Thom. Dionys.

Secundo arguit ex Concilijs, & patribus, qui totam cõmutationem in deterius factam per eius peccatum originale docent sitam esse in amissione originalis iustitię, & aliorum donorum supernaturalium; ita exponit illam cõmutationem in deterius Concilinm Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali dicens: *Primum hominem Adam cum mandatum domini in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*; & inde concludit Concilium Trident.

cludit

cludit, incurrisse iram, & indignationem Dei, mortem & captiuitatem sub potestate dæmonis, ac denique hoc modo *secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse*. Tota ergo illa commutatio posita fuit in amissione sanctitatis, iustitiæ, & perfectionum, quæ ab illis proueniebant, quibus omnibus etiam homo in puris naturalibus caruisset.

III. Chrysost. Gen. 3. Confirmatur auctoritate Sancti Chrysostomi Homilia de Cruce Domini tomo 3. vbi exponens illud Gen. *Adam vbi es?* ait: *Non quod ignoraret Deus, sed quia post persuasionem diaboli, qui ei promiserat deitatem, & inuenit nuditatem, dicit ei: Vbi es?* Hoc est, de qua dignitate ad quale dedecus deductus es? quia manducasti de ligno scientię boni, & mali, remansisti homo vtique nudus, seu nudatus propter pręuaricationem, vt statim subiungit. Et sic etiam Homil. 26. in Genesim: *Cognouerunt* (ait) *quod nudi essent, nudati propter peccatum superna gratia amictu, & sensibilis sua spoliationis sensum acceperunt*, quibus verbis aperte declarat, commutationem illam primi parentis in deterius consistere in sola amissione iustitiæ originalis, & aliorum donorum, quæ fuerant naturæ superaddita: Ergo quantum ad vires naturales eodem modo remansit, ac si nũquam habuisset dona illa. Idem docet Ambrosius lib. secundo de Iacob, & vita beata cap. quinto, & libro de Helia, & Ieiunio capite quarto, & libro de Isaac, & anima capite quinto, Augustinus libro nono Genesis ad litteram cap. decimo, & libro vndecimo cap. 31. Vbi etiam per solam ablationem, & desertionem diuinę gratiæ explicat defectum lapsæ naturæ. Et Prosper contra Collatorem capite decimo nono: *Natura humana* (inquit) *in prima præuaricatione, nec substantiam amisit, nec voluntatem, sed lumen, & decorem virtutum, quibus fraude inuidentis exuta est.*

IV. Tertio argumentatur ratione. Intrinseca diminutio perfectionis, aut virium alicuius rei, vel naturæ, aut potentiæ solum potest duobus modis fieri. Vnus est per subtractionem alicuius realis, ac physicę perfectionis talis naturę, siue illa sit ablatio integra alicuius quali-

tatis,

tatis, siue remissio, siue nimia intensio, per quam ægritudo fiat, seu similis conuenientis dispositionis, aut tēperamenti dissolutio. Alter modus esse potest per additionem alicuius habitus, vel qualitatis disconuenientis naturæ inclinantis illam ad malum eius, vel quid simile. In homine autem lapso neutrum horum reperitur, comparatione facta ad hominem in puris naturalibus: Ergo nullo modo habet diminutas vires ad bene operandum magis, quam essent in homine puro. Maior traditur à Diuo Thoma prima parte quęst. 48. artic. 4. in corpore, ad 3. & 1. 2. quæst. 85. artic. 1. & 2. Vbi duobus tantum modis ait, posse peccatum diminuere bonum naturæ, scilicet, per subtractionem, & per appositionem. Minor quo ad primam partem probatur; quia nec substantia animæ, nec intellectus, nec voluntas, nec aliæ facultates naturales per subtractionem diminui possunt in seipsis, nec remitti; neque corpus in suo temperamento, aut organum sensuum, vel aliarum virium naturalium ex vi solius peccati originalis alterationem aliquam passum est, per quam vires eius ad aliquid operandum diminutæ fuerint, vel immutatæ in debita proportione, & dispositione accommodata ad operandum eo modo, quo pura natura postulat. Quo ad secundam vero partem probatur, nam per originale peccatum nulla qualitas morbida, vel aliquid aliud impressum est naturæ humanę, per quod impotens redderetur ad operandum totum illud, quod poterat in pura natura. Ergo

Quarto idem confirmat in hunc modum: Omnis difficultas interna bene operandi ex peccato originali suborta, prouenit, vel ex ignorantia intellectus, vel ex concupiscentia fomitis, vel ex corporis mortalitate, seu corruptibilitate: sed hæc tria non sunt maiora in natura lapsa, quam essent in pura natura, licet diuersam originem in hoc statu habeant, quam in illo: Ergo nec difficultas bene operandi est maior, sed solum erit ex diuersa radice, & sub distincta ratione. Maior clara est ex doctrina Diui Thomæ prima secundæ quæstione 85. articulo tertio V.

ex præsenti discursu magis constabit. Minor, quod nõ proueniat ex ignorantia intellectus probatur; Quia per peccatum originale nulla ignorantia prauæ dispositionis in nos transfunditur: sed ignorantiæ negationis, & priuationis, quatenus nascitur homo absque vlla specie intelligibili: sed eius intellectus est à principio tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, vt dicit

Aristot. Aristot. Quod vero non proueniat ex concupiscentia, probatur; Quia nunc per originale peccatum solum ablati sunt omnes habitus, & omnia Dei auxilia, quibus appetitus sensitiuus continebatur sub ratione, quod

S.Thom. etiam videtur docere S. Thomas quęst. 4. de malo art. 2. præsertim ad 4. sed in pura natura idem esset appetitus sensitiuus, eademque carentia donorum omnium, ac subinde eadem impugnatio, & eadem sensibilia obiecta. Ergo etiam ex hac parte non potest esse maior difficultas in vtroque statu, neque minor rebellio carnis ad spiritum. Si dicatur id prouenire ex intrinseco defectu ipsius voluntatis, vt libera est, vt videtur colligi ex Concilio Arausicano cap. 1. & 25. vbi dicitur liberum arbitrium fuisse viribus attenuatum, & inclinatum; contra hoc arguit

Quinto. Præter formalem culpam, quæ inest animę, quod ad vires operandi attinet, non magis fuit per peccatum vulnerata voluntas, quam intellectus, vel cuiuscumque facultatis obiectum, & actus: omnes enim vulneratæ fuerũt per solam subtractionem originalis iustitiæ iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 85. art. 3. Ergo libertas voluntatis non aliter læsa est intrinsecè circa boni operationem, nisi quia fuit priuata charitate, & virtutibus inclinantibus ad bonum. Tota autem hæc læsio libertatis est solum per comparationem ad naturam integram, & iustitia vestitam; non vero per comparationem ad naturam puram, & nudam. Ergo.

VI. His tamen non obstantibus recedendum non est à sententia, quam disput. 47. de Auxilijs præmisi. Pro cuius maiori explicatione recolenda sunt, quæ dixi disput. 45. & 46. de effectibus originalis peccati, & vulneribus naturæ humanæ per idem peccatum illatis, à quibus nisi per gratiam Domini nostri Iesu Christi

sti

sti liberari non potest. Vnde Apostolus, vt ad amorem & reuerentiam nominis illius omnes fideles induceret, & ab eo sperarent vires ad diligendum Deum, & præcepta eius implendũ, toties in suis Epistolis magna cũ reuerentia, & humilitate illum nominat; nam, vt notauit Georgius Ederus in sua Economia Bibliorum libro 4. tabula 128. ex Bartholomeo Laurente Neomagensi, nomen *Iesu Christi*, seù *Christi Iesu*, vel seorsum *Christi* quadringentis, & sexaginta vicibus nominauit.

Ederus. *Pauli reuerentia erga nomen Iesu Christi.*

DIcendum est ergo, in natura lapsa non habere hominem easdem vires ad bonum faciendum, & malum fugiendum, quas habiturus esset in pura natura. Hanc sententiam probaui multis rationibus disput. 47. de Auxilijs; quas non oportet in præsenti repetere, sed solum attingere, & confirmare, atque obiectionibus, quæ in contrarium afferuntur, respondere.

In natura lapsa non habet homo easdem vires naturales quas habuisset in pura natura.

VII.

Primo ergo probatur ratione Sancti Thomæ 1. 2. q. 85. art. 1. vbi in argumento sed contra probat, quod per peccatum minuatur bonum naturæ quantum ad inclinationem ad virtutem, ex eo, quod dicitur Lucæ 10. *Homo descendens à Ierusalem in Ierico*, idest, *in defectum peccati, expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus*, vt Beda exponit. Et eadem est explicatio Ambrosij lib. 7. in Lucam, & August. lib. de natura, & gratia cap. 7. sentit ergo minorem inclinationem ad bonum habere hominem in natura lapsa, quam habuisset in pura natura. Ibi enim non fit sola comparatio inter hominem in natura lapsa, & integra: sed etiam intelligitur facta comparatio inter hominem lapsum, & inter hominem ante lapsum, siue prius natura fuerit integra, siue pura; hoc enim est per accidens in ordine ad effectus subsequutos per originale peccatum, vel mortale; quod etiam indicant illa verba: *Quem etiam despoliauerunt* alias frustra fuissent addita in illa parabola, *& plagis impositis abierunt semiuiuo relicto*. Sentit ergo sanctus Thomas, hominem natura lapsa differre ab homine in pura natura, in eo, quod in pura natura non fuisset homo semiuiuus, nec plagis affectus ab inimicis illatis, & per consequens in natura lapsa minores vires ad bonum habere, quam habuisset in pura natura

Habetur in Glossa ordinaria super istum locũ.

ra

ra. Hanc rationem prosequitur Gregorius in 2. senten. distinct. 30. q. 1. art. 2. Hæc autem ratio potissime procedit de originali peccato, per quod fuit tota natura spoliata gratuitis donis, & in naturalibus vulnerata, atque in deterius commutata. Item etiam idem S. Thom. art. 1. allegato in corpore expresse dicit, quod ipsa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum, quod etiam repetit articulo secundo.

VIII. *Solutio.* Respondet Suarez S. Thomam illis in locis solum loqui de peccato actuali, seu mortali, quatenus per illud generatur habitus prauus, per quē liberum arbitrium inclinatur ad actus contrarios virtuti oppositos, quod probat ex ratione, quam deducit ad probandum, quod naturalis inclinatio ad virtutē diminuitur per peccatū, quia videlicet, per actus humanos fit quædam inclinatio ad similes actus. Ex hoc autem, quod aliquid inclinatur ad vnum contrariorum diminuitur inclinatio eius ad aliud. Vnde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonū naturæ mediate, quatenus videlicet per multiplicatos actus generatur habitus vitiosus virtuti contrarius, quod etiam indicat in solutione ad 3. & ad 4.

IX. *Impugnatio.* Sed tamen Sanctus Thomas de vtroque peccato loquitur in toto articulo, tum de peccato originali, de quo procedit ratio facta in argumento, sed contrarium etiam de peccato actuali, de quo specialiter procedit ratio corporis articuli. Præterea in solutione ad primum explicans illud Dionysij cap. 4. de Diuinis nominibus: Bona naturalia in dæmonibus manent integra post peccatum, inquit, quod *Dionysius loquitur de bono primo naturæ, quod est esse, viuere, & intelligere*, innuens eodem modo esse intelligenda verba Dionysij applicata hominibus post peccatum, siue sit originale, siue actuale. Et in solutione ad 2. inquit, quod *natura secundum se non variatur propter variationem voluntariæ actionis: sed ipsa inclinatio variatur ex illa parte, quę ordinatur ad Deum*. Hæc autem variatio etiam habet locum in originali peccato, per quod manet homo auersus à Deo, & eius inimicus, quam tamen deor-

deordinationem, non haberet homo in pura natura; alias talis deordinatio esset intrinsecè congenita cum natura secundum se, & per consequēs tribueretur Deo, quod est impossibile.

Præterea articulo 2. eiusdem quæstionis in corpore explicans qualiter per peccatum minuatur bonum naturæ, ait quod *diminuitur secundo modo, idest ex parte termini, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum*. Et idem dicit in solutione ad primum. Hoc autem impedimentum non solum prouenit ex mortali peccato actuali: sed etiam ex originali, per quod manet homo habitualiter deordinatus, & auersus à Deo, vt dictum est. Ergo X.

Denique articulo tertio enumerat quatuor vulnera ex peccato consequentia, quæ sunt infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia, & expresse ait, esse inflicta toti naturæ humanæ per originale peccatum, quod probat in argumento, sed contra ex auctoritate Bedæ supra inducta, & in corpore idem his verbis confirmat: *Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturę ex peccato primi parentis: sed quia inclinatio ad bonum virtutis in vno quoque diminuitur per peccatum actuale, vt ex dictis patet, etiam ista sunt quatuor vulnera ex alijs peccatis consequentia in quantum scilicet per peccatum, & ratio hebetatur, precipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & maior difficultas bene agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.* Et refert se ad ea, quæ dixit art. 1. ad 2. eiusdem quæstionis. Ergo in his articulis non solum intelligitur de diminutione inclinationis naturalis ad bonum virtutis proueniente ex peccatis actualibus, aut ex habitibus prauis: sed etiam de illa, quæ prouenit ex originali peccato. *Artic. 1. & 2.*

Secundo probatur. Nam ex paritate rationis id ipsum conuincitur, quia non minus auertit à Deo tanquam ab vltimo fine originale peccatum, quam actuale: Ergo deordinatio circa vltimum finem, quam inducit actuale peccatum, inducit etiam peccatū originale: sed ex deordinatione circa vltimum finem naturaliter consurgit maior difficultas exequendi ea, XI.

quæ

quæ ad finem ordinantur. Cum ergo in pura natura nõ esset deordinatio circa vltimum finem, relinquitur, quod in natura lapsa sit maior difficultas, & consequenter minores vires ad operandum bonum, & fugiendum malum; quam essent in pura natura.

Prima solutio. Hanc rationem dissoluere conatur auctor duplici solutione. Respondet primo. Valde probabile esse, peccatum originale, vt contractum ex Adamo, sicut nõ conuertit hominem ad bonum commutabile, iuxta sententiam Diui Thomæ; ita nec auertere à bono incommutabili, vt est finis naturalis; quia hæc auersio non potest fieri per puram priuationem: sed per contrariam conuersionem; & ita non procedit argumentum, quia dicitur peccatum originale solum auertere à Deo fine supernaturali, & ita non minuere naturalia, quantum ad id quod ex se habent: sed solum quo ad perfectionẽ, quæ ex conuersione ad Deum finem supernaturalem, & dona gratuita, quæ ratione illius dabantur, illis adiungebantur.

XII. *Secunda solutio.* Respondet secundo, dato antecedente, scilicet, quod peccatum auertat etiam à fine naturali, negandam esse consequentiam. Et rationem assignat; nam illa auersio non est aliqua forma physica, nec priuatio realis alicuius perfectionis connaturalis naturæ: sed est velut quædam relatio ad præcedentem actum prauum, vel moralis quędam habitudo, & quasi denominatio ab illo: quæ moralitas, licet hominem reddat inuisũ Deo, & odio dignum, non tamen auget, vel minuit per se inclinationem ad bonum, vel malum, sed solum quatenus habitum, vel realem aliquam dispositionem relinquit.

XIII. *Impugnatur prima solutio.* Sed neutra solutio satisfacit. Contra primam quippe est efficax argumentum. Per originale peccatũ mansit homo deordinatus, & auersus ab illo fine, in ordine ad quem fuerat per originalem iustitiam, & habitualem gratiam rectificatus: sed per originalem iustitiam fuerat rectificatus in ordine ad finem naturalem, & per gratiam habitualem, in qua fuit conditus, erat rectificatus in ordine ad finem supernaturalem: ergo per originale peccatum fuit ab vtroque fine auersus: alias originale peccatum non priuaret ex toto rectitudine integra

grę naturæ, quam habebat per iustitiam originalem, & gratiam habitualem: sed solum ex parte, quod non videtur congruere doctrinæ Conciliorum, & Patrum. Vnde sententia illa non debet probabilis reputari.

Contra secundam vero solutionem est argumentum: Peccatum originale inducit in animam veram maculam, quæ est priuatio nitoris gratiæ, & originalis iustitiæ, vt 1. 2. disput. 171. & 174. dictum est: propter quam quidem maculam homo efficitur, vere, & realiter inimicus Dei, & inuisus illi; per solam autem relationem ad actum præteritum non constituitur homo formaliter inimicus Dei: ille vero qui est inimicus Dei, & ab illo auersus, tanquam ab vltimo fine, non habet easdem vires ad diligendum Deum super omnia, & referendũ se, & omnia sua in illum, tanquam in vltimum finem, quam si esset cõstitutus in pura natura, in qua õn esset inimicus Dei, neque auersus ab illo, tanquam ab vltimo fine. Etenim deordinatio circa vltimum finem reddit hominem imbecillem, & minuit eius vires, ad exequendum ea, quę ad illum finem ordinantur, sicut error circa prima principia speculatiua minuit vires speculatiui intellectus ad deducendas conclusiones (finis .n. in practicis habet se, vt prima pricipia in speculatiuis) imò ex eisdẽ principijs erroneis sæpius contingit, quod inferat falsas conclusiones: Ergo. XIV. *Impugnatur secunda solutio.*

Tertio probatur: Qui est semiuiuus, & magnis plagis affectus, nõ habet easdem vires ad operandum, quas habuisset, si non fuisset infirmatus, & penè mortuus: sed in natura lapsa est homo semiuiuus, & multis plagis à latronibus (hoc est à dæmonibus) affectus: Ergo non habet easdem vires ad bonum faciendum, & malum fugiendum, quas habuisset in pura natura, in qua non fuisset his incommodis affectus. XV.

Respondet Auctor: De his vocibus metaphoricis ita loquendum esse, sicut Theologi loquuntur de illis nudus, vel nudatus, priuatus, vel non habens. Nam homo in statu puræ naturæ eandem carentiam indumenti iustitiæ, quam habet nunc homo lapsus, haberet, ac subinde eandem nuditatẽ; Quia vero in statu puræ naturæ illam carẽtiã sẽper habuisset, nõ diceretur nudatus, *Suarez eodem c. 8. num. 20.*

ſed nudus: nunc autẽ dicitur nudatus, quia fuit aliquando veſtitus. Et ſimiliter nũc dicitur priuatus, tum propter eandem rationem, tum etiam quia cenſetur habere proximam capacitatem illius iuſtitiæ iuxta diuinæ prouidentiæ inſtitutionem. In pura vero natura ſolũ dici poſset carere, vel non habere iuſtitiam, quaſi per ſimplicem negationem, & remotam capacitatem. Sic etiam tunc eandem quidem diſsolutionem, ſeu diuiſionem inter appetitus haberet, illa vero non habuiſset rationem vulneris, quia nunquam habuit contrariam vnionem, & quaſi copulationem. Nam ſignificat terminum vulnerationis, vulneratio autem non fit, niſi per actionem, qua diſsoluuntur quæ prius vnita fuerant. Et eadem ratio eſt de metaphora ſemiuiui. Nam propter vulnera dicitur homo ſauciatus, & ſemiuiuus relictus, quia etiam vox illa ſemiuiuus relictus declarat, prius habuiſse hominem pleniorem, & saniorẽ vitam, quam per culpam, & ſubſequentia vulnera ita perdidit, vt ſemiuiuus relictus eſse dicatur, quod non haberet locum in homine creato in puris naturalibus, quia nec in illo præceſſiſset illa vitæ perfectio, neque peccatum ex vi illius ſtatus.

XVI. In hac tamen ſolutione multa inuoluũtur, quæ indigent non modica diſcuſſione. Et in primis exemplum adductum de homine nudo, & nudato, non eſt quantum ad omnia ſimile, nec explicat exacte parabolam illam de homine, qui incidit in latrones; nam homo dicitur nudus in pura natura, & nudatus in natura lapſa, comparatione iuſtitiæ originalis, qua homo indutus erat in natura integra, non autem eſset in pura natura. Vnde illa ſimilitudo de homine nudo, & nudato, ſolum explicat id, quod dicitur in illis verbis parabolæ, *Quem etiam deſpoliauerunt*, veſte videlicet iuſtitiæ originalis, & aliorum donorum ſpiritualium: ſed in parabola aliquid amplius dicitur de illo homine, qui incidit in latrones; ſubiungitur enim: *Et plagis impoſitis abierũt ſemiuiuo relicto*. Non ergo fuit homo per peccatum ſolum ſpoliatus, vel nudatus: ſed etiam vulneribus magnis, & plagis affectus.

XVII. Illud vero, quod de vulnerato, & plagato dicitur homine

mine in parabola, & semiuiuo relicto, conuenire non potest, neque adaptari homini in pura natura: sed solū in natura lapsa. Nam inter vulnera eidem illata per peccatum est deordinatio voluntatis, & eius auersio ab vltimo fine, quæ tamen non esset in pura natura. Item etiam per suggestiones dæmonum, qui significantur per latrones, inferuntur homini plagæ quam plurimæ, dum eos vehementissimis tentationibus ad peccatum pertrahunt, ne ad beatitudinem, quam ipsi amiserunt, per Dei gratiam perueniant. Huiusmodi autem tentationes dæmonum in pura natura non fuissent, vel saltim non essent ita vehementes, nam cum in illo statu non esset homo ad beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, ordinatus, dæmones parum curarent de fœlicitate, quam posset habere homo in pura natura, qualiscumque illa fuisset, de qua tamen 1. 2. disput. 14. plura dicta sunt. Accedit quòd tentationes, & suggestiones dæmonū sunt præternaturales à Deo permissæ, vt exerceat homines in actibus virtutū, & magnū præmiū acquirant dū viriliter illis resistunt, vt ex Tridentino constat, quod quidē non haberet locū in pura natura. Nam in illo statu solū cōpeterēt homini per diuinā prouidētiā ea, quæ ipsi naturæ rationali deberent; tentationes autem dæmonum non sunt debitæ creaturæ rationali.

Dæmones significantur per latrones.

Tentationes dæmonum in natura lapsa sunt vehementiores.

Concil. Trident.

Vltimo probatur nostra sententia. Nam Concilia, & Patres docēt, hominē per originale peccatū fuisse infirmatū, sauciatū, attenuatū viribus, & in deterius cōmutatū. Quod quidē non solū debet intelligi de cōmutatione in deterius ab eo statu, quem habebat in natura integra, vt prætēdit Auctor præallegatus, sed etiā ab illo, quem habuisset in pura natura, vt constat ex rationibus superius factis. Nam aliàs nō fuisset homo per originale peccatum à Deo auersus, vt à fine supernaturali, & naturali, sicut in pura natura non esset auersus, quod tamen concedi non potest. Hæc autem omnia patebūt amplius ex solutionibus argumentorum. XVIII.

AD primum argumētum ex auctoritate Sancti Thomę re pōdetur, quod Sāctus Doctor expresse docet nostrā sententiā locis superius allegatis, per quæ intelligi debēt, & explicari alia, quæ in primo argumento ad- XIX.

originali peccato subsequuta.

Ad Quintum respondetur, voluntatem multo magis corruptam fuisse per originale peccatum, & læsam, quam intellectum, vt expresse docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. artic. 2. ad 3. vbi ait: *Magis est natura humana corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni; quam quantum ad cognitionem veri.* Hæc autem læsio libertatis naturæ lapsæ, non solum attenditur per comparationem ad naturam integram, sed etiam comparatione puræ naturæ, & nudæ propter rationes superius assignatas.

CAPVT V.

Vtrum si homo fuisset conditus in puris naturalibus, potuisset ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, vt est vltimus finis naturalis.

I. Suarez.



ARTEM negatiuam defendit Pater Suarez lib. 1. de necessitate gratiæ cap. 36. vbi sententiam, quam docui lib. 6. de Auxilijs disput. 51. dubio vltimo, vehementer impugnat, & ait, quod homo creatus in puris naturalibus non magis posset per solas vires arbitrij diligere super omnia Deum, vt finem naturæ, etiam pro breui tempore; quàm nunc possit homo lapsus. Probat suam sentẽtiam sequentibus argumentis.

Primo. In vtroque statu haberet homo easdem prorsus vires naturales ad diligendum Deum finem naturæ, & eius mandata obseruandum, cum per peccatũ solum fuerit expoliatus gratuitis donis, non autem in naturalibus vulneratus: sed in natura lapsa solis viribus naturalibus non potest diligere Deum super omnia dilectione absoluta, & efficaci, etiam pro breui tempore; neque habere propositum absolutum seruandi omnia mandata obligantia ad mortale, vt supra ostensum est: Ergo etiam

etiam in puris naturalibus, non posset elicere eundem actum dilectionis.

Confirmatur. Nam Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. articulo 3. ex eo probat, hominem lapsum diligere non posse Deum super omnia ex solis viribus propriis; quia est in illo rebellio appetitus sensitiui, & contra bonum rationis pugna, & ideo propter corruptionem naturæ sequitur bonum priuatũ; nisi sanetur per gratiam Dei: sed etiam in puris naturalibus esset in homine eadem rebellio appetitus sensitiui, & pugna contra bonum rationis: Ergo etiam in illo statu non posset diligere Deũ super omnia, nec seruare omnia eius mandata, etiam pro breui tempore. Probatur consequentia. Nam æqualis causa potest, si vult, æqualiter operari; nec potest intelligi, quod vires sint æquales, non solum physicè, sed etiam moraliter, & spectatis omnibus, quæ operationē possunt impedire, vel iuuare, & quod aliquis effectus sit possibilis per tales vires in vno statu, & non in alio. Ergo.

Secundo argumētatur alia ratione desumpta ex Sancto Thoma, quasi à posteriori; nam Sanctus Doctor in tractatu de gratia nihil dixit de homine in puris naturalibus. Signum ergo est, illum sub homine lapso comprehendere secundum rationis paritatem. Neque enim credendum est, vel illum statum hominis ignorasse, vel incompletam doctrinam tradidiss; comprehendit ergo illum sub altero membro hominis integri, aut lapsi. Nō sub priori; alias cum articulo quarto, & octauo dicit hominem integrum potuisse seruare totam legem naturę, & vitare omnia peccata illi contraria, idem de homine puro intelligeret, quod absurdissimum est: Ergo in his quæstionibus, & quo ad hos effectus idem sensisse videtur de homine in puris naturalibus, quod de homine lapso.

Confirmatur. Si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio est causa negationis: sed ratio adæquata, ob quam homo in statu innocentiæ poterat diligere Deum super omnia, & seruare omnia mandata naturalia, erat naturæ integritas, & debita subordinatio appetituum: Ergo carentia huius inte- 11

ex præsenti discursu magis constabit. Minor, quod nõ proueniat ex ignorantia intellectus probatur; Quia per peccatum originale nulla ignorantia prauæ dispositionis in nos transfunditur: sed ignorantia negationis, & priuationis, quatenus nascitur homo absque vlla specie intelligibili: sed eius intellectus est à principio tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, vt dicit

Aristot. Aristot. Quod vero non proueniat ex concupiscentia, probatur; Quia nunc per originale peccatum solum ablati sunt omnes habitus, & omnia Dei auxilia, quibus appetitus sensitiuus continebatur sub ratione, quod

S. Thom. etiam videtur docere S. Thomas quęst. 4. de malo art. 2. præsertim ad 4. sed in pura natura idem esset appetitus sensitiuus, eademque carentia donorum omnium, ac subinde eadem impugnatio, & eadem sensibilia obiecta. Ergo etiam ex hac parte non potest esse maior difficultas in vtroque statu, neque minor rebellio carnis ad spiritum. Si dicatur id prouenire ex intrinseco defectu ipsius voluntatis, vt libera est, vt videtur colligi ex Concilio Arausicano cap. 1. & 25. vbi dicitur liberum arbitrium fuisse viribus attenuatum, & inclinatum; contra hoc arguit

Quinto. Præter formalem culpam, quæ inest animę, quod ad vires operandi attinet, non magis fuit per peccatum vulnerata voluntas, quam intellectus, vel cuiuscumque facultatis obiectum, & actus: omnes enim vulneratæ fuerũt per solam subtractionem originalis iustitiæ iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 85. art. 3. Ergo libertas voluntatis non aliter læsa est, intrinsecè circa boni operationem, nisi quia fuit priuata charitate, & virtutibus inclinantibus ad bonum. Tota autem hæc læsio libertatis est solum per comparationem ad naturam integram, & iustitia vestitam; non vero per comparationem ad naturam puram, & nudam. Ergo.

VI. His tamen non obstantibus recedendum non est à sententia, quam disput. 47. de Auxilijs præmisi. Pro cuius maiori explicatione recolenda sunt, quæ dixi disput. 45. & 46. de effectibus originalis peccati, & vulneribus naturæ humanæ per idem peccatum illatis, à quibus nisi per gratiam Domini nostri Iesu Chri-

sti

sti liberari non potest. Vnde Apostolus, vt ad amorem & reuerentiam nominis illius omnes fideles induceret, & ab eo sperarent vires ad diligendum Deum, & præcepta eius implendũ, toties in suis Epistolis magna cũ reuerentia, & humilitate illum nominat; nam, vt notauit Georgius Ederus in sua Economia Bibliorum libro 4. tabula 128. ex Bartholomeo Laurente Neomagensi, nomen *Iesu Christi*, seu *Christi Iesu*, vel seorsum *Christi* quadringentis, & sexaginta vicibus nominauit.

Ederus. *Pauli reuerentia erga nomen Iesu Christi.*

Dicendum est ergo, in natura lapsa non habere hominem easdem vires ad bonum faciendum, & malum fugiendum, quas habiturus esset in pura natura. Hanc sententiam probaui multis rationibus disput. 47. de Auxilijs, quas non oportet in præsenti repetere, sed solum attingere, & confirmare, atque obiectionibus, quæ in contrarium afferuntur, respondere.

In natura lapsa non habet homo easdem vires naturales quas habuisset in pura natura.

VII. Primo ergo probatur ratione Sancti Thomæ 1. 2. q. 85. art. 1. vbi in argumento sed contra probat, quod per peccatum minuatur bonum naturæ quantum ad inclinationem ad virtutem, ex eo, quod dicitur Lucæ 10. *Homo descẽdens à Ierusalem in Ierico*, idest, *in defectum peccati, expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus*, vt Beda exponit. Et eadem est explicatio Ambrosij lib. 7. in Lucam, & August. lib. de natura, & gratia cap. 7. sentit ergo minorem inclinationem ad bonum habere hominem in natura lapsa, quam habuisset in pura natura. Ibi enim non fit sola comparatio inter hominem in natura lapsa, & integra: sed etiam intelligitur facta comparatio inter hominem lapsum, & inter hominem ante lapsum, siue prius natura fuerit integra, siue pura; hoc enim est per accidens in ordine ad effectus subsequutos per originale peccatum, vel mortale; quod etiam indicant illa verba: *Quem etiam despoliauerunt* alias frustra fuissent addita in illa parabola, *& plagis impositis abierunt semiuiuo relicto*. Sentit ergo Sanctus Thomas, hominem natura lapsa differre ab homine in pura natura, in eo, quod in pura natura non fuisset homo semiuiuus, nec plagis affectus ab inimicis illatis, & per consequens in natura lapsa minores vires ad bonum habere, quam habuisset in pura natu-

Habetur in Glossa ordinaria super istum locũ.

ra

ra. Hanc rationem prosequitur Gregorius in 2. senten. distinct. 30. q. 1. art. 2. Hæc autem ratio potissime procedit de originali peccato, per quod fuit tota natura spoliata gratuitis donis, & in naturalibus vulnerata, atque in deterius commutata. Item etiam idem S. Thom. art. 1. allegato in corpore expresse dicit, quod ipsa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum, quod etiam repetit articulo secundo.

VIII. Solutio. Respondet Suarez S. Thomam illis in locis solum loqui de peccato actuali, seu mortali, quatenus per illud generatur habitus prauus, per quē liberum arbitrium inclinatur ad actus contrarios virtuti oppositos, quod probat ex ratione, quam deducit ad probandum, quod naturalis inclinatio ad virtutē diminuitur per peccatū, quia videlicet, per actus humanos fit quædam inclinatio ad similes actus. Ex hoc autem, quod aliquid inclinatur ad vnum contrariorum diminuitur inclinatio eius ad aliud. Vnde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonū naturæ mediate, quatenus videlicet per multiplicatos actus generatur habitus vitiosus virtuti contrarius, quod etiam indicat in solutione ad 3. & ad 4.

IX. Impugnatio. Sed tamen Sanctus Thomas de vtroque peccato loquitur in toto articulo, tum de peccato originali, de quo procedit ratio facta in argumento, sed contra: tum etiam de peccato actuali, de quo specialiter procedit ratio corporis articuli. Præterea in solutione ad primum explicans illud Dionysij cap. 4. de Diuinis nominibus: Bona naturalia in dæmonibus manent integra post peccatum, inquit, quod *Dionysius loquitur de bono primo naturæ, quod est esse, viuere, & intelligere*, innuens eodem modo esse intelligenda verba Dionysij applicata hominibus post peccatum, siue sit originale, siue actuale. Et in solutione ad 2. inquit, quod *natura secundum se non variatur propter variationem voluntariæ actionis: sed ipsa inclinatio variatur ex illa parte, quę ordinatur ad Deum*. Hæc autem variatio etiam habet locum in originali peccato, per quod manet homo auersus à Deo, & eius inimicus, quam tamen

deor-

deordinationem, non haberet homo in pura natura; alias talis deordinatio esset intrinsecè congenita cum natura secundum se,& per consequẽs tribueretur Deo, quod est impossibile.

Præterea articulo 2. eiusdem quæstionis in corpore explicans qualiter per peccatum minuatur bonum naturæ, ait quod *diminuitur secundo modo, idest ex parte termini, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum.* Et idem dicit in solutione ad primum. Hoc autem impedimentum non solum prouenit ex mortali peccato actuali: sed etiam ex originali, per quod manet homo habitualiter deordinatus,& auersus à Deo, vt dictum est. Ergo X.

Denique articulo tertio enumerat quatuor vulnera ex peccato consequentia, quæ sunt infirmitas,ignorantia,malitia,& concupiscentia,& expresse ait, esse inflicta toti naturæ humanæ per originale peccatum,quod probat in argumento, sed contra ex auctoritate Bedæ supra inducta,& in corpore idem his verbis confirmat: *Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturę ex peccato primi parentis:sed quia inclinatio ad bonum virtutis in vno quoque diminuitur per peccatum actuale, vt ex dictis patet, etiam ista sunt quatuor vulnera ex alijs peccatis consequentia in quantum scilicet per peccatum, & ratio hebetatur, precipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & maior difficultas bene agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.* Et refert se ad ea,quæ dixit art. 1. ad 2. eiusdem quæstionis. Ergo in his articulis non solum intelligitur de diminutione inclinationis naturalis ad bonum virtutis proueniente ex peccatis actualibus,aut ex habitibus prauis:sed etiam de illa, quæ prouenit ex originali peccato. *Artic.1.& 2.*

Secundo probatur. Nam ex paritate rationis id ipsum conuincitur, quia non minus auertit à Deo tanquam ab vltimo fine originale peccatum,quam actuale: Ergo deordinatio circa vltimum finem, quam inducit actuale peccatum,inducit etiam peccatũ originale: sed ex deordinatione circa vltimum finem naturaliter consurgit maior difficultas exequendi ea, XI.

quæ

quæ ad finem ordinantur. Cum ergo in pura natura nõ esset deordinatio circa vltimum finem, relinquitur, quod in natura lapsa sit maior difficultas, & consequenter minores vires ad operandum bonum, & fugiendum malum; quam essent in pura natura.

Prima solutio. Hanc rationem dissoluere conatur auctor duplici solutione. Respondet primo. Valde probabile esse, peccatum originale, vt contractum ex Adamo, sicut nõ conuertit hominem ad bonum commutabile, iuxta sententiam Diui Thomæ; ita nec auertere à bono incommutabili, vt est finis naturalis; quia hæc auersio non potest fieri per puram priuationem: sed per contrariam conuersionem; & ita non procedit argumentum, quia dicitur peccatum originale solum auertere à Deo fine supernaturali, & ita non minuere naturalia, quantum ad id quod ex se habent: sed solum quo ad perfectionẽ, quæ ex conuersione ad Deum finem supernaturalem, & dona gratuita, quæ ratione illius dabantur, illis adiungebantur.

XII. *Secunda solutio.* Respondet secundo, dato antecedente, scilicet, quod peccatum auertat etiam à fine naturali, negandam esse consequentiam. Et rationem assignat; nam illa auersio non est aliqua forma physica, nec priuatio realis alicuius perfectionis connaturalis naturæ: sed est velut quædam relatio ad præcedentem actum prauum, vel moralis quędam habitudo, & quasi denominatio ab illo: quæ moralitas, licet hominem reddat inuisũ Deo, & odio dignum, non tamen auget, vel minuit per se inclinationem ad bonum, vel malum, sed solum quatenus habitum, vel realem aliquam dispositionem relinquit.

XIII. *Impugnatur prima solutio.* Sed neutra solutio satisfacit. Contra primam quippe est efficax argumentum. Per originale peccatũ mansit homo deordinatus, & auersus ab illo fine, in ordine ad quem fuerat per originalem iustitiam, & habitualem gratiam rectificatus: sed per originalem iustitiam fuerat rectificatus in ordine ad finem naturalem, & per gratiam habitualem, in qua fuit conditus, erat rectificatus in ordine ad finem supernaturalem: ergo per originale peccatum fuit ab vtroque fine auersus: aliàs originale peccatum non priuaret ex toto rectitudine integra

griæ naturæ, quam habebat per iustitiam originalem, & gratiam habitualem: sed solum ex parte, quod non videtur congruere doctrinæ Conciliorum, & Patrum. Vnde sententia illa non debet probabilis reputari.

Contra secundam vero solutionem est argumentum: Peccatum originale inducit in animam veram maculam, quæ est priuatio nitoris gratiæ, & originalis iustitiæ, vt 1. 2. disput. 171. & 174. dictum est: propter quam quidem maculam homo efficitur, vere, & realiter inimicus Dei, & inuisus illi; per solam autem relationem ad actum præteritum non constituitur homo formaliter inimicus Dei: ille vero qui est inimicus Dei, & ab illo auersus, tanquam ab vltimo fine, non habet easdem vires ad diligendum Deum super omnia, & referendũ se, & omnia sua in illum, tanquam in vltimum finem, quam si esset cõstitutus in pura natura, in qua õn esset inimicus Dei, neque auersus ab illo, tanquam ab vltimo fine. Etenim deordinatio circa vltimum finem reddit hominem imbecillem, & minuit eius vires, ad exequendum ea, quę ad illum finem ordinantur, sicut error circa prima principia speculatiua minuit vires speculatiui intellectus ad deducendas conclusiones (finis .n. in practicis habet se, vt prima pricipia in speculatiuis) imò ex eisdẽ principijs erroneis sæpius contingit, quod inferat falsas conclusiones: Ergo. XIV. *Impugnatur secunda solutio.*

Tertio probatur: Qui est semiuiuus, & magnis plagis affectus, nõ habet easdem vires ad operandum, quas habuisset, si non fuisset infirmatus, & penè mortuus: sed in natura lapsa est homo semiuiuus, & multis plagis à latronibus (hoc est à dæmonibus) affectus: Ergo non habet easdem vires ad bonum faciendum, & malum fugiendum, quas habuisset in pura natura, in qua non fuisset his incommodis affectus. XV.

Respondet Auctor: De his vocibus metaphoricis ita loquendum esse, sicut Theologi loquuntur de illis nudus, vel nudatus, priuatus, vel non habens. Nam homo in statu puræ naturæ eandem carentiam indumenti iustitiæ, quam habet nunc homo lapsus, haberet, ac subinde eandem nuditatẽ; Quia vero in statu puræ naturæ illam carẽtiã sẽper habuisset, nõ diceretur nudatus, *Suarez eodem c. 8. num. 20.*

 sed

sed nudus: nunc autẽ dicitur nudatus, quia fuit aliquando vestitus. Et similiter nũc dicitur priuatus, tum propter eandem rationem, tum etiam quia censetur habere proximam capacitatem illius iustitiæ iuxta diuinæ prouidentiæ institutionem. In pura vero natura solũ dici posset carere, vel non habere iustitiam, quasi per simplicem negationem, & remotam capacitatem. Sic etiam tunc eandem quidem dissolutionem, seu diuisionem inter appetitus haberet, illa vero non habuisset rationem vulneris, quia nunquam habuit contrariam vnionem, & quasi copulationem. Nam significat terminum vulnerationis, vulneratio autem non fit, nisi per actionem, qua dissoluuntur quæ prius vnita fuerant. Et eadem ratio est de metaphora semiuiui. Nam propter vulnera dicitur homo sauciatus, & semiuiuus relictus, quia etiam vox illa semiuiuus relictus declarat, prius habuisse hominem pleniorem, & saniorẽ vitam, quam per culpam, & subsequentia vulnera ita perdidit, vt semiuiuus relictus esse dicatur, quod non haberet locum in homine creato in puris naturalibus, quia nec in illo præcessisset illa vitæ perfectio, neque peccatum ex vi illius status.

XVI. In hac tamen solutione multa inuoluũtur, quæ indigent non modica discussione. Et in primis exemplum adductum de homine nudo, & nudato, non est quantum ad omnia simile, nec explicat exacte parabolam illam de homine, qui incidit in latrones; nam homo dicitur nudus in pura natura, & nudatus in natura lapsa, comparatione iustitiæ originalis, qua homo indutus erat in natura integra, non autem esset in pura natura. Vnde illa similitudo de homine nudo, & nudato, solum explicat id, quod dicitur in illis verbis parabolæ, *Quem etiam despoliauerunt*, veste videlicet iustitiæ originalis, & aliorum donorum spiritualium: sed in parabola aliquid amplius dicitur de illo homine, qui incidit in latrones; subiungitur enim: *Et plagis impositis abierũt semiuiuo relicto*. Non ergo fuit homo per peccatum solum spoliatus, vel nudatus: sed etiam vulneribus magnis, & plagis affectus.

XVII. Illud vero, quod de vulnerato, & plagato dicitur homine

mine in parabola, & semiuiuo relicto, conuenire non potest, neque adaptari homini in pura natura: sed solũ in natura lapsa. Nam inter vulnera eidem illata per peccatum est deordinatio voluntatis, & eius auersio ab vltimo fine, quæ tamen non esset in pura natura. Item etiam per suggestiones dæmonum, qui significantur per latrones, inferuntur homini plagæ quam plurimæ, dum eos vehementissimis tentationibus ad peccatum pertrahunt, ne ad beatitudinem, quam ipsi amiserunt, per Dei gratiam perueniant. Huiusmodi autem tentationes dæmonum in pura natura non fuissent, vel saltim non essent ita vehementes, nam cum in illo statu non esset homo ad beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, ordinatus, dæmones parum curarent de fœlicitate, quam posset habere homo in pura natura, qualiscumque illa fuisset, de qua tamen 1. 2. disput. 14. plura dicta sunt. Accedit quòd tentationes, & suggestiones dæmonũ sunt præternaturales à Deo permissæ, vt exerceãt homines in actibus virtutũ, & magnũ præmiũ acquirant dũ viriliter illis resistunt, vt ex Tridentino constat, quod quidẽ non haberet locũ in pura natura. Nam in illo statu solũ cõpeterẽt homini per diuinã prouidẽtiã ea, quæ ipsi naturæ rationali deberent; tentationes autem dæmonum non sunt debitæ creaturæ rationali.

Demones significantur per latrones.

Tentationes dæmonum in natura lapsa sunt vehementiores.

Concil. Trident.

Vltimo probatur nostra sententia. Nam Concilia, & Patres docẽt, hominẽ per originale peccatũ fuisse infirmatũ, sauciatũ, attenuatũ viribus, & in deterius cõmutatũ. Quod quidẽ non solũ debet intelligi de cõmutatione in deterius ab eo statu, quem habebat in natura integra, vt prætẽdit Auctor præallegatus, sed etiã ab illo, quem habuisset in pura natura, vt constat ex rationibus superius factis. Nam aliàs nõ fuisset homo per originale peccatum à Deo auersus, vt à fine supernaturali, & naturali, sicut in pura natura non esset auersus, quod tamen concedi non potest. Hæc autem omnia patebũt amplius ex solutionibus argumentorum. XVIII.

AD primum argumẽtum ex auctoritate Sancti Thomę respõdetur, quod Sãctus Doctor expresse docet nostrã sententiã locis superius allegatis, per quæ intelligi debẽt, & explicari alia, quæ in primo argumento adducun- XIX.

ducuntur, illud .n. quod adducit ex 1. par. quæst. 95. art. 1. videlicet naturalia mansisse in homine integra post peccatum, sicut manserunt in dæmonibus secundum Dionysium, idem Sanctus Doctor 1. 2. quæst. 85. art. 1. superius allegato explicat, esse intelligendum de bono primo naturæ, quod est, esse, viuere, & intelligere. Cum vero in quæst. 87. art. 7. dicit, hominem amisisse iustitiam, & suæ naturæ fuisse relictum, intelligitur relictum esse suæ naturæ sauciatæ, & vulneratæ per originale peccatum; non autem sicut esset in puris naturalibus. Non enim intendit Sanctus Thomas docere, quod ita fuerit relictus suæ naturæ, vt non fuerit in naturalibus vulneratus, neque attenuatus viribus, quas habuisset in puris naturalibus; hoc enim est expresse contra eius doctrinam, vt ex præmissis constat. Solum ergo intendit docere, quod fuerit destitutus gratia, & iustitia originali, & sibi relictus, vt experiretur suas vires naturales post peccatum, vt infirmitatem suam, & imbecillitatem agnoscens, ad auxilium diuinæ gratiæ recursum haberet. Sic enim diuina prouidentia præordinatum est, vt Angeli, & homines prius experirentur quid possent per naturam: deinde quid posset per gratiam. Vnde Augustinus: *Saluberrime (inquit) confitemur, sic Deum ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiaque iudicium.*

Augustinus lib. de correptione & gratia cap. 10.

XX. Ad secundum argumentum respondetur, esse quidem verissimum, commutationem hominis in deterius per originale peccatum factam processisse, tanquam ex prima radice, ex priuatione originalis iustitiæ, & aliorum donorum supernaturalium, vt dicit Sacrum Concilium Tridentinum cap. 2. allegato: sed quoniam amissio illorum fuit pœna peccati, quo Adam, & in illo tota natura auersa est à Deo, tanquam ab vltimo fine, ideo ex illa priuatione subsequutū est, quod tota natura habeat sic minores vires ad faciendum bonum, & vitandum malum, præsertim ad diligendum Deum super omnia, etiam, vt est finis naturalis, quam habuisset in pura natura, vt ex supradictis constat. Id quod etiam innuit

Sacrum

Sacrum Concilium Tridentinum in verbis inductis, cũ ait, per illud peccatum incurrisse hominem *iram, & indignationem* Dei, *et captiuitatem sub potestate diaboli*, quod quidem nõ haberet locum in homine puro, quia non esset homo auersus à Deo, tanquam ab vltimo fine, nec sub imperio, & potestate diaboli. Vnde maiores vires naturales tunc haberet ad faciendum bonum, & vitandum malum, quam nunc habeat in natura lapsa. Et per hæc patet responsio ad confirmationem ex auctoritate Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, & Prosperi. *Ad confir.* Addo, quod Augustinus, & Prosper non dicũt, Adamum per peccatum solum incurrisse priuationem originalis iustitiæ, & aliorum donorum supernaturalium. Et si dicerent, illa particula, *solum*, non excludit à necessario concomitantibus.

Ad tertium respondetur, quod maior difficultas, vel impotentia ad operandum bonum, & vitandum malũ est in natura lapsa, quam fuisset in puris naturalibus; prouenit ex auersione à Deo tanquam ab vltimo fine, quæ non fuisset in puris naturalibus, & ex magis effrænata, & vehementiori concupiscentia, & maiori pugna carnis aduersus spiritum, & ex deordinatione circa vltimum finem, & ex suggestionibus, & tentationibus vehementioribus dæmonum, quæ non fuissent in homine puro. Ex his enim causis etiam minuitur naturalis inclinatio voluntatis ad bonum rationi conforme, & procedit maius tædium, quo retrahitur homo à bono virtutis, & inclinatur magis ad bonum sensibile, iuxta illud: *sensus, & cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Sanctus autem Doctor in locis præallegatis solum enumerat causas physicas, per quas bonum naturæ potest minui, in alijs vero locis superius inductis etiam assignat alias causas morales, per quas minuitur naturalis inclinatio voluntatis ad bonum rationis, quæ quidem superius expositæ sunt. XXI. *Genes.*

Ad quartum respondetur similiter, maiorem difficultatem ad bene operandum in natura lapsa, quam in pura natura, prouenire ex causis superius assignatis. Videantur circa istam solutionem, quæ in disputatione 46. de auxilijs dicta sunt, circa vulnera naturæ ex XXII.

ori-

originali peccato subsequuta.

Ad Quintum respondetur, voluntatem multo magis corruptam fuisse per originale peccatum, & læsam, quam intellectum, vt expresse docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. artic. 2. ad 3. vbi ait: *Magis est natura humana corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni; quam quantum ad cognitionem veri.* Hæc autem læsio libertatis naturæ lapsæ, non solum attenditur per comparationem ad naturam integram, sed etiam comparatione puræ naturæ, & nudæ propter rationes superius assignatas.

CAPVT V.

Vtrum si homo fuisset conditus in puris naturalibus, potuisset ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, vt est vltimus finis naturalis.

I. Suarez.



PARTEM negatiuam defendit Pater Suarez lib. 1. de necessitate gratiæ cap. 36. vbi sententiam, quam docui lib. 6. de Auxilijs disput. 51. dubio vltimo, vehementer impugnat, & ait, quod homo creatus in puris naturalibus non magis posset per solas vires arbitrij diligere super omnia Deum, vt finem naturæ, etiam pro breui tempore; quam nunc possit homo lapsus. Probat suam sententiam sequentibus argumentis.

Primo. In vtroque statu haberet homo easdem prorsus vires naturales ad diligendum Deum finem naturæ, & eius mandata obseruandum, cum per peccatū solum fuerit expoliatus gratuitis donis, non autem in naturalibus vulneratus: sed in natura lapsa solis viribus naturalibus non potest diligere Deum super omnia dilectione absoluta, & efficaci, etiam pro breui tempore; neque habere propositum absolutum seruandi omnia mandata obligantia ad mortale, vt supra ostensum est: Ergo etiam

etiam in puris naturalibus, non posset elicere eundem actum dilectionis.

Confirmatur. Nam Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. articulo 3. ex eo probat, hominem lapsum diligere non posse Deum super omnia ex solis viribus propriis; quia est in illo rebellio appetitus sensitiui, & contra bonum rationis pugna, & ideo propter corruptionem naturæ sequitur bonum priuatũ; nisi sanetur per gratiam Dei: sed etiam in puris naturalibus esset in homine eadem rebellio appetitus sensitiui, & pugna contra bonum rationis: Ergo etiam in illo statu non posset diligere Deũ super omnia, nec seruare omnia eius mandata, etiam pro breui tempore. Probatur consequentia. Nam æqualis causa potest, si vult, æqualiter operari; nec potest intelligi, quod vires sint æquales, non solum physicè, sed etiam moraliter, & spectatis omnibus, quæ operationẽ possunt impedire, vel iuuare, & quod aliquis effectus sit possibilis per tales vires in vno statu, & non in alio. Ergo.

Secundo argumẽtatur alia ratione desumpta ex Sancto Thoma, quasi à posteriori; nam Sanctus Doctor in tractatu de gratia nihil dixit de homine in puris naturalibus. Signum ergo est, illum sub homine lapso comprehendere secundum rationis paritatem. Neque enim credendum est, vel illum statum hominis ignorasse, vel incompletam doctrinam tradidisse; comprehendit ergo illum sub altero membro hominis integri, aut lapsi. Nõ sub priori; alias cum articulo quarto, & octauo dicit hominem integrum potuisse seruare totam legem naturę, & vitare omnia peccata illi contraria, idem de homine puro intelligeret, quod absurdissimum est: Ergo in his quæstionibus, & quo ad hos effectus idem sensisse videtur de homine in puris naturalibus, quod de homine lapso.

Confirmatur. Si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio est causa negationis: sed ratio adæquata, ob quam homo in statu innocentiæ poterat diligere Deum super omnia, & seruare omnia mandata naturalia, erat naturæ integritas, & debita subordinatio appetituum: Ergo carentia huius 11

inte-

integritatis est causa, vt non possit homo suis viribus seruare omnia præcepta, & diligere Deum super omnia: sed in puris naturalibus homo careret illa integritate: Ergo etiam careret illa potestate.

Tertio arguit. Tota ratio, ob quam non potest nunc homo lapsus diligere Deum super omnia, est quia non potest longo tempore seruare omnia præcepta naturalia: sed homo etiam in puris naturalibus non posset diu seruare omnia præcepta naturalia: Ergo non poterat Deum simpliciter super omnia diligere absoluto, & efficaci actu. Consequentia tenet ex identitate rationis. Minor autem certa videtur, si ad pręcipuam

Rom. 7. causam illius impotentiæ, quæ est, *Caro concupiscit adversus spiritum*, respiciamus. Vnde quod Paulus ait: *Quis me liberabit de corpore mortis huius*, &c. suo modo cum proportione locum haberet in statu puræ naturæ. Si dicatur, ad diligendum Deum super omnia modico tempore satis esse, modico tempore seruare omnia præcepta. Contra hoc

III. Arguit Quarto. Quia si hoc ita est, etiam in natura lapsa potest homo seruare modico tempore omnia præcepta, vt omnes pro comperto habent; quia fieri potest, vt modico tempore non occurrant graues tentationes contra præcepta negatiua, neque tot occurrant affirmatiua, vt sine magno grauamine seruari non possint: Ergo illo breui tempore poterit homo lapsus ęque Deum diligere, ac homo in puris naturalibus.

Quinto. Amor simpliciter, & absolutè Dei super omnia non sistit in tempore, pro quo durat, sed extenditur ad totum futurum tempus per absolutum propositum seruandi semper pręcepta, quod habere non potest suis viribus, qui non potest diù seruare omnia præcepta: sed in puris naturalibus non poterat homo longo tempore seruare omnia Diuina præcepta; Ergo in eodem statu non poterat diligere Deum super omnia, sicut nec in natura lapsa.

Sexto arguit contra potissimum fundamentum nostræ sententiæ, quod erat huiusmodi. Homo in puris naturalibus teneretur diligere Deum super omnia, vt est vltimus finis naturę, nam hoc præceptum est con-

genitum

genitum cum natura: Ergo poterat diligere Deum super omnia; alias teneretur ad impossibile: sed implere non poterat hoc præceptum ex auxilio gratiæ; nam supponitur in illo statu nullum esse auxilium præuenientis gratiæ supernaturalis: Ergo poterat præceptum illud implere ex solis viribus naturæ pro aliquo paruo tempore. Contra istam rationem arguit. Primo retorquendo argumentum contra nostram sententiam. Ponamus, hominē in puris naturalibus creatum prius, quam vllum actum dilectionis Dei eliciat, peccare mortaliter, verbi gratia per furtum: certe ille homo propter peccatum non fuit liberatus ab obligatione præcepti naturalis diligendi Deum: imò tunc potest instantius obligari propter offensam commissam: sed postquam ille creatus in puris naturalibus incidit in peccatum mortale, non poterat diligere Deum super omnia ex solis viribus naturæ: ergo nec antea, dum erat in puris naturalibus. Minor probatur. Nam quòd nunc præcesserit iustitia, & integritas naturæ, quam abstulit peccatum originis, nihil refert; quia eandem auferret peccatum puri hominis, si in subiecto inuenisset: in reliquis vero peccatum æque auertit à Deo, & maculat animam: Ergo incredibile est, illum hominem iam lapsum potuisse perfectius diligere Deum suis viribus, quàm nunc valeat homo lapsus.

IV. Confirmatur. Licet in puris naturalibus nullum esset auxilium ordinis supernaturalis poterat tamen homo in illo statu, faciendo quod in se est, ad diligendum Deum super omnia obtinere à Deo aliquod auxilium ordinis naturalis, accommodatum eidem dilectioni Dei super omnia, & virtute eiusdem auxilij sic Deum diligere, vt est vltimus finis naturalis: sicut in natura lapsa faciendo quod in se est ex viribus naturæ, potest obtinere à Deo auxilium speciale præuenientis gratiæ, quo præceptum illud impleat: Ergo sicut nunc homo non potest ex solis viribus naturæ implere præceptum dilectionis Dei super omnia absque speciali auxilio supernaturalis ordinis: ita etiam in puris naturalibus non poterat implere illud præceptum absque speciali auxilio naturalis ordinis eidem dilectioni accōmodatū: Er-

gò est eadem ratio in vtroque statu.

Septimo argumentatur contra aliam rationem oppositæ sententiæ, quæ fundatur in hoc, quod dilectio Dei super omnia simpliciter non compatitur secum peccatum mortale, ac subinde necesse est, quod procedat ex auxilio speciali præuenientis gratiæ, & non ex solis viribus naturæ, alias absque gratia Christi deleretur peccatum mortale, & eius macula. Contra hoc sic arguit: Nam de facto in animabus puerorum decedentium asque baptismate remanet peccatum originale, & eius macula simul cum dilectione naturali, qua diligunt Deum super omnia: Ergo cum tali dilectione simul remanet in eodem subiecto macula originalis peccati.

V. His tamen non obstantibus recedendum non est à sententia, quam disputat. 51. de Auxilijs circa finem præmisi. Quod scilicet in puris naturalibus poterat homo ex solis viribus naturæ elicere aliquem actum dilectionis Dei super omnia, vt est finis naturalis, pro aliquo breui tempore, & seruare omnia mandata naturalia occurrentia pro eodem tempore, vt ratio ibi adducta conuincere videtur, & ea, quæ dicta sunt disput. 47. de Auxilijs, vbi ostẽsum est, hominẽ in natura lapsa non habere easdem vires ad faciendum bonum, & euitandum malum, quas habiturus esset, si in puris naturalibus conditus fuisset. Ex hoc enim euidenter infertur, non esse eandem rationem de homine in natura lapsa, & in puris naturalibus, præsertim cum in natura corrupta per peccatum sit auersus à Deo, tanquam ab vltimo fine, etiam naturali, à quo tamen non esset auersus in pura natura, in qua homo consideratur absque gratia, & peccato, sed esset in statu medio inter vtrũq;

VI. Not. 1. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod licet status gratiæ, & peccati ex natura rei non habeant inter se formalem oppositionem, sed dari possit status medius inter vtrumque, vt in casu posito puræ naturæ: nihilominus in tali subiecto, videlicet in homine ordinato per gratiam ad finem supernaturalem, qui in clara Dei visione consistit, habent inter se formalem oppositionem; ita vt necesse sit, vnum statum ex illis

Status gratiæ, & peccati qualiter sint oppositi immediate.

duo-

duobus extremis illi competere. Aut enim est in peccato mortali, aut in gratia. Declaratur hoc, & confirmatur manifestissimo exẽplo ex naturalibus desumpto, & enim cæcitas, & visus ex natura rei non habeat formalem oppositionem etiam in animalibus, ita vt vnum ex illis necesse sit competere cuicumque animali; nam catulus ante nonum diem, nec est cęcus, nec videns; eo quod ante illum diem non est capax visus; nihilominus in eodem catulo post nonum diem necesse est, vt insit vnum de duobus, videlicet, aut visus, aut cæcitas, quæ est priuatio visus: Ita ergo proportionabiliter status gratiæ, & peccati non sunt opposita immediata, nam in pura natura esset homo in statu medio; supposito tamen, quod est ordinatus per gratiam ad vitam æternam, necesse est, vt sit in altero statu ex duobus istis extremis; aut enim est in gratia Dei iustificante; aut in peccato mortali, quod est priuatio gratiæ, vel eam includit consequenter.

VII. Not. 2. Notandum secundo, hanc esse differentiam inter naturam integram, & lapsam, siue sit humana, siue angelica, quod in natura integra non potest quis præcepto naturali obligari ad aliquem actum naturalem, qui sit illi per solas vires naturæ impossibilis. In his enim habet locum illud commune Proloquium, ex conc. Tridentino sess. 6. de iustificatione cap. 11. & ex Sanctis Patribus de sumptum: Nullus tenetur ad impossibile. Cæterum in natura lapsa per peccatum, & corrupta, bene potest quis obligari præcepto naturali ad aliquem actum, qui per solas vires naturales sit eidem impossibilis; eo quod sua culpa se constituit in tali statu, in quo talis actus non sit illi possibilis, nisi per auxilium præuenientis gratiæ adiuuetur, quod non habet locum in natura integra, in quo nullum præcessit peccatum, & idem est, quantum ad hoc, in puris naturalibus. Vnde, si per solas vires naturæ non posset implere in illo statu præceptum naturale dilectionis Dei super omnia, re vera obligaretur eodem præcepto ad impossibile, quod alienum est omnino à bonitate Dei, & suaui eius prouidentia. Hoc fundamentum est expressa doctrina Sancti Augustini libro de Correptione, & gratia

Clemens Alexãdrinus lib. 4. Stromat. c. 8. Basilius in regulis breuioribus responsione 176. Aug. lib. de natura, & gratia c. 43.

cap. 11. post medium, vbi sic ait: *Tunc ergo dederat* Aug. *homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio.* Et infra: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, & non secundum debitum: & tanto amplius datur per Iesum Christum dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum, ac tale sit vt velimus.* Eadem est Doctrina sancti Thomæ 2.2. quæst. 2. articulo 5. ad 1. vbi etiam ad hoc propositum adducit locum præallegatum Augustini.

VIII. Obiectio Suar. eod. c. 36. nu. 6. Sed contra hoc fundamentum argumentatur Suares: Quia semper repugnat, præceptum obligare ad id, quod in præsenti est simpliciter impossibile, etiam si per culpam impotentia successerit: nam obligari non potest ad recitandum officium diuinum, qui caret oculis, etiam si voluntariè, & per culpam eos sibi eruit: ergo vel ille homo post lapsum iam non manet obligatus tali præcepto diligendi Deũ, quod incredibile est, vel retinet potestatem seruãdi illud; quia vnũ furtũ non potuit ab homine auferre potestatem naturalem diligendi Deum, maxime cum posset iterum displicere ipsum furtum, & nullum relinqui habitum, qui boni operationem difficiliorem in futurum reddat.

Solutio. Hæc tamen obiectio fundamentũ positum ex Doctrina Sancti Augustini non euertit; nam bene potest præceptum obligare ad id, quod in præsenti est simpliciter impossibile per solas vires naturæ, vt expresse S. Thom. docet Sanctus Thomas 2.2. quæst. 2. artic. 5. allegato ad primum, vbi ait, *quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid exclusio auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante;*

sicut

sicut ad diligendum Deum, & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque diuinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, vt August. dicit in libro de correptione, & gratia. Vnde in natura lapsa præceptum naturale diligendi Deum super omnia simpliciter obligat suo tempore hominem existentem in peccato mortali: quia licet non possit illud implere per solas vires naturæ, id tamen potest cum auxilio gratiæ, quo quidem auxilio priuatur in pœnam præcedentis peccati; quia nimirum sua culpa noluit se disponere, vt daretur illi gratia, per quam posset præceptum illud implere.

Ad impossibile per naturam, si per gratiam sit possibile, potest homo obligari.

Ex c. 5. & 6. Colligitur, Tom. 7.

Nec exemplum adductum de illo, qui sua culpa eruit sibi oculos, sine quibus non poterat recitare officium diuinum, infirmat argumentum propositum. Ille quippe dupliciter potest se habere: aut enim ex eo sibi eruit oculos, vt efficeretur impotens ad recitandum horas Canonicas, quas tenebatur recitare, & tunc sine dubio imputatur illi ad culpam omissio officij diuini: aut vero nihil tale præuidit, sed ex aliqua passione, vel ira oculos sibi eruit, & tunc non imputatur illi ad culpam talis omissio, vt 1.2. disput. 127. num. 8. dictum est: sed tamen etiam in hoc casu non est eadem ratio. Et discrimen consistit in hoc; nam de lege ordinaria nihil potest facere ad recuperandum oculos, cum quibus poterat dicere officium diuinum, quantumuis pœniteat de amissione oculorum, & cæcitate, quam sua culpa incurrit. Cæterum quilibet peccator quamdiu est in via, potest cum auxilio diuino se disponere ad recuperandam amissam gratiam, per quam poterit implere præceptum dilectionis Dei super omnia, & sua culpa noluit se disponere. Vt enim docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 112. artic. 3. ad 2. *defectus gratiæ prima causa est ex nobis: sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud Oseæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Horas canonicas recitare quando teneatur quis.

S. Thom. 1. 2. q. 112. art 3. ad 2.

Oseæ 13.

 Vn-

Vnde exemplum illud nihil concludit. Hæc autem omnia patebunt amplius ex solutionibus argumentorum.

AD primum negatur antecedens cum eius probatione. Falsitas enim vtriusque propositionis constat ex dictis disput. 47. de Auxilijs.

Ad Confirmationem respondetur, quòd illa ratio Sancti Thomæ non excludit, sed potius includit, aut præsupponit auersionem à Deo, tanquam ab vltimo fine, quam incurrit in natura lapsa per originale peccatum, vel mortale. Vnde est quidem efficacissima ad probandum, quod homo in natura lapsa non possit ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, vt est finis naturalis, sed non procedit de homine in puris naturalibus; quoniam cum non sit auersus à Deo, tanquam ab vltimo fine, potest per solas vires naturæ se conuertere in illum per actum dilectionis Dei super omnia, & seruare breui tempore omnia mandata naturalia.

X. *Status puræ naturæ est medius inter integram, & lapsam.*

Ad secundum argumentum respondetur, quòd status puræ naturæ est medius inter statum naturæ integræ, & statum naturę lapsæ, & ideo aliquo modo conuenit cum vtroque; cum statu quidem naturæ lapsæ conuenit in hoc, quod non potest longo tempore diligere Deum super omnia, & seruare omnia eius præcepta naturalia; cum statu vero naturæ integræ conuenit in hoc, quod non esset auersus per peccatum à Deo, tanquam ab vltimo fine: sed in hoc differt, quod in pura natura vires inferiores non essent subiectæ rationi, sicut erant in natura integra. Cæterum status puræ naturæ differt à natura lapsa in hoc, quod in pura natura poterat viribus proprijs diligere Deum super omnia, vt est finis naturalis, & seruare eius pręcepta breui tempore, quod tamen non potest in natura lapsa. Differt etiam pura natura ab integra in hoc, quòd integra poterat longo tempore proprijs viribus naturalibus seruare omnia præcepta naturalia, quod tamen non potest natura lapsa. Vnde non sequitur, quòd Sanctus Thomas illum statum puræ naturæ ignorauerit, vel diminutam doctrinam tradiderit; nam cum medium aliquo modo participet vtroque extremo, tradendo doctrinam exactam vtriusque status extremi, censetur sufficienter explicas-

se ea, quæ pertinent ad statum medium.

Ad Confirmationem respondetur, quòd ratio adæquata, propter quam in statu innocentiæ poterat homo solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, & seruare longo tempore, aut etiam per totam vitam præcepta naturalia, si vellet; erat integritas naturæ. Vnde argumentum solum concludit, quod in pura natura non poterat homo seruare longo tempore, vel in perpetuũ omnia præcepta naturalia; quia tamen in illo statu puræ naturæ non erat auersus à Deo, tanquam ab vltimo fine, & tenebat ex præcepto naturali diligere super omnia Deũ, vt est auctor naturę, ideo poterat breui tẽpore solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, vt est finis naturalis, quod tamen non potest in natura lapsa propter rationes superius explicatas.

Ad tertium argumentum respondetur, quod ratio illa non est vniuersalis, neque adæquata; non enim sequitur, homo non potest longo tempore seruare omnia præcepta; ergo id non potest breui tempore, & instantia est manifesta in peccatis venialibus, quæ quidem non potest homo, etiam iustus, vitare longo tempore, iuxta illud 1. Ioann. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; & tamen pro aliquo breuissimo tempore potest ea vitare. Sic ergo in puris naturalibus poterat homo solis viribus naturæ breui tempore diligere Deũ super omnia, & seruare omnia mandata naturalia obligantia ad mortale: cæterum in natura lapsa nec longo tempore, nec breui potest diligere Deum super omnia absque speciali auxilio præuenientis gratiæ: nam præcipua, & sola causa illius impotentiæ, non est sola concupiscentia carnis aduersum spiritum, secundum se, & ex natura rei; sed etiam debilitas, & infirmitas naturæ, cuius vires attenuatæ sunt per peccatum, quo auersus est homo à Deo, tanquam ab vltimo fine, quæ auersio non esset in pura natura. XI. X. 1. Ioan. 1.

Præcepta omnia seruare negatiuè, & positiuè quid sit.

Ad Quartum argumentum respondetur, posse dupliciter intelligi, quod homo in natura lapsa breui tempore seruet omnia precepta legis naturalis. Primo modo negatiuè, quia videlicet nihil facit contra præcepta

negatiua, nec omittit facere præcepta affirmatiua, quia pro tunc non obligant, & hoc modo potest quidem contingere, quod homo lapsus breui tempore seruet omnia legis præcepta naturalia, absq; auxilio gratiæ; non enim est necessarium, quod pro quolibet momento, aut breui tempore peccet mortaliter. Alio modo potest intelligi, quod diligat Deum super omnia, vel seruet omnia præcepta naturalia positiuè, eliciendo actum impletiuum præcepti, si est affirmatiuum, aut retrahendo se ab actu prohibito per naturale præceptum negatiuum; & isto modo quamuis ex solis viribus naturæ possit homo lapsus implere breui tempore aliqua præcepta naturalia, quæ facillimo negotio impleri possunt, sicut est præceptum honorandi parentes, vel tribuendi pauperi aliquam paruam eleemosinam; non tamen potest absque auxilio gratiæ implere etiam breui tempore omnia legis præcepta, ea videlicet, pro quibus adimplendis vincendæ sunt vehementes tentationes, aut aliæ magnæ difficultates, quas secum affert in natura lapsa obseruantia sexti, & noni præcepti Decalogi. iuxta illud Sap. 8. *nemo potest esse continens, nisi tu dederis*; Et hoc potissime verificatur in præcepto naturali diligendi Deum super omnia, cum talis dilectio sit plenitudo legis.

XII. Sapien. 8.

Amor Dei super omnia quali ter ad totu tempus extendatur.

Ad quintum argumentum respondetur, quod amor Dei super omnia extenditur quidem ad totum tempus futurum, secundum intentionem, & propositum absolutum, seruandi omnia mandata: sed tamen in executione contingit, quod ex vertibilitate, & defectu liberi arbitrij interrumpatur executio, & virtus eiusdem amoris per contrarium actum peccati mortalis, alias Charitas semel habita non posset amitti: quod tamen concedi non potest, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 24. artic. 11. Sufficit ergo ad veram dilectionem Dei super omnia, quod toto tempore, quo durat talis dilectio, aut virtus illius, siue sit diuturnum, siue modicum, seruet homo diuina mandata. Nam pro toto illo tempore dilectio est efficax, vt supra dictum est.

S. Thom.

Ad Sextum contra potissimum fundamentum nostræ sententiæ respondetur, rationem illam non procedere

de

de homine existente in peccato mortali; nam ille sua culpa se impediuit, ne daretur ipsi auxilium praeuenientis gratiae, quo posset Deum super omnia diligere, vt supra dictum est. Et idem iudicium ferendum est de homine in pura natura, si committeret peccatum mortale, antequam diligeret Deum super omnia; nam etiam ille sua culpa se impediret, ne posset diligere Deum super omnia ex solis viribus naturae, propter auersionem à Deo, tanquam ab vltimo fine, quam induxit peccatum mortale, cum qua est incõpossibilis dilectio Dei super omnia; etiam, vt est vltimis finis naturae, vt supra dictum est. Vnde eo ipso, quod existens in pura natura peccat mortaliter, desinit esse in pura natura, & transit ad statum naturae lapsae, ac per consequens idem iudicium ferendum esset de illo, quod nunc est de homine lapso, quantum ad hoc quod non posset ex solis viribus naturae elicere aliquem actum dilectionis Dei super omnia.

XIII. Ad Confirmationem respondetur, quod cum omnis operatio cuiuslibet creaturae, praesertim rationalis, dependeat ex diuina praemotione, & auxilio, sine quo nulla natura, quantumuis ponatur perfecta, potest aliquid operari, (vt 1. 2. quaest. 109. artic. 1. & 9. dixit Sanctus Thomas) fieri non potest, vt homo praeueniat auxilium diuinum gratuitum, faciendo quod in se est ex solis viribus naturae; nam etiam vt homo faciat quod in se est, indiget diuino auxilio. Vnde per vires naturae facere non potest, quod detur illi praedictum auxilium gratuitum, alias daretur ex debito, & ita gratia non esset gratia, quae vtique gratis datur, vt disput. 36. de Auxilijs ostensum est, vbi pertractata est diffusius illa grauis, & celebris quaestio: Vtrum facienti totum quod in se est ex solis viribus naturae dentur infallibiliter, & ex certa lege auxilia praeuenientis gratiae.

Secundo respondetur, quod etiam si Deus sua liberalitate tribueret homini existenti in puris naturalibus auxilium illud naturalis ordinis, quod asseritur esse accõmodatum, & proportionatum ad diligendum Deum super omnia, adhuc dilectio illa procederet ex solis viribus naturae; nam illa determinatio, ex solis viribus

naturæ non excludit, sed potius præsupponit necessariò auxilium diuinum eiusdem ordinis proportionatum ad eliciendum eandem dilectionem; nam per tale auxilium non eleuatur liberum arbitrium ad ordinem supernaturalem, sicut eleuatur nunc per auxilium speciale præuenientis gratiæ, per quod tribuitur illi, vt quo virtus actiua, qua possit producere supernaturalem actũ dilectionis Dei super omnia, vnde non est simile.

Ad Septimum respondetur, quod petit aliam difficultatem. Vtrum videlicet, dilectio Dei super omnia, in quantum est finis naturalis, simul compatiatur cum originali peccato, vel mortali, quæ tamen difficultas capite duodecimo discutienda est.

CAPVT VI.

Vtrum in natura lapsa possit homo ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia simpliciter dilectione naturali.



I. Hanc difficultatem pertractaui disput. 51. de Auxilijs: nunc autem propter quorundam Theologorum instantiam est operosius discutienda, & explicanda. Et vt titulus quæstionis manifestior fiat, & id, de quo est controuersia intelligatur, notandum est; nos in præsenti non loqui de dilectione, qua per se primo diligitur Deus, in quantum est finis vltimus supernaturalis, quæ subinde meritoria est vitæ æternæ. Ad hanc enim omnes catholici fatentur contra Pelagium, esse necessarium simpliciter auxilium præuenientis gratiæ. Quæstio igitur procedit de dilectione naturali, qua diligitur Deus super omnia simpliciter, in quantum est finis vltimus naturalis, cum absoluto proposito placendi illi in omnibus, & nihil admittendi eidem dilectioni contrarium. Et eadem difficultas procedit de dilectione supernatu-

Titulus quæs.

rali, quantum ad substantiam actus, absque eo quod talis dilectio sit meritoria vitæ æternæ, vel dispositio saltē vltima ad infusionem gratiæ iustificantis. Verum videlicet talis dilectio possit haberi solis viribus naturæ lapsæ absq; omni prorsus auxilio actuali præuenientis gratiæ.

Prima sententia est, quam defendit pater Vasquez 1. 2. disp. 194. c. 4. vbi docet, omnem charitatem amicitiæ, & dilectionem Dei, etiam naturalem esse infusam, & supernaturalem, non solum in natura lapsa; sed etiam in natura integra: & expressè negat dari aliquam dilectionem Dei etiam in quantum est finis naturalis, quæ procedat ex solis viribus naturæ, absque aliquo auxilio gratiæ Dei per Iesum Christum; & idem docuerat disput. 190. de quacumque bona operatione morali, & consequenter idem tenetur asserere de quocūq; amore honesto erga Deū, etiam si ad amorē concupiscentiæ pertineat: sed hæc sententia satis manet impugnata ex dictis lib. 3. respōsionū cap. 8. & disp. 50. & 51. de Auxilijs, vbi argumentis eiusdem Auctoris pro viribus satisfeci. II. *Vasquez Prima sententia.*

Secunda sententia docet per oppositum extremum, quod non solum in natura integra, sed etiam in natura lapsa potest liberum hominis arbitrium suis proprijs viribus elicere dilectionem merè naturalem Dei super omnia simpliciter, in quantum est vltimus finis naturalis, cum proposito absoluto placendi illi in omnibus, imò & dilectionem supernaturalem Dei super omnia, quantum ad substantiam actus, quæ quidem dilectio sine dubio pertinet ad amorem amicitiæ, vt constat ex S. Thoma 2. 2. q. 23. artic. 1. 2. Sententia.

Hanc sententiam defendit Molina in Concordia qu. 14. disput. 14. per totam, præsertim membro 3. §. Duo quædam, & §. Secundum est, vbi sic ait: *Ex communi tamen Scholasticorum sententia non mansit arbitrium nostrum ita per peccatum inclinatum, atque extenuatum, quin homo natura lapsæ possit suis viribus elicere nudum, absolutumque actum placendi Deo in omnibus, seruandiq; mandata omnia naturalia obligantia sub culpa lethali: tametsi & hunc, & quemcumque alium virtutis moralis, multo facilius, & promptius potuerit elicere homo natura integra, quàm modo possit homo natura* III. Molina.

 cor-

corrupta. Idem confirmat disput. 19. memb. 6. §. Forte mirabitur addito in editione Antuerpiæ 1595.

IV. Suarez. Eandem sententiam, quantum ad dilectionem Dei, vt est finis naturalis, probabilem esse contendit Pater Suarez lib. 1. de necessitate gratiæ cap. 32. nu. 3. & pro ea refert quamplurimos Doctores: sed quam violenter pro eadem sententia referantur multi ex illis, cap. sequenti patebit. Vnde ipsemet Suarez, vt vitet periculũ, non sequitur eandẽ sententiã, sed solũ proponit eius fundamenta: nã postmodũ in cap. 33. defendit oppositã, tanquã verã doctrinã S. Thom. & Thomistarũ. Fundamẽta sententiæ num. 3. propositæ explicantur sequentibus argumentis.

V. Primum argumentum est. In homine lapso liberum arbitrium est sufficiens principium physicum talis actus, & aliunde potest ad illum sufficienter excitari per media naturalia aliquo tempore, & occasione, in qua non occurrant impedimenta, quæ illum actum reddant impossibilem ipsi voluntati: ergo simpliciter potest per voluntatem liberam effici sine speciali auxilio.

Confirmatur. Ille actus dilectionis in se spectatus naturalis est, & ideo ad illũ efficiendũ nõ deest virtus Physica in humana voluntate, vnde illã habuit in statu Innocentiæ: ergo eandem retinet in statu naturæ lapsæ, quia voluntas in sua integritate integra mansit: Ergo, quoad intrinsecas, & physicas vires, non fuit imminuta: Ergo non deest in homine lapso sufficiens principiũ physicũ talis actus: & ex alia parte est sufficiens excitatiuum desumptum ex naturali cognitione Dei, & bonitatis eius, quæ ex creaturis desumi potest, vt docet Apostolus, Rom. 1. & Actorum 14. Ergo. Rom. 2. Act. 14.

VI. Secũdũ argumẽtũ est, Dictamẽ hoc rationis, Deus est diligẽdus super omnia, naturale est, & naturalẽ obligationẽ inducit: ergo de se ẽt sufficiẽter mouet, & de se volũtas habet sufficiẽs principiũ physicũ ad implendum illud præceptum; alias homo teneretur ad impossibile: Ergo.

Tertiũ argumentũ. Quia nõ sẽper, & in omni breuissimo tẽpore occurrũt graues tẽtationes, & impedimenta, imò aliquãdo potest homo lapsus vacare naturali cõsideratiõni bonitatis Dei, & beneficiorum eius, & nihil actu sẽtire, quod impediat excitationẽ amoris eius: Ergo tũc saltẽ

pote-

poterit voluntas pro sua libertate in talẽ actũ prodire.

Quartũ Argumentũ. Nõ est minus potẽs homo in natura lapsa, qui esset in puris naturalibus: sed in puris naturalibus posset sola libertate Deũ super omnia diligere: ergo ẽt nũc. Minor probatur, qa tũc haberet homo obligationẽ sic diligẽdi Deũ: ergo posset illũ diligere, & non per auxiliũ gratiæ; quia in illo statu nõ daretur; ergo id posset sua facultate naturali, & concursu generali, quia præceptũ non datur nisi de actu simpliciter possibili. VII.

Quintum Argumentũ. Anima pueri decedẽtis in solo originali peccato põt diligere Deũ auctorẽ naturæ super omnia: & tñ est in statu naturæ lapsæ: ergo & nunc homo põt, quia est eadẽ ratio: solũ .n. est differentia, q in anima separata cessant cõcupiscentia, & alia impedimẽta: sed hæc differentia non pro omni tẽpore versatur.

Sextũ Argumentũ. In dæmonibus naturalia manserũt integra, vt dicit Dionysius cap. 4. de Diu. nom. & cũ illo S. Th. 1. p. q. 64. art. 1. ergo ẽt in hominibus lapsis: sed ante lapsum poterat homo solis viribus naturæ diligere Deũ super omnia, & se, & omnia sua referre in illum, tanquam in vltimum finem naturalem, cum proposito absoluto placendi illi in omnibus: ergo id ipsum poterit in natura lapsa pro aliquo saltem breui tempore. Dionys.

Confirmatur. Per originale peccatum non fuit homo vulneratus in naturalibus, sed solũ spoliatus gratuitis donis, vt significatur in homine illo, qui incidit *in latrones, quem etiam spoliauerunt*, scilicet gratuitis donis: Ergo easdem vires naturales habet nunc ad diligendũ Deum super omnia, quas habebat ante lapsum in natura integra, vel habiturus esset in puris naturalibus, si in illis conditus fuisset. Lucæ 10.

VIII.

Septimum Argumentum, quod putatur efficacissimum, & desumitur ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. vbi inter alias propositiones Doctoris Michaelis Baij damnatur 34. quæ erat huiusmodi: *Distinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur, vt auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & pluribus veterum testimonijs excogitata*, & per dilectionem naturalem, illam intelligunt, qua diligitur Deus

Pius V. Greg. XIII.

Michaelis Baij sententia circa dilectionem Dei.

amor

amore beneuolentiæ, seu amicitiæ; nam amor concupiscentiæ fertur in Deum, non propter se ipsum, sed vt est bonum amantis: ergo idem quod prius.

X.
3. Sententia S. Thom. & communis.

Tertia sententia est S. Thomæ 1. 2. q. 109. artic. 3. vbi expresse docet, in natura quidem integra potuisse hominem ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia dile[illegible] est secundum appetitum rationale[illegible] se in natura lapsa. Quam

Caietan.
M. Medina.
M. Sotus
S. Bonauentura.
Abulens.
Bellarmin.

sententiam [illegible] communiter eius discipuli, præsertim Caietanus, M. Medina, Conradus eodem art. 3. & M. Sotus, vt patebit infra. Eandem sententiam defendunt Bonauentura, & alij inferius allegandi. Abulensis super caput 19. Matthæi q. 177. Columna 2. vbi sic ait: *in statu autem naturæ corruptæ indiget homo duobus ad diligendum Deum super omnia, scilicet, quod moueatur à Deo, & quod detur ei donum gratuitum, per quod sanetur corruptio naturæ, vt non impediat hanc dilectionem, & ista est gratia, vel charitas, quæ naturæ corruptionem sanat*: & loquitur de dilectione, quam in natura integra poterat homo habere proprijs viribus absque speciali auxilio præuenientis gratiæ, & latius Bellarminus lib. 6. de gratia, & libero Arbitrio c. 7. & 8. & est cõmunis inter Doctores, pro cuius explicatione.

X.
Not. 1.
Dilectio Dei super omnia dupliciter esse potest perfecta.

Notandum Primo. Dilectio Dei super omnia, tam naturalis, quam supernaturalis, potest dupliciter esse perfecta. Primo vndequaque, & hæc perfectio potest appellari extensiua; eo quod nunquam interrumpitur per contrarium actum, sed durat eius virtus vsque in finem vitæ, & de hac perfectione non est aliqua controuersia inter catholicos. Omnes enim fatentur, ad hanc perfectionem dilectionis Dei esse necessarium simpliciter speciale auxilium præuenientis gratiæ; imò & gratiam ipsam habitualem sufficientem, quàm necessario supponit donum illud specialissimum perseuerantiæ vsque in finem, quod est proprium donum prædestinatorum nulli alteri conueniens. Hæc autem perfectio non est de intrinseca ratione charitatis, etiam supernaturalis, aut præcepti dilectionis Dei super omnia; nam multi reprobi implent illud præceptum, qui tamen post modum interrumpunt charitatem habitualem,

Ad charitatis præceptũ etiam supernaturalis implẽdũ non est necessaria perseuerantia [illegible] in finem.

lem, & gratiam per contrarium actum peccati mortalis, in quo perseuerant vsque in finem, & cum macula eiusdem peccati decedunt. Similiter etiam multi prædestinati implent hoc præceptum dilectionis, & post modum committunt peccatum mortale, à quo tamen postea per pœnitentiam resurgunt, & consequuntur gratiam habitualem, in qua perseuerant vsque in finem: ergo ad implendum præceptum dilectionis Dei super omnia non requiritur, quod perseueret eadem dilectio, aut virtus illius vsque in finem.

XI. Secundo modo dicitur dilectio illa perfecta perfectione appretiatiua: & ad implendum præceptum huius dilectionis necessario requiritur, quod diligatur Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex omnibus viribus; ita videlicet, vt quamdiu durat actus dilectionis, aut virtus illius, nihil admittat homo diuinæ dilectioni contrarium; sed potius sit paratus vitam propriam perdere, quam ab eadem dilectione discedere per mortale peccatum, quotiescumque vnum ex his duobus esset eligendum. Vnde S. Thom. 2. 2. qu. 24. art. 8. in cor. assignans tres gradus perfectionis charitatis, constituit tertium, qui est de intrinseca ratione charitatis. Ait enim: Tertio modo charitas potest esse perfecta ex parte diligentis; *ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo: ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod diuinæ dilectioni sit contrarium. Et hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.*

Dilectio Dei super omnia impletiua præcepti diuini qualis esse debeat.

S. Thomas.

XII. Ex quo sequitur, quod huiusmodi dilectio semper est efficax pro illo instanti, & etiam tempore, quo actus dilectionis durat, aut virtus illius, & ratio id suadet; nam cum tali dilectione, aut eius virtute nullum compatitur peccatum mortale: Ergo necesse est, quod durante virtute illius dilectionis impleat homo cum effectu omnia præcepta naturalia, quæ tunc occurrunt, etiam si pro illis seruandis exponenda esset propria vita; imo in eadem dilectione includitur necessario propositum absolutum nunquam peccandi, sed seruandi per totam vitam omnia præcepta obligantia ad mortale; quia non peccatur nisi frangatur aliquod præceptum.

XIII. Not. 2. Notandum secundo. Licet lex naturalis secundum se præcisè considerata nihil dictet circa supernaturalem finem, vel circa præcepta supernaturalis ordinis: supposito tamen, quod ordinatur homo ad finem supernaturalem, ad cuius consequutionē statuta sunt præcepta per legem gratiæ, lex naturalis virtualiter dictat, esse obseruanda. Et ratio huius est; nam per quodlibet peccatum mortale, quod immediate opponitur præceptis legis gratiæ, auertitur homo immediate quidem à Deo, vt est vltimus finis supernaturalis; ex consequenti vero etiam auertitur à Deo, in quantum est finis naturalis; similiter etiam è cōuerso, per quodlibet peccatum mortale oppositum immediate legi naturali auertitur immediatè à Deo, in quantum est finis naturalis; & ex consequenti etiam auertitur à Deo, in quantum est vltimus finis supernaturalis.

Lex naturalis qualiter obliget ad præcepta legis gratiæ implenda.

XIV. Not. 3. Tertio notandum, quod dilectio Dei est duplex: alia est, quæ pertinet ad amorem amicitiæ, seu beneuolentiæ, qua videlicet diligitur Deus propter se ipsum, & propter eius infinitam bonitatem: alia vero est dilectio concupiscentiæ, qua diligitur Deus, vt bonum vniuersale, à quo omne aliud bonum particulare in suo esse, & conseruari dependet, & causat in nobis aliquos effectus, quos desideramus, vel appetimus, & de vtraque dilectione agendum est in præsenti.

Dilectio amicitiæ, & concupiscētiæ qualiter distinguantur.

XV. Prima Conclusio. Prima ergo Conclusio sit. Dilectio Dei absoluta super omnia simpliciter, & cum proposito absoluto placendi Deo in omnibus, qua nimirum homo refert se ipsum, & omnia sua in Deum, tanquam in vltimum finem naturalem, haberi non potest in natura lapsa absque speciali auxilio præuenientis gratiæ. Hæc Conclusio est contra auctorem secundæ sententiæ; videtur tamen expressa doctrina S. Augustini lib. 4. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. & Epistola 107. ad Vitalem, vbi contra Pelagianos disputans: *Liberum*, inquit, *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*, idest, amisimus virtutem ad diligendum Deum super omnia per solam facultatem naturæ. Idem docet libro de gratia, & libero arbitrio cap. 18. vbi inter alia verba inquit: *Si non ex Deo, sed ex hominibus dilectio*

Dilectio Dei super omnia haberi nō potest in natura lapsa absque auxilio gratiæ.

Aug.

Dei

Dei, & proximi est, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos, & lib.12. de Ciuit. Dei cap.9. circa finem: *Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos Sanctos homines pertinere; verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.* & lib 21. cap.16. *Tunc* inquit, *victa vitia deputãda sunt, cũ Dei amore vincuntur, quẽ nisi Deus ipse nõ donat, neq; aliter nisi per mediatorem Dei, & hominũ Iesum Christũ.*

XVI. S.Prosper.

Idem docet S. Prosper contra Collatorem cap. 31. *Et tanta est* (inquit) *secundum istum liberi arbitrij vel incolumitas, vel facultas, vt charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate*: cuius assertionis falsitatem impugnat ex illo Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: Et ad Ephes. 6. *& pax fratribus cum charitate, & fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo*, & 1. Ioan. 4. *Charissimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est.* Quem locum expendens sublit: *Et ne possemus opinari, ideo dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satis esset affectus, paulo post ait: Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. Et iterum nos diligamus Deũ, quia prior dilexisti nos.* S. etiam Fulgentius lib. 2. de missione Spiritus Sancti ad Monimun. §. *Cum ergo: Hæc* (scilicet charitas) *est principale Spiritus Sancti donum, sine qua quisquis linguis hominum, Angelorumque loquitur, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens sonum dare potest, vitam habere non potest.* Manifestum est autem, sanctos istos Doctores, præsertim Augustinum loqui aduersus Pelagianos de homine in natura lapsa, & de charitate, & dilectione Dei, quæ est plenitudo legis, non limitando suam doctrinam ad dilectionem, qua diligitur Deus, tanquam finis vltimus supernaturalis, vel naturalis. Sentiunt ergo non posse hominem in natura lapsa solis viribus naturæ absque auxilio gratiæ diligere Deum super omnia ea dilectione, quæ est plenitudo legis.

Fulg.

XVII. Prima Solutio.

Vim huius argumenti eludere conatur Pater Suarez ca. 33. allegato num. 3. Ait enim, quod re vera hoc

genus probationis est infirmum in præsenti, quia omnia illa testimonia reduci debent ad sensum Conciliorum Arausicani, & Tridentini, in quibus additur illa particula, *sicut oportet*, qua omnia illa testimonia enervantur, quia dilectio naturalis, quantumuis sit efficax, & super omnia, non est sicut oportet, & sæpe ostensum est, Scripturam & Patres loqui in prædictis locis de dilectione Dei perfecta, & quæ sit super omnia simpliciter, & in omni ordine. Vnde loquuntur de actu dilectionis, quo possit homo iustificari, seu præparari, vt iustitiam consequatur, vt expresse dixit Concilium Tridentinum, cum Arausicano.

Conc. Arausic. Conc. Trident.

XVIII. Inpugnatio.

Hæc tamen solutio vim argumenti non euacuat: nam Sanctus Augustinus loquitur etiam de dilectione naturali appetitus rationalis, quæ est plenitudo legis, siue naturalis, siue supernaturalis: & ait, *nos primi peccati granditate amisisse liberum arbitrium*, idest, naturalem virtutem *ad diligendum Deum*. Cum ergo nullam fecerit distinctionem inter dilectionem absolutam, & efficacem Dei, vt est vltimus finis naturalis, vel supernaturalis, relinquitur, quod iuxta sententiam illius non possit homo in natura lapsa solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, etiam ea dilectione, quæ est plenitudo legis naturalis. Et augetur vis huius argumenti; nam idem S. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. post medium, & libro de Spiritu, & Littera cap. 26. & 27. in principio Tom. tert. expendens locum illum Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, explicat illud verbum, *Naturaliter*, de natura per Dei gratiam sanata, & correcta: & eodem modo explicat S. Thomas eundem locum 1. 2. quæstione 109. art. 4. ad primum, cuius verba adduxi disput. 45. de Auxilijs num. 6. Sentit ergo S. Augustinus, hominem in natura lapsa habere non posse dilectionem Dei super omnia, quæ sit plenitudo legis naturalis, nisi sanetur, & instauretur per gratiam.

S. August.

Roman. 2.

XIX. *Diligere Deum sicut oportet ad salutē quid sit.*

Illud vero, quod in eadem solutione adiungitur, videlicet, Augustinum, & alios Patres loqui de actu dilectionis Dei, *sicut oportet ad salutem*, quam limitationem addiderunt Concilium Arausicanum 2. & Tridentinum

in

in suis decretis, cum determinant, hominem sine auxilio præuenientis gratiæ *non posse diligere Deum, sicut oportet, vt iustificationis ei gratia cōferatur.* Hoc (inquā) nihil iuuat; Tum quia per Concilium Mileuitanum, vbi contra Pelagianos definitur, hominem in natura lapsa non posse Deum diligere, non apponitur illa limitatio, sicut oportet; sed absolutè definitur, non esse in homine lapso sufficientes vires naturales ad diligendum Deum, ea videlicet dilectione, quæ est plenitudo legis: tum etiam quia hæc eadem dilectio est re vera sicut oportet ad salutem, vt disput. 51. de Auxilijs num. 17. obseruaui. Concilium autem Arausicanum, & Tridentinum addiderunt limitationem illam, *sicut opprtet*, &c. vt excluderent amorem naturalem concupiscentiæ, quo diligitur Deus, vt est vniuersale bonum, à quo intrinsece bonum particulare ipsius diligentis, & cuiuslibet alterius rei dependet. Hæc enim dilectio Dei non est sicut oportet, ideo potest solis viribus naturæ haberi, sicut & alia dilectio appetitus rationalis, qua diligitur Deus dilectione imperfecta, quæ non est plenitudo legis, etiam naturalis, neque cum proposito absoluto placendi illi in omnibus; sed potius est velleitas quædam, & dilectio Dei super omnia conditionata.

Accedit, quod (vt patebit infra) supposito, quod homo per gratiam est ordinatus ad finē supernaturalem, non potest in natura lapsa, præsertim dum est in peccato mortali, diligere Deum super omnia, vt est vltimus finis naturalis dilectione absoluta, & efficaci, vt supra, nisi etiam diligat illum absoluta, & efficaci dilectione, vt est vltimus finis supernaturalis. Hanc autem dilectionem elicere non potest, etiam quantum ad substantiam actus, sine auxilio speciali præuenientis gratiæ; nam etiam quantum ad substantiam actus excedit totam facultatem creatæ naturæ rationalis; non solum corruptæ, & humanæ, sed etiam integræ, & Angelicæ, vt disput. 65. de Auxilijs dictum est. XX. *Dilectio naturalis Dei, & supernalis qualiter sint coniunctæ in natura lapsa.*

Secunda solutio eiusdem Auctoris est, quod Sancti Patres loquuntur de dilectione, quæ implet totam legem Christi, vel Dei, quæ non tantum includit præcepta naturalia, sed etiam supernaturalia, ad quæ di- XXI. 2. Solutio.

lectio naturalis non extenditur: vnde talis dilectio solum secundum quid est super omnia, sola autem dilectio infusa est simpliciter super omnia; quia omnia cōplectitur: vtrāq; .n. implet, non solū quo ad substantiam, sed etiam quo ad modū fructuosum ad vitam æternam.

Impugnatio.

Hæc ēt solutio videtur insufficiēs: nā quāuis lex naturalis ex natura rei, & immediate solū cōplectatur præcepta naturalia; ñ supposito, quod homo per gratiā esc ordinatus ad finē supernaturalē sibi cognitū per fidē, per quā ēt innotescūt illi præcepta supernaturalia, ratio naturalis secūdariò dictat eadē præcepta esse obseruāda, & nihil faciēdū, quod illis repugnet: Ergo est impossibile, q in tali subiecto saluetur vera dilectio Dei naturalis, quæ sit plenitudo legis; quin ēt actualiter includatur in illa volitio absoluta implēdi totā legē, ēt supernaturalē; alias saluari posset in peccatore fideli dilectio Dei absoluta vt est finis naturalis, & propositū absolutū, & efficax seruandi omnia præcepta naturalia, simul cum voluntate determinata frangendi aliquod præceptū supernaturale. Hæc aūt plenitudo legis necessario requirit auxiliū speciale præuenientis gratiæ: Ergo & quælibet dilectio Dei, quæ est plenitudo legis. Præterea impugnatur eadem solutio: nam (vt patebit infra) homo in natura lapsa, cum sit infirmus, & à fine supernaturali auersus, non habet sufficientes vires ad diligendū Deū super omnia, neque ad implendū omnia præcepta naturalia, cū talis dilectio sit perfectissimus actus naturæ integræ, & sanæ: Ergo nisi sanetur, & adiuuetur per gratiā, nō potest diligere Deū super oīa ea dilectione, q̄ sit plenitudo legis ēt naturalis.

De qua dilectione Dei super omnia loquantur Sancti Patres cōtra Pelagiū.

Neq; est admittendum, Sanctos Patres solū loqui de impletione legis, quo ad modum fructuosum ad vitam æternam: quia non solum quantū ad istū modum impugnauerunt Pelagiū: sed etiam quoniam asseruit absolutè, auxilium præuenientis gratiæ non esse necessarium simpliciter ad omnia præcepta legis implenda; sed solū, vt facilius efficeret per gratiam, quod simpliciter poterat per naturā, vt disp. 1. & 51. de Auxilijs est dictū. Et rationē assignant, quia natura humana fuit per originale peccatū infirmata, & propterea non potest per se ipsam exercere actus difficiliores, & perfectissimos naturæ integræ,

tegræ,

egræ, nisi sanetur, & adiuuetur per gratiam. Vnde Pelagius ex errore illo, quo asseruit, nullũ cõtrahere ex Adam originale peccatũ, intulit aliũ errorẽ, quod sꝫ. gratia Dei per Iesũ Christũ non sit necessaria ad implẽdũ legis præcepta, neq; ad illã dilectionẽ Dei, quę est plenitudo legis.

XXII. 3. Solutio. Tertiam solutionẽ adhibet auctor, qua putat nostrum argumentum eneruari; nam Patres non tantũ de amore hominis lapsi; sed etiam de amore Angelorũ, & Adami ita loquuntur. In ijs aũt non possunt intelligi, nisi de amore charitatis infusæ: Ergo signũ est, eodẽ modo de nobis loqui: Sed hæc ratio nulla est: nã Patres, cũ exigũt auxiliũ Dei mouentis, vt Adã in natura integra diligeret Deũ super omnia, in quantũ est auctor naturæ, & similiter Angeli, intelliguntur de auxilio actuali naturalis ordinis, sine quo causæ secundæ, ẽt liberæ, quãtũuis ponãtur perfectæ, cooperari non possunt. Sic .n. loquitur S. Th. art. 1. 2. & 3. vt dictis cap. 4. & 5. colligi potest. Cum aũt sermonẽ instituunt de homine in natura lapsa, exigunt auxiliũ gratiæ naturã sanantis, vt diligat Deũ super omnia ea dilectione, quæ sit plenitudo legis, ẽt naturalis, vt docet S. Thom. 1. 2. qu. 109. art. 3. Vel potest dici, quod Patres, cũ tribuũt indifferenter omnibus creaturis intellectualibus in quocũq; statu dilectionẽ Dei super omnia, intelligendi sunt de dilectione naturali, quæ competit illis, vt natura est. Hic .n. amor, seu inclinatio naturalis ad Deum suo modo competit etiam omnibus creaturis, vt prima parte q. 60. art. 5. docet S. Thomas.

Impugnatur.

XXIII. Secũdo probatur nostra Cõclusio ex Cõcilio Mileuitano Can. 4. vbi sic diffinitur: *Cũ dicat Apost. scientia inflat, charitas vero ædificat: valde impiũ est, vt credamus ad eã, quæ inflat, nos habere gratiã Christi: ad eã quæ ædificat, nõ habere: cũ sit vtrũq; donũ Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus: vt ædificante charitate scientia non possit inflare: sicut aũt de Deo scriptum est,* Psalm. 63. *Qui docet hominẽ scientiã: ita ẽt scriptũ est: Charitas ex Deo est;* Ioann. 4. vbi nomine charitatis illam intelligit, quæ est plenitudo legis, etiam naturalis, & per quam diligitur Deus super omnia. Idem etiam fuit diffinitum contra Pelagium in Concilio Carthaginen. vt constat ex Epistola eiusdẽ Concilij ad Innocentiũ Papam, & inter Epistolas

Augu-

Augustini est nonagesima. Vbi referens plures errores Pelagianorum, ait, *Persuadere non cessant ad operãdam, perficiendamque iustitiam. & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes quod scriptum est, Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, & non volentis est, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Quæ verba non solum intelligenda sunt de charitate infusa: sed etiam de dilectione Dei super omnia superius explicata, quam quidem in natura integra poterat homo absque speciali auxilio præuenientis gratiæ proprijs viribus habere diligendo Deum super omnia simpliciter, vt est vltimus finis naturalis; non autem in natura lapsa propter eius corruptionem, & debilitatem, vt supra dictum est.

XXIV. Tertio probatur ratione. Per quamcumque dilectionem, qua diligitur Deus super omnia cum proposito absoluto placendi illi in omnibus, conuertitur homo in Deum, tanquam in vltimum finem, & amat illum amore amicitiæ, seu beneuolentiæ: Ergo auertitur à creatura, ad quam per peccatum fuerat conuersus, tanquam in vltimum finem: Ergo cum tali dilectione non compatitur simul peccatum originale, vel mortale, neque eius reatus, seu macula: Ergo talis dilectio procedere non potest ex solis viribus naturæ, alias remissio culpæ non esset ex gratia Dei: sed ex viribus naturæ. Consequentia probatur; nam est impossibile, quod aliquis accedat per motum ad vnum terminum, quin simul recedat ab alio termino sibi opposito: accessus enim ad terminum ad quem simul est cum recessu à termino à quo: sed per quelibet actum dilectionis Dei super omnia, superius explicatum, accedit Peccator ad Deum, tanquam ad terminum ad quem: Ergo simul recedit à peccato, tanquam à termino à quo: Ergo cum eadem dilectione Dei non compatitur simul originale peccatum, vel mortale.

Amor amicitiæ quid sit. Confirmatur. Illa dilectio Dei, de qua in prima Conclusione, est amor amicitiæ, & beneuolentiæ, vt fatetur auctor oppositæ sententiæ: Ergo elici non potest, nisi diligens Deum sit eius amicus: Ergo non compatitur cum illa peccatum originale, vel mortale, per quod efficitur

ficitur homo inimicus Dei. Alias simul esset amicus Dei,& inimicus eius,& simul etiam esset auersus à Deo, tanquam ab vltimo fine,& conuersus in illum per amorem amicitiæ, tanquam in vltimum finem: Ergo est impossibile, quod talis dilectio procedat ex solis viribus naturæ, absque auxilio præuenientis gratiæ, alias (sicut arguit Apostolus) *Christus gratis mortuus esset.*

Quarto probatur. Dilectio Dei super omnia simpliciter est dilectio etiam supra vitam propriam: Ergo virtute eiusdem dilectionis exponeret homo vitam propriam, si tunc immineret eius periculum, ne admitteret aliquid eidem dilectioni contrarium. Et similiter pro dilectione Dei superaret quascumque alias vehementissimas tentationes inducentes ad peccatum mortale,si tunc occurrerent. Hoc autem præstare non potest ex solis viribus naturæ absque speciali auxilio gratiæ; alias posset absque auxilio gratiæ pati martyrium,& saluari.Martyrium enim habet hoc priuilegium, vt absque medio Purgatorio transferat in cœlum; iuxta illud commune proloquium: Iniuriā facit Martyri, qui orat pro eo. Hoc argumentū vrget valde Magister Medina 1. 2. q. 109. art. 3. §. Præterea. XXV.

Martyrium pati nō potest quis pro Deo absq; gratia

Confirmatur primo. Nam charitas infusa nihil magis præstare potest, quam id quod tribuitur dilectioni Dei super omnia simpliciter, vt est auctor naturæ; nam vt dicitur Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nec satis est respondere, id esse intelligendum de illo, qui ponit animam suam pro Deo,quem amat charitate infusa,quæ necessariò debet procedere ex auxilio speciali præuenientis gratiæ; nam hoc est petere principium; contendimus enim quamcumque dilectionem Dei super omnia, cuius virtute exponitur vita pro Deo amato amore amicitiæ,esse non posse merè naturalem, sed necessariò procedere ex Auxilio speciali præuenientis gratiæ.

Quinto probatur ratione Sancti Thomæ. In natura lapsa *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem,* vt dicitur Sap.6. Vnde homo propter corruptionem na-

turæ

turæ sequitur bonum priuatum, ad quod inclinat appetitus sensitiuus, nisi corrigatur, & natura hominis sanetur per gratiam: Ergo non potest solis viribus naturæ diligere Deum supra se ipsum, & super alia omnia bona creata: Ergo talis amor esse non potest merè naturalis.

S. Thom. Confirmatur; nam hac ratione Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. in corpore Articuli tertij probat, quod homo in natura integra *Deũ diligebat plusquam se ipsum, & super omnia, quia dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei, sicut ad finem, & similiter dilectionem omnium aliarum rerum.* Et statim subdit: *sed in statu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit, secundum appetitum voluntatis rationalis propter corruptionem naturæ.* Sentit ergo, quod in natura corrupta non possit homo dilectione merè naturali diligere Deum plusquam se ipsum, & super omnia; alias posset in natura corrupta sine gratia elicere actum dilectionis Dei super omnia, quẽ produxit, vel producere poterat in natura integra.

XXVI. *Dilectio Dei super omnia est plenitudo legis.* Sexto probatur. Dilectio Dei super omnia, de qua loquitur Conclusio, est ab intrinseco perfecta, & efficax pro toto illo tempore, quo durat actus eiusdem dilectionis, aut virtus illius (durat autem quousque reuocetur per contrarium actum peccati mortalis) sed ad huiusmodi dilectionem necessariò requiritur speciale auxilium præuenientis gratiæ: Ergo talis dilectio elici non potest ab homine lapso ex solis viribus naturæ. Maior probatur. Ad perfectionem intrinsecam, & efficacem dilectionis Dei super omnia, non est necessariũ, quod perseueret eius virtus longo tempore, aut vsque in finem. Hoc enim nõ est sola dilectio, sed dilectio cum speciali dono perseuerantiæ, sibi adiuncto. Ergo, vt sit perfecta, & efficax dilectio Dei super omnia, sufficit, quod habeat virtutem ad seruanda omnia præcepta, quæ occurrunt pro tempore illo, quo durat eius virtus, etiam si pro illis seruandis esset mors propria subeunda, & vehementissimæ tentationes superandæ; licet post octo, vel decem dies interrumpatur per mortale peccatum; alias solũ impleret præceptum charitatis, qui perseueraret in illa longo tempore, vel vsq; ad finẽ vitæ.

Con-

Confirmantur hæc omnia;nam Sanctus Prosper libro contra Collatorem cap.27. acriter reprehendit Cassianum, eo quod dixerit: *Dubitari ergo non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire*:quam assertionem impugnans subiungit Sanctus Prosper: *Si dubitari non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, solum Adam prauaricatus est, & in peccato eius nemo peccauit: in nullis iniquitatibus concepti sumus: & in nullis matres nostræ nos peperere delictis: Non fuimus natura filij iræ: nec fuimus sub potestate tenebrarum: qui manentibus in nobis virtutibus naturalibus; filij potius nati sumus pacis, & lucis. Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio.* Hæc autem impugnatio procedit à fortiori in suprema virtute omnium, qualis est charitas, seu dilectio Dei super omnia in hac Conclusione explicata. S.Prosper. cōtra Collatorem. Rom. 5. Psal. 50. Ephes. 2. Colos. 1.

XXVII. Euasio. Sed dicunt, secundam sententiam longe distare à sensu, & sententia Cassiani; nam secunda illa sententia non asserit absolute, quod possit homo ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia cum proposito absoluto seruandi præcepta omnia, sed cum quibusdam limitationibus.

Prima limitatio est, præsertim quando occasiones, & difficultates omnes absunt. Secunda limitatio est, vt intelligatur de dilectione imperfecta, & inefficaci, cui non sit coniuncta in effectu obseruatio mandatorū. Tertia limitatio est; nam loquitur de dilectione, quæ nullo modo sit accommodata fini supernaturali, etiam vt dispositio remota. Quarta limitatio est, de dilectione, & proposito, in quibus nullus sit vigor, aut ratio meriti, vt propter talem dilectionem dentur homini auxilia præuenientis gratiæ. Cassianus vero absque his limitationibus asseruit, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta. 1.Limitat. Secunda. Tertia. Quarta.

XXVIII. Impugnantur prima limitatio. Sed contra primam limitationem est efficax argumentum; Nam illa verba, præsertim quando occasiones, & difficultates omnes absunt, non excludunt, sed potius sup-

supponunt, posse hominem habere illam dilectionem, etiam si adsint maximæ difficultates, & occasiones, aut tentationes vehementes inclinantes ad actum eidem dilectioni contrarium. Vnde idem auctor consequenter affirmat, *hominem cum solo concursu generali, quamdiu rationis iudicium non absorbetur, posse in quocumque temporis momento seruare quodcumque præceptum obligans ad peccatum, quantum ad substantiam actus, & habere sufficientes vires ad non consentiendum in quocumque temporis momento cuicumque graui, vehementioriq; tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro seruanda in illo instanti solo lege naturali necesse sit vincere; etiã si ea de causa mors sit toleranda*. Sentit ergo, hominem lapsum posse implere præceptum naturale diligendi Deum super omnia pro eo instanti, vel paruo tempore, in quo obligat ad mortale; etiam si pro obseruantia eiusdem præcepti esset mors tolerãda, aut tẽtationes vehementiores superãdæ.

Molina in Concordia q. 14. art. 13 præsertim memb. 3. & 6.

XXIX. Impugn. 2. limitat.

Contra secundam limitationem est etiam argumentum; nam (vt supra dictum est) qualibet absoluta dilectio Dei super omnia habet ab intrinseco, quod sit efficax ad seruandum quodlibet præceptum naturale occurrens pro eo instanti, aut breui tempore, quo talis dilectio durat, vel eius virtus; etiam si post modum non duret longo tempore, sed interrumpatur per actum contrarium.

Contra 3. limitation.

Molina s.

Tertia limitatio, verbis quidem videtur discedere à sensu Cassiani, sed in re coincidit cum illo; nam idem auctor expresse docet, esse legem à Deo statutam propter merita Christi conferendi auxilia præuenientis gratiæ facienti totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ: Ergo in eius sententia, diligenti Deum super omnia ex viribus naturæ dantur infallibiliter auxilia præuenientis gratiæ, vt dilectio illa sit, qualis ad salutem oportet: Ergo talis dilectio est aliquo modo accommodata fini supernaturali, cum per illam consequatur homo infallibiliter auxilia præuenientis gratiæ.

XXX. Impugnat. 4. limitat.

Contra quartam vero limitationem est etiam argumentum efficacissimũ; nam similiter Cassianus eandem prorsus limitationem apposuit, vt disput. 2. de Auxiliis

nu.

nu. 26. ostensum est: sed tamen S. Prosper ex assertis à Cassiano conuincit, illum sentire gratiam secundum merita nostra dari. Sic enim arguit contra illum: *Quomodo autem non aduertis, te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, conuinceris dicere, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid praecedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequātur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quaerentis pietas, pulsantis instantia: praecipuè cum omnes eiusmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur.* Id quod lepidè libro de Ingratis cap. 38. his versibus explicuit. S.Prosper. cont. Collatorem cap. 6.

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, & sola damnatos plectere voce?
Cum paucis squalida sublatis de cute neruis
Intima viperei foueantur viscera sensus?

Secunda Conclusio. Dilectio Dei, quam in natura lapsa homo potest habere solis viribus naturæ, est dilectio appetitus naturalis, qua diligitur Deus, vt bonum vniuersale, à quo omne bonum particulare in esse, & conseruari dependet, & pertinet ad amorem concupiscentiæ. Hanc enim dilectionem, & inclinationem naturalem tribuit S. Thom. non solum omnibus creaturis intellectualibus; sed etiam irrationalibus, & insensibilibus, imò & dæmonibus, vt patet 1. par. q. 60. art. 5. & 2.2.q.26.art.3.in corpore. Et ratio eius est; nam quælibet pars naturaliter magis inclinatur ad bonum, & conseruationem totius, à quo naturaliter dependet, quam ad bonum proprium. XXXI. 2. Conclusio. S. Thom.

Item etiam appetitu rationali potest homo in natura lapsa ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia dilectione quadam imperfecta, & conditionata, quæ non sit efficax ad implendum omnia præcepta naturalia, etiam pro tempore breuissimo; neque ad exponendam vitam propriam pro dilectione Dei, vel ad superandas grauiores, aut vehementissimas tentationes, quas pro seruandis eisdem præceptis, etiam breui tempore occurrentibus, necesse sit vincere; ac per consequens esse non potest dilectio absoluta Dei super omnia, nec propositum absolutum, & efficax seruandi om-

nia mandata, sed solum velleitas. Hæc conclusio manet satis probata ex dictis in præcedenti. Præterea probatur. Voluntas absoluta ferri non potest in rem impossibilem, vt 1. 2. disput. 51. probaui: sed dilectio Dei super omnia, superius explicata, est homini lapso impossibilis ex solis viribus naturæ, vt supra ostensum est: Ergo non potest absque auxilio gratiæ diligere Deum super omnia dilectione absoluta, etiam pro breui tempore, neque habere propositum absolutum seruandi omnia mandata, sed solum conditionatum.

XXXII. Solutio. Suarez lib. 1. de gratia cap. 34. num. 19.

Ad hoc argumentum respondet, quod inter velleitatem, & absolutum amorem super omnia potest dari aliquis amor medius; nam potest esse amor Dei absolutus, non tamen vniuersalis, sed particularis. Sicut fidelis peccator vult honorare Deum credendo in ipsum, & illi soli cultum tribuendo; quamuis non velit male parta restituere, & sæpe ex affectu ad Deũ odit blasphemiam, vel in se, vel in alio; quamuis non amet Deum integrè, & vniuersaliter.

Cap. 34. alleg. nu. 22.

Confirmat, & explicat hanc solutionem exemplo voluntatis, seu propositi vitandi omnia peccata venialia per totam vitam, quod per ordinarium auxilium gratiæ potest Iustus habere. Nam illud propositum, prout est simplex actus, qui in instanti fit, est quidem aliquo modo absolutum, quatenus re vera homo vult adhibere diligentiam, & facere, quod potuerit, & ad id mouetur ex vi talis actus: & nihilominus non potest esse omnino absolutum; nam includit omnia peccata venialia, tam ex surreptione, quam deliberata, cuius exequutio est simpliciter impossibilis iusto per ordinaria auxilia gratiæ. Et ideo semper includit hanc modificationem, quantum in me fuerit, quæ includit conditionem, *si potuero*, per quam suo modo tollitur impossibilitas in obiecto. Ita ergo intelligi potest amor naturalis Dei, qui inducat hominem ad proponendum seruare legem naturæ, quo ad potuerit; non verò omninò absolutè, & efficaciter.

XXXIII. Impugn.

Hæc tamen solutio vim argumenti subterfugere videtur, & contra illam sic insurgo. Dilectio, de qua in nostra prima conclusione, est dilectio Dei vniuersalis;

nam

nam per illam diligitur Deus super propriam vitam; alias non esset dilectio Dei super omnia: Ergo propositum seruandi omnia mandata in eadem dilectione inclusum debet esse absolutum: Ergo ex viribus naturæ solum potest habere homo propositum conditionatum, seu velleitatem seruandi omnia mandata. Neque est admittendum, dari medium inter propositum absolutum, & conditionatum; nam eo ipso, quod in ipso proposito apponitur hæc limitatio, quantum in me fuerit, efficitur propositum ipsum conditionatum, si potuero. Exempla vero in solutione adducta, nihil probant contra nostram sententiam; nam velle honorare Deum, & illi soli cultum tribuere, non est actus elicitus charitatis, sed latriæ, quæ est virtus particularis: & amor ille erga Deum, qui tribuitur peccatori ex viribus naturæ, ex quo procedit cultus Dei, non est dilectio Dei super omnia, de qua loquuti sumus in prima Conclusione. Similiter etiam aliud exemplum de proposito vitandi omnia venialia collectiuè non fauet contrariæ sententiæ, sed potius nostram confirmat; nam quilibet iustus cognoscit, esse impossibile de lege ordinaria vitare omnia peccata venialia collectiuè. Hoc enim fuit singularissimum Priuilegium Beatissimæ Virginis, & nulli alteri concessum, nec concedendum: Ergo propositum, quo Iustus proponit euitare omnia venialia collectiuè, esse non potest absolutum, simpliciter loquendo, & absque illo additamento omnino, quo sermo redditur obscurior. Erit ergo propositum conditionatum, simpliciter loquendo. Voluntas enim non potest actu absoluto appetere, vel intendere id, quod est simpliciter impossibile, vt supra dictum est.

Inter propositum absolutum, & conditionatum seruandi omnia mandata non datur medium propositum

AD primũ argumentum ex factis à principio respondetur, in homine lapso non esse sufficiens principiũ Physicum dilectionis naturalis Dei super omnia simpliciter, vt ex supra dictis constat: neque excitatio per causas naturales sufficit ad eliciendum eundem actum in natura lapsa, sed necessario requiritur ad eundem actum speciale auxiliũ excitantis, & adiuuantis gratiæ. XXXIV.

In homine lapso non est Physicum principium sufficiens ad diligẽdum Deum super omnia.

Ad confirmationem respondetur similiter, quod in natura integra erat quidem sufficiens virtus Physica in

bu

humana voluntate ad diligendum Deum super omnia dilectione naturali; nam talis actus in se spectatus erat proportionatus integritati eiusdem naturæ: sed ex hoc non sequitur, quod possit absque auxilio gratiæ elicere eundem actum in natura lapsa. Neque est admittendū, easdem vires naturales ad diligendum Deum super omnia manere in natura lapsa, quas primus parens habuit in natura integra; alias per originale peccatum non fuisset homo vulneratus in naturalibus, sed solum donis gratuitis spoliatus, cuius contrarium disp. 45. & 47. de Auxilijs ostensum est.

XXXV. Ad secundum argumentum respondetur. Dictamen illud rationis Deus est super omnia diligendus, esse quidem naturale, & naturalem obligationem inducere: sed hoc præceptum in natura lapsa impleri non potest absq; speciali auxilio præuenientis gratiæ propter infirmitatem, & debilitatem naturæ. Ad multa enim tenetur homo, quæ præstare non potest sine auxilio gratiæ, quod quidem auxilium *quibuscumque diuinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam praecedentis peccati, & saltem originalis peccati*, vt cum Sancto Augustino libro de Correptione, & gratia cap. 5. & 6. docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 2. artic. 5. ad primum.

S. August.

S. Thom.

XXXVI. Ad Tertium argumentum respondetur, quod licet non semper, neque in omni breuissimo tempore occurrant graues tentationes, & impedimenta; nihilominus quælibet dilectio Dei super omnia, qualis in prima Conclusione explicatur, esse debet talis virtutis, & efficaciæ, vt eius virtute vincerentur omnes tentationes, etiam grauissimæ, si occurrerent, quas pro seruandis præceptis naturalibus necesse sit vincere: alias illa dilectio Dei non esset simpliciter super omnia, sed solo titulo. Hanc autem virtutem, & efficaciam, etiam pro breui tempore habere non potest dilectio Dei ex solis viribus naturæ procedens.

Dilectio Dei super omnia efficax esse debet ad vincendas graues tentationes, & grauissimas

Ad Quartum argumentum concessa Minori, negatur Maior; & ratio discriminis inter hominem in puris naturalibus, & in natura lapsa, consistit in hoc: nam in natura lapsa homo per peccatum remansit auersus à Deo,

Homines in natura lapsa, & pura qualiter differãt

Deo, tanquam ab vltimo fine. Vnde per solas vires naturæ non potest conuerti in illum, tanquam in vltimum finem, diligendo illum super omnia simpliciter. Cæterum in puris naturalibus non esset homo auersus à Deo, tanquam ab vltimo fine, & ideo poterat ex solis viribus naturæ elicere vnum, aut alterum actum dilectionis Dei super omnia, sed de hac difficultate plura dicta sunt capite præcedenti, & disput. 47. de Auxilijs.

XXXVII. Ad Quintum argumentum dato antecedenti disputationis gratia, negatur consequentia, propter rationes adducendas infra inter disputandum: Vtrum in homine viatore dilectio Dei super omnia compatiatur simul cum originali peccato, vel mortali. *Infr. c. 12.*

Ad Sextum argumentum respondetur, quod in dæmonibus naturalia manserunt integra, quantum ad ipsas potentias, quia nimirum non fuerunt per peccatum extinctæ, sed in eis mansit Intellectus, & voluntas, quæ consequuntur ad eorum essentiam: sed tamen voluntas eorum mansit deordinata ab vltimo fine, & ex conuersione ad propriam excellentiam, ad quam fuerunt conuersi tanquam ad vltimum finem simpliciter, omnes eorum actiones fiunt inordinatæ, dum eas referunt ad eundem finem. Voluntas vero humana, & intellectus viatoris, quamuis non fuerint extinctæ per peccatum, sed manserunt in sua integritate essentiali: fuerunt tamen vulneratæ, & deordinatæ, vt disput. 46. de Auxilijs ostensum est, vbi enumerata sunt vulnera, quæ per peccatum natura humana incurrit. Vnde consequitur, quod non posit ex solis viribus naturæ elicere actũ illum dilectionis Dei super omnia, etiam ad breue tempus, quem poterat in natura integra. *In Dæmonibus naturalia quo pacto manserint integra.*

Ad Confirmationem negatur antecedens, cuius falsitas probata est ex professo disput. 45. de Auxilijs: & si argumentum aliquid probaret, etiam concluderet, quod posit homo in natura lapsa absq; speciali auxilio gratiæ seruare per totam vitam omnia præcepta naturalia, sicut poterat in natura integra.

XXXVIII. Ad Septimum argumentum iam respondi disp. 51. de Auxilijs nu. 17. & nunc breuiter dico. Ex Bullis præallegatis solum concludi aliquod Deus diligi posit dilectione

stantiam actus. Et sic etiam in 4. d. 17. q. 3. ad 1. idem affirmat de contritione, quo ad substantiam actus cum proposito placendi Deo in omnibus. Refert etiam M. Canum relectione de Pœnitentia parte 5. §. Tertio etiam. Eandem sententiam tribuit Henrico Quodlibeto 4.q.11. circa finem, vbi expressè dicit, posse hominem non solum in statu naturæ integræ, sed etiam in statu naturę corruptæ diligere Deum dilectione naturali beneuolentiæ, & super omnia. Scoto etiam tribuitur hæc sententia in primo d. 17. q. 1. & 2. vbi supponit, actum charitatis esse naturalem, quo ad substantiam, & posse fieri à sola voluntate, tanquam à principio actiuo proximo cum generali concursu; quamuis non possit sic fieri cum quadam speciali perfectione, quam habet ab habitu charitatis. Et in 2.d.28.in resolutione quæstionis sentit, præceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum,* posse impleri per liberum arbitrium, quamuis non sine gratia, quæ consequatur ad illam dilectionem, tanquam ad proximam dispositionem, non vero tanquam principium ipsius *dilectionis,* & in 4. d. 14.q.2. §. De secundo principali, in simili quæstione de dispositione ad gratiam habitualem, & remissionem peccati, dicit. *fieri posse ex naturalibus, cum communi influentia.* Denique quodlibet 17. §. De 3. Iuncto §. Contra Conclusionem, dicit, dilectionem naturalem, & charitatiua Dei non differre specie. Et naturalem vult fieri per vires naturales, quamuis de Charitatiua, vt talis est, fateatur, non posse fieri sine influxu habitus. Sotus. M. Canus. Henricus. Scotus. M. Sotus.

Allegatur et pro eadem sententia Gabriel in 3.d.27. art. 3.dub.2. Propositione 1. Aliacus ibidem, & Almainus q.1.dub 2. proposit. 1. & tract. 2. Moralium cap. 9. & Anton. Andreas in 2. distinct. 28. q. 1. qui omnes admittunt, naturalem Dei dilectionem super omnia fieri posse ab omni peccatore. II. Gabriel Aliacus.

Eandem sententiam tribuit Durando in 3. d. 29.q.2. nu. 13 & sequentibus, distinguenti duplicem dilectionem amicitiæ, & super omnia erga Deum, naturalem, & supernaturalem; nam dicit, priorem esse ex præcepto naturali, ac proinde fieri posse ab homine lapso ex solis naturalibus iuxta generalem regulam, quam posuerat

in 2.d.28.q.4. Et in 1.d. 17.q.2. ad.1.2. dicit, charitatis habitum non esse necessarium ad substantiam actus dilectionis Dei : sed ad meritum de condigno.

III. Marsilius. Pro eadem sententia refertur Marsilius in 2.q.18 art. 2.in confirmationem secundæ Conclusionis, vbi de Philosophis ait, potuisse ratione naturali cognoscere, Deū esse super omnia diligendum, & huic cognitioni voluntatem etiam absq; gratia conformare. Allegatur etiam

Argentin. Thomas de Argentina in 3.d.29.quæst.1.art.2.dubio vltimo, vbi docet, dari posse dilectionem Dei naturalem super omnia, ad quam non sit necessaria charitas. Et multo clarius id docet Adam in 1.d.1. quæst.10. ad argumenta contra primam Conclusionem : imò addit, illam dilectionem naturalem esse eiusdem speciei cum dilectione charitatis, licet non sit ita perfecta, in quo sentit cum Scoto, & alijs supra citatis, & antea id docuit Altisiodorus supra cap. 6.

Responsio ad Testimonia præallegata Doctorum, & ostenditur quid re vera sentiant circa propositam quæstionem.

IV. 
Vt euidenter appareat quam sine fundamēto tribuatur auctoribus præallegatis secunda sententia à capite præcedenti à nobis impugnata, ipsa formalia eorum verba referenda sunt, & expendenda. Multi enim ex illis expressis verbis sententiam nostram confirmant, quam conclusione prima huius capitis defendimus.

Caiet. sententia circa dilectionem Dei naturalem explicatur. Medina. AD Testimonium Caietani ex opusculis eius adductum respondetur, quod illa sententia, prout sonare videtur, reprobatur à Magistro Medina 1.2.q.109. art. 3. in simili actu contritionis procedentis ex dilectione Dei super omnia, & à multis alijs Theologis: potest tñ piè interpretari de dilectione Dei super omnia inefficaci, & imperfecta, iuxta tenorem secundæ conclusionis

sionis. Quæ explicatio est valde conformis contextui: asserit enim, hominem ex suis naturalibus posse habere actum dilectionis Dei imperfectum, qui ex se non est dispositio ad gratiam absque peculiari Dei ordinatione. Et quod hæc sit mens Domini Caietani constat ex his, quæ dicit 1. 2. q. 109. art. 3. nam in toto discursu articuli docet, quod ad diligendum Deum super omnia est necessarium, vt nihil admittat Diuinæ dilectioni contrarium: constat autem hominem, qui est in originali peccato, vel mortali habere in se ipso reatũ eiusdẽ peccati, quod est diuinæ dilectioni contrarium, & constituit hominem auersum à Deo, tanquam ab vltimo fine, & eius inimicum. Vnde idem Caietanus, cum obiecisset in principio articuli hoc argumentum ad probandum, hominem posse in natura lapsa ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, *Quia videlicet sicut potest homo in statu isto alium actum moraliter bonum facere, puta, actum iustitiæ, reddendo alteri homini, quod illi debetur: ita potest reddere Deo hunc actum diligendi, & magni faciendi ipsum super omnia. Actus enim quidam particularis est iste sub morali bono, sicut & quilibet actus*, in §. Ad Confirmationem respondet, *quod non est eadem ratio de isto actu, & de alijs moralibus; tum quia iste actus est supremus omnium naturalium moralium, ut patet. quia respectu ultimi finis simpliciter, ac per hoc primi principij reliquorum: reliqui autem actus sub isto sunt. Maioris autem virtutis est, posse in actum summum, quam in actus inferiores: unde & virtus ultimum potentiæ dicitur primo cæli: tum quia actus iste uniuersitatem actuum humanorum bonam exigit, ut materiam, non autem alij. Non enim quicumque malum aliquod facit, impedimentum præstat sibi, ut non possit quando oportet, reddere mutuum; sed quicumque malum aliquod facit, ipso facto reddit actum illum, & se ipsum illo infectum, ut sic irreferibilem in Deum, ut finem: ac per hoc non potest omnia à se dilecta referre in Deum, ut ultimũ finẽ, quod faciebat homo in natura integra, ut in litera dicitur. Et sic patet veritas conclusionis quantũ ad utramq; partem, scilicet quod integra natura hoc poterat, & quod corrupta non potest, nisi adiutorio*

gratia sanātis in præsenti vita inchoatiuè per charitatem viæ, qua nihil cōtra Dei dilectionē admittimus. Quæ verba clare militāt pro nostra sētētia; nā aiet. solū cōcedit, hominē in peccato mortali posse diligere Deum super omnia viribus proprijs, solū *secūdū præsētē statū peccati*, hoc est, dilectione imperfecta, & cōditionata, quæ potius est quædā velleitas: Quam sentētiā ēt cōfirmat articulo octauo eiusdē quæstionis §. His ita se habētibus, vbi ait, *q. priuatio gratiæ, priuatio subiectionis sui, & suorū omniū Deo præcōceptus malus finis, & malus habitus* sūt ex parte peccati īpedimēta, ne possit homo in natura lapsa ex solis viribus proprijs diligere Deū super oīa simpliciter. Et idē impedimētū docet ibi prouenire ex infirmitate naturæ, cuius sensus & cogitatio proni sunt ad malum ab adolescētia sua, vt dicitur Genes. 6 & in fine eiusdē articuli cōcludit in hæc verba: *Sic igitur existēs in peccato mortali, & nō se disponens ad gratiā, ex hac suppositione, s3. quod vult permanere in statu tali, necesse habet peccare mortaliter; & impossibile est ei nō peccare mortaliter: sed talis necessitas & impossibilitas ex suppositione, nō repugnat voluntario: & propterea voluntariè simul, & necessario ex suppositione peccabit mortaliter.*

Genes. 6

V. Et ad id, quod auctor obijcit, Caietanum v3. nihil distinxisse ex parte Dei, sed absolute circa Deum, tam vt naturalē, quam vt supernaturalē finē, talē amorē, *quo ad substantiā*, concedit, respondetur primo, quod frustra hoc obijcitur Caietano; nā ipsemet explicat quid intelligat per dilectionē Dei super omnia, *quantū ad substantiam.* Non .n. intelligit essentiā, & quidditatē dilectionis naturalis, vel supernaturalis, per quā adimpletur præceptū charitatis, vt auctor prętendere videtur, sed dilectionem Dei in ratione cōmuni dilectionis, vt distinguitur contra modū diligēdi ex toto corde & ex tota anima, &c. quod est diligere Deū super omnia simpliciter: sic .n. explicat se ipsū 2.2.q.44.art.4. vbi ait, quod *in actu virtutis inuenimus tria scilicet substantiā actus, modū eius intrinsecum, & modum extrinsecum*, & applicans illam distinctionem ad actū dilectionis Dei super omnia, subiungit inferius: *In proposito igitur in dilectione Dei substantia actus est diligere Deū, modus autē eius est ex toto corde ipsum diligere*

gere

geri. Et quia hæc conditio actus, sʒ. ex toto corde, nõ trahit actũ extra virtutẽ charitatis, à qua est dilectio, quia non sic se habet, quod ex charitate prouenit diligere Deum, & ex alia virtute diligere ex toto corde eũ, sed vtrũq; prouenit ex vna, & eadẽ charitate: ideo conditio ista modus intrinsecus est dilectionis Dei. Similiter et M. Medina 1.2. q.62. art.2. per dilectionẽ Dei, *quãtũ ad substantiã*, intelligit dilectionẽ Dei *in genere*, & in hoc sensu explicat S. Th. 2.2. q.171. art.2. ad.3. vbi ait, quod *diligere Deũ super omnia superat naturã, quantũ ad modũ: sed non quantum ad substantiã.* Eodẽ modo loquitur Abulẽsis q.178. super c.19. Matth. §. Dicẽdũ. Vbi distinguit actũ virtutis, quãtũ ad substantiã operis, ab eodẽ actu quantũ ad modũ agẽdi, & quãtũ ad intentionẽ legislatoris, & hoc secũdo modo ait, præceptum charitatis impleri non posse sine gratia. Imò S. Th. expresse distinguit, & accipit actũ cõtritionis secũdũ substantiã, vt præscindit à modo eiusdẽ actus, siue modus ille sit intrinsecus, siue extrinsecus. Sic. n. loquit. in lib.4. sẽt. d.17. q.2. art.1. q.1. in corp. vbi ait: *Actus ille, quo peccatũ remittitur*, cõtritio dicĩ per similitudinẽ, in qua quidẽ cõtritione plura possũt cõsiderari, sʒ. ipsa substãtia actus, modus agẽdi, principiũ, & effectus: & secũdũ hoc de cõtritione inueniũtur diuersæ definitiones traditæ: quãtũ. n. ad ipsã substantiã *actus datur prædicta definitio.* Et infra docet, per illas particulas propter Deũ cũ proposito cõfitẽdi, & satisfaciẽdi, explicari modũ doloris de peccatis, quẽ habere debet, vt talis dolor sit cõtritio. Et in eadẽ acceptione M. Bagn. 2.2. q.24. art.2. circa finẽ sumit actũ charitatis secũdũ substãtiã, vt patebit cap.9. n.11. vbi eius verba referenda sunt, & expẽdẽda. Videatur S. Thom. 2.2. allegata, & 1.2. q.100. art.10. nam in vtroq; loco habet magnum fundamentum sententia, & sensus Caietani.

M. Med.

Abulens.

S. Thom.

Bañes.

Vt ergo existẽs in peccato mortali præceptũ charitatis impleat, faciat quod põt, & petat quod nõ põt, vt dicit Cõcil. Trid. & se disponat cũ auxilio diuino ad habẽdã charitatẽ, quæ plenitudo legis est; alias si id nõ faciat, pro tẽpore illo quo currit præceptũ charitatis Dei, erit reus eiusdẽ præcepti.

M. Sot. absq; vllo proprio fundamẽto allegat pro cõtraria sẽtẽtia, cũ nobis expresse faueat: nã primo lib. de natura, & gratia, c.22. §. *At, de dilectione Dei*, mouet quæstionẽ in terminis, vt

Concil. Trid.

Mag. Sot. sententia circa dilectionem Dei naturalem aperitur.

videlicet, an distinctio hæc operum, quantum ad substantiam, & quantum ad modum locum etiam habeat de dilectione Dei super omnia. Quod est dicere, an possit homo humanitus cum solo generali Dei iuuamine habere dilectionem Dei super omnia, dumtaxat quantum ad substantiam actus: itaque per illam impleat præceptum dilectionis, vt liberet se à noua culpa, non tamen sufficiat obtinere diuinam gratiam. Et paucis interiectis proponit vulgare argumentum pro parte affirmatiua: *nam potest homo naturaliter cognoscere, Deum esse finem omnium maximè diligendum, & naturalis inclinatio hominis est, Deum supra se diligere: Ergo id potest naturaliter præstare.* Et respondet his verbis immediatè sequentibus: *Hoc argumentum conficiunt nonnulli, posse à nobis Deum diligi super omnia naturaliter. Quod re vera & absonum est Christianis auribus, & præter rationem collectum. Nam esto, haberi ille actus naturaliter possit ab illo etiam, qui est in peccato mortali, nequaquam dicendus est dilectio Dei super omnia. Enimuerò dilectio Dei super omnia (quod vox ipsa statim primo sono auribus exhibet) est, qua ita quis Deum diligit, vt ipsum omnibus præferat, seque, & sua omnia in ipsum referat, saltem nihil diuinæ amicitiæ contrarium admittat, iuxta euangelicam vocem, ex toto corde, & tota mente. Contrarium inquam, quoniam venialia non obstant dilectioni Dei super omnia. Hanc autem dilectionem fateor binam esse, sane alteram naturalem: alteram supernaturalem. Quo circa Doctissimè profectò, & meditatissimè S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 3. percunctatus, an sine auxilio gratiæ possit naturaliter homo diligere Deũ super omnia; Respondet affirmando de homine in statu naturæ integræ, & simpliciter id negando de homine lapso. Et causa est, quoniam homo in statu innocentiæ, ratione suæ naturæ Iustitia originali instituta consideratus, etiam absque gratia gratum faciente, & alio speciali auxilio, cum nullam haberet causam peccandi, poterat perseueranter implere præcepta omnia, quo ad substantiam per opera moraliter bona, & pari ratione vno actu verè referre se, & omnia sua in Deum, tanquam finem naturalis boni: homo autem lapsus, non item, quia*

Idem.

Dilectio Dei super omnia simpliciter cũ peccato mortali nõ compatitur

Duplex dilectio.

S. Thom. 1. 2. q. 109 artic. 3.

non

non potest naturaliter, nec quantum ad substantiam operum omnia seruare praecepta. Quare neq; omnia vno actu mentis vere referre in ipsum: siquidem absque speciali auxilio non potest non incidere in culpam, quae fit contra diuinam amicitiam, ob idque actus ille diligendi Deum super omnia nominatus non est censendus dilectio Dei super omnia. Per quae verba idem Magister Sotus limitat ea, quae in cap. 14. praeallegato praedixerat, videlicet, omnem actum, qui per gratiam fieri potest, posse à peccatore fieri, *quo ad substantiam actus*, ita, vt hoc intelligatur de actibus aliarum virtutum singularium, quae non sunt plenitudo legis, etiam naturalis. Vel dicendum; quod per actum virtutis *secundum substantiam*, qui sine gratia fieri potest, intelligit actum illius virtutis secundum communem rationem; temperantiae, verbi gratia, vel fidei, aut charitatis: non autem secundum propriam, & quidditatiuam rationem eiusdem actus, qui solum per gratiam fieri potest. Itaque nomine substantiae intelligit rationem communem vniuocam, vel analogam illius virtutis, sicut intellexit Caietanus loco superius allegato. Accedit, quod idem Sotus cap. 22. eiusdem libri solum concedit cum Sancto Thoma 1. 2. q. 109. art. 2. & cum Augustino lib. 3. Hipognostic. quod possit ex solis viribus naturae operari aliqua bona moralia facilia; sicut aedificare domos, plantare vineas, visitare amicos, & similia; non autem alia, quae in se continent magnam difficultatem, nec resistere grauioribus tentationibus, nisi speciali auxilio gratiae adiuuetur. Sic enim ait circa medium capitis: *Sunt alia opera, quae possumus facere sine repugnante tentatione, vt dicere veritatem, quae nihil nobis refert, erogare tenuem stipem pauperi, obedire parentibus in re parua & huius generis alia. Sed adiecerim praeterea, quod quamuis vehementes tentationes superare non possimus sine auxilio speciali Dei: possumus tamen exiguas: non quidem, vt Deo sit accepta victoria nostra ad vitam aeternam; sed tamen, vt nouum euitemus peccatum. Natura enim nostra mansit post peccatū infirma, non tamen fuit prorsus extincta.*

Sotus.

Caietan. Sotus. S. Thom. S. August.

Ad alium locum ex 4. sententiarum dist. 17. q. 2. art. 5. ad 1. post quintam Conclusionem respondetur, quod

Quod ibi loquitur de dilectione Dei obiectiua, & imperfecta, quæ nõ includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum, etiam pro illo instanti, vel paruo tempore, quo durat virtus illius; nam se remittit ad Caput 22. libri primi de natura, & gratia, vbi nostram sententiam expressè docet, vt constat ex verbis illius supra inductis.

VI. Ad Mag. Can. Idem dicendum ad locum inductum ex Magistro Cano. Nunquam enim docuit sententiam, quam impugnamus, sed potius oppositam. Nam vt refert Bagnes. 2.2. q. 24. art. 2. paulo post principium Commenti, *Mag. F. Melchior Cano aiebat, sententiam supra positam esse periculosam, & ratio eius erat, quia talis opinio tollit necessitatem virtutũ infusarum. Et probabat. Nam si credere Deum esse trinum, & vnum possumus per actum acquisita fidei eiusdem speciei, quantum ad substantiam actus, cum actu, qui est in fide infusa: Ergo superflua est fides infusa.* Quæstio autem erat: An saltem quo ad substantiam actus possit homo habere ex viribus naturæ dilectionem Dei super omnia similem dilectioni ex charitate. Vnde si alicubi Magister Canus concedit homini lapso aliquam dilectionem Dei, intelligendus est de dilectione Dei valde imperfecta, quæ non est super omnia simpliciter, & cũ absoluto proposito nũquam peccandi.

VII. *Henrici verba expenduntur circa dilectionẽ Dei naturalem* Ad locum Henrici de Gandauo quodlibet 4. q. 11. respondetur, quod non loquitur de dilectione, qua Deus super omnia diligitur amore amicitiæ; sed de amore concupiscentiæ, quo Deus diligitur, vt bonum vniuersale, à quo dependent intrinsecè omnia bona particularia. Quæ quidem dilectio est naturalis competens suo modo cuilibet creaturæ, etiam insensibili, quæ magis inclinatur ad bonum diuinum, & esse illius, quam ad esse proprium, eo quod sine illo conseruari non potest. Verba enim illius in § Quodãmodo tamen, hæc sunt: *Tali ergo naturali dilectione amicitiæ, & beneuolentiæ Deus diligit super omnia. Vniuersaliter enim quicquid recta ratione consulente plus diligibile est aliis in quocumque genere dilectionis, hoc plus diligit voluntas naturalis, vt natura est, & hoc inclinatione naturali, absque omni motu inclinante in illud, dum diligibilis nullam penitus* (Tom. 1. Hẽrici Pag. 106.)

habet

habet notitiam, & inclinatione flexa in motum, secundum gradum, & modum cognitionis, dum aliquam notitiam diligibilis accepit. Ita quod appetitus naturæ, vt natura est, semper est in melius simpliciter, cui si voluntas deliberata concordaret, semper quod melius est, eligeret, & magis diligeret. Et infra: *Propositum nostrum est, secundum naturam viuere. Quod re vera bonum erat, & ad gratiam charitatis ordinans. Sed propositū perfectissimum est, secundum charitatem viuere, quod est bonorum Christianorum. Cum verò deprauata per vitium natura non congruit, tunc illo, vel illis fruitur, quæ sunt obiecta sui peccati. Et ideo dilectione deliberatiua pro tali statu Deum super omnia diligere non potest: & hoc, quia deliberatiua dilectio determinata sequitur notitiam determinatam illorum, qua stante in actu non potest Deum diligere super illa, nisi retrahendo ab illis amorem, vt diligat illa sub Deo. Super omnia verò alia, quibus per talem fruitionem non inhæret dilectione deliberatiua, sicut & naturali, Deum diligere potest. Sic ergo absolutè concedendum, quod Deus naturaliter diligitur super omnia.* Et sic intellexit Henricum Commentarius Magistri Vitalis Succolij Patauini Ordinis Camaldulensis, eidem Quodlibeto adiectus. Vbi sic ait: *Not. easdem Conclusiones haberi, tum à D. Thom. prima parte q. 60. art. 5. cum etiam à Scoto 3. sententiarum, distinct. 27. licet de more conetur impugnare rationem D. Thom. quem diligenter tuetur Caietanus.* Loquitur ergo Henricus de dilectione naturali Dei super omnia, quam S. Thomas prima parte allegata, etiam Dæmonibus tribuit, & omnibus creaturis iuxta modum suæ naturæ, vt in secunda Conclusione expositum est.

Nota verba Henrici.

VIII. Scoti testimonia expenduntur circa dilectionem Dei naturalem.

Scotus etiam nullo modo fauet contrariæ sententiæ: nam ea quæ adducūtur ex libro primo sententiarum solum probant, actum dilectionis Dei esse naturalem, & posse fieri à sola voluntate, *quo ad substantiam actus,* accipiendo substantiam actus, vt præscindit à modo diligendi Deum propter se ipsum ex toto corde, & ex tota anima, &c. & super omnia simpliciter, vt dictum est. Vel dicendum cum Andrea de Vega quæst. 10. de Iustificatione, & lib. 6. super Concilium Tridentinum cap.

28. quod ibi non excludit Scotus speciale auxilium: sed solum habitum infusum charitatis, qui sit principium effectiuum eiusdem actus. Eodem modo intelligitur in 2. sentent. distinct. 29. circa finem, vbi loquens de illo
Matt. 22. Præcepto. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* à quo tota lex pendet, & Prophetæ, sic ait: *Ad actū igitur huius præcepti aliquando elicìendum tenetur voluntas* ita, quod potest esse semper omissio actus huius præcepti sine peccato mortali: quandocumque autem voluntas actum huius præcepti exequitur, licet informis, & disponit se de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ, vel resistet, & peccabit mortaliter, vel consentiet, & iustificabitur. Hæc igitur opinio non ponit partem negatiuam, quasi propter impotentiam liberi arbitrij absolute: sed in quantum ipsum comparatur ad Deum liberaliter gratiam offerentem, libero arbitrio aliqualiter tamen *disposito*. Sed in his etiam verbis non excludit speciale auxilium præuenientis gratiæ; sed illud præsupponit. Cum enim dicat, quod per talem actum disponit se de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ si consentiat iustificabitur, affirmare non potuit, talem actum dilectionis, qui est vltima dispositio ad gratiam iustificantem, procedere ex solis viribus naturæ absque speciali auxilio præuenientis gratiæ.

IX. Potest tamen obijci contra præmissa idem Scotus in 4. dist. 14. q. 2. §. De secundo. Vbi ait: *Peccator potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum a Deo, & vt impeditiuum, & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus, & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari.* Sed respondetur, Scotum illis verbis solum intendere, quod ad illam detestationem, qua homo disponitur ad gratiam iustificantem, non prærequiritur habitus pœnitentiæ infusus, tanquam principium effectiuum eiusdem detestationis, vt supra dictum est. Vnde non excludit, sed potius præsupponit speciale auxilium præuenientis gratiæ, sine quo detestatio peccati, præsertim illa, quam requirit Scotus, tanquam vltima di-

spositio ad infusionem gratiæ elici non potest ex solis viribus naturæ absque influentia eiusdem auxilij præuenientis gratiæ. Vnde per illa verba, *cum communi influentia*, intelligit Scotus communem influentiam ordinis gratiæ, sine qua non potest homo se disponere præsertim proximè ad infusionem iustificantis gratiæ. Et quod hæc sit mens Scoti in loco illo, patet ex toto contextu. Nam circa finem corporis, cum proposuisset hoc argumentum: Contritio, vt contritio, sequitur deletionem culpæ: Ergo non est vltima dispositio ad illam. Respondet, *quod actus, qui est contritio, in eodem instanti temporis præcedit natura deletionem, licet vt contritio, hoc est, vt formata, sequatur deletionē ordine naturæ, & sic debet cōcedi in sensu diuisionis, quod per actū, qui est contritio deletur peccatū, vt per dispositionē omnino proximā; nec est inconueniens, imò conueniens, dispositionē proximā simul esse cum forma, ad quā disponit.* Ex quibus verbis apparet, cōtritionē de qua ibi loquitur, l3. in sententia Scoti nō procedat effectiuè à gratia, & charitate habituali, ad quam vltimatè disponit; procedere tamen ex naturalibus liberi arbitrij cum communi influentia ordinis gratiæ, hoc est, cum speciali motione præuenientis gratiæ. Neque enim dixit vnquam Scotus, nec dicere potuit, contritionem, pro vt est vltima dispositio ad gratiam iustificantē, procedere ex solis viribus naturæ absq; influentia specialis auxilij præuēnientis gratiæ; nam id esset aperte incidere in errorem Pelagij.

Ad alium locum ex quodlibeto 17. §. De tertio principali, respondetur, quod in illa quæst. 17. quodlibetica §. De primo, expresse docet nostram sententiam: ait enim, *quod plures actus dilectionis, ad quos naturaliter inclinamur, possumus potestate naturali elicere l3 non omnes, quia ad perfectissimū circa vltimū finē est inclinatio naturalis, l3. ad illū nō possit natura attingere, & sic.* Ex quibus verbis desumitur argumentū. Actus dilectionis Dei super omnia, vt est vltimus finis naturalis, cū proposito absoluto nunquam peccandi est perfectissimus actus dilectionis naturalis: Ergo secundum Scotum non potest nostra voluntas illum ex se attingere: sed solum ex auxilio speciali præuenientis gratiæ. Nec in §. illo de X.

tertio principali dicit contrarium. Verba enim illius sunt: *Potest dici, quod actus dilectionis naturalis, & meritorij non differunt specie; & hoc loquendo de per se differentia, quam important per se ratio, & ratio meritorij: non autem per accidens, de differentia scilicet aliqua concomitante, pro vt a differentia obiectorum, vel aliqua tali, intelligendo etiam de differentia actus specifica in esse natura.* Sensus enim illius est, quod actus dilectionis naturalis, qualiscumque illa sit, est eiusdem speciei cum dilectione meritoria in esse naturæ: quia per hoc, quod referatur per charitatem infusam ad vltimum finem supernaturalem, ratione cuius relationis efficitur meritorius vitæ æternæ, non trãsfertur in aliam speciem in esse naturæ: nam talis relatio est extrinseca actibus virtutum moralium consideratis in esse naturæ, quod habent in ordine ad proprium obiectum, à quo specificantur. Et hanc esse mentem Scoti constat ex toto discursu illius §. Vbi probat, dilectionem illam meritoriam non esse specie distinctam in esse naturæ à dilectione naturali, *nam meritum non importat, nisi respectum*. Non autem intelligit Scotus, quod dilectio illa imperfecta Dei, quam habere potest homo in natura lapsa proprijs viribus, sit eiusdem speciei in esse naturæ cum dilectione charitatis infusæ, quæ ab intrinseco meritoria est vitæ æternæ.

XI. Ad Gabr. Gabriel loco inducto fatetur quidem, posse hominem elicere actum dilectionis Dei super omnia ex viribus naturæ: sed intelligendus est de dilectione naturali, quam Sanctus Thom. 1.p. superius allegata docet etiam esse in Dæmonibus, iuxta ea quæ in 2. concl. dicta sunt: non autem de illa, qua diligitur Deus propter se ipsum cum absoluto proposito placendi ei in omnibus.

Ad Petrũ de Aliac. Petrus de Aliaco loco allegato nihil dicit circa præsentẽ quæstionem: sed in 1. sentent. q. 2. ad. 2. rationẽ eam tractat, & ibi ponit quatuor propositiones, inter quas hæc est præcipua, & prima in ordine: Nullus homo potest stante lege per pura naturalia implere præceptum dilectionis Dei super omnia, & quãuis homo extra gratiam constitutus possit diligere Deũ super omnia, non tamen potest implere præceptum dilectionis Dei super omnia, quan-

quantũ ad intẽtionẽ præcipientis,& hoc est,quod multi Doctores dicunt,quod tantum potest homo seruare aliqua diuina mandata,inter quæ est etiam præceptũ dilectionis,quo ad substãtiam operis. Sed nomine dilectionis,quo ad substantiam operis,non intelligit dilectionẽ Dei absolutam,& determinatã super omnia simpliciter cum proposito absoluto nunquam peccandi,sed solũ dilectionem quandam imperfectam,& conditionatam, vt nu. 42. dictum est circa sententiam Caiet.vbi expositum est,quid intelligatur nomine dilectionis,*quantũ ad substantiam actus.* Vel intelligẽdus est de dilectione illa naturali, quam Sanctus Thomas, vbi supra, tribuit et Dæmonibus: etenim idem auctor in verbis antecedentibus expresse negat, posse hominem per pura naturalia implere præceptũ dilectionis Dei super omnia. Et ratio id suadet;nam modus diligendi,i.ex toto corde,& ex tota anima, & ex omnibus viribus ita, vt nihil admittatur diuinæ dilectioni contrarium, est de intrinseca ratione præcepti charitatis, etiam naturalis, vt 1.2. q. 100. art. 10.& 2. 2. q. 44. art. 4. docet Sanctus Thomas,& vtroque in loco Caietanus,vt supra ostensum est.Et per hæc patet quid sit dicẽdũ ad loca Almaini superius inducta. Ad Almain.

XII. Ad Ant. Andream

Antonius Andreas loco allegato probat quidem,hominem sine gratia non necessariò peccare mortaliter, & assignat rationem, *quia stante Hypothesi, quod Deus non infundat gratiam, & iste diligat Deum super omnia ex puris naturalibus, & proximum sicut se, sufficit sibi; neque est obligatus ad aliud. Neque est dicendum, quod taliter diligendo peccaret mortaliter, quod est absurdum.* Sed hic auctor nullo modo fauet sententiæ, quam impugnamus. Verissimum enim est, & ab omnibus catholicis admittendum, hominem sine gratia non necessario peccare mortaliter, si intelligatur de necessitate absoluta, quæ repugnat libertati voluntatis creatæ, sine qua peccatum mortale committi non potest: nihilominus cum necessitate conditionata vel ex suppositione, quæ est necessitas secundum quid non obstans libertati, stare simul potest mortale peccatum, vt dicit Caietanus in verbis superius inductis. Vt ergo in casu posito homo non peccet neces-

necessario necessitate absoluta non diligendo Deum pro eo instanti, quo naturali præcepto dilectionis Dei obligatur. sufficit, quod diligat Deum, & proximum super omnia, sicut pro illo statu est illi possibile, dilectione videlicet illa imperfecta, & conditionata faciendo quod potest, & petendo quod non potest; & si id faciet, non peccabit.

XII. *Durandi Testimonia examinantur.* Ad locum Durandi superius inductum ex 3. sentent. respondetur, quod in illo numero 13. solum dicit, quod quilibet debet diligere Deũ plusquã se ipsũ. Et id probat ex eo, quod pars plus amat bonum totius, quam suum bonum proprium. Et de hoc agit nu. 4. 10. & sequentibus. In nu. 24. loquens de Amore Dei super omnia, habet quidem hæc verba: *Amor amicitiæ consurgit ex bono apprehenso in eo, qui amatur, sicut amamus virtuosum propter bonum virtutis in ipso existentis; propter quod si nulla ratio bonitatis absolutè concipiatur esse in Deo per gratiam præter illam, quam concepimus esse in eo per naturam, nulla ratio est, quare natura eleuatur ad amandum Deũ amore amicitiæ, quo ad modum diligendi prædictum. Dicendum est ergo, quod charitas eleuat naturam ad amandum Deum meritoriè, quia sine charitate nulla dilectio Dei esset meritoria, non autem oportet quod plus, vel aliter eleuet.* Sed ex his verbis nihil potest colligi contra nostram sententiam, vel in fauorem contrariæ. Non enim tribuit Durandus homini lapso ex solis viribus naturæ dilectionem Dei super omnia, de qua est præsens quæstio, sed illam dumtaxat, qua diligitur Deus super omnia, non quidem propter se ipsum: sed in quantum est bonum vniuersale, à quo intrinsecè in suo esse, & conseruari intrinsecè dependet bonum particulare naturæ rationalis, & cuiuslibet alterius, vt patet ex verbis sebsequentibus eiusdem Durandi. Subdit enim in eodem numero: *Deus plus diligitur, cum ratione naturali ostendatur, quod Deus sit maius bonum, à quo dependet omne aliud bonum.* Quod etiam confirmatur. Nam in nu. 25. exponens dictum Bernardi de diligendo Deo, vbi distinguit quatuor gradus diligendi. Primus est, cum homo nihil diligit, nisi se. Secundus est, cum nihil diligit nisi propter se, & propter propriam

vtili-

vtilitatem. Tertius est, cum diligit Deum propter Deum. Quartus, cum diligit se, & omnia alia propter Deum, & dicit, quod tertius, & quartus gradus sunt gratuiti, ait: *Quod Bernardus pro tanto dicit quod tertius, & quartus gradus dilectionis sunt gratuiti, & non duo primi: Quia duo primi sunt natura corrupta, nec stant cum gratia; sed tertius, & quartus sunt natura per rectam rationem regulata & stant cum gratia, nec per hoc excluditur quin sint à natura.* Hæc Durandus, quibus verbis expressè confirmat nostram sententiã, & aduersam impugnat; nam præsens quæstio solum procedit de dilectione absoluta, qua Deus propter se ipsũ, & propter suam bonitatem diligitur super omnia simpliciter cum absoluto proposito nunquam peccandi. Et hanc dilectionem dicit expressè Durandus cum Sancto Bernardo esse gratuitam.

Nec obstant verba illa Durandi superius inducta, quod scilicet charitas eleuat naturam ad amandũ Deum meritoriè: quia sine charitate nulla dilectio Dei esset meritoriè. Per hæc enim verba non negat Durandus, esse necessarium speciale auxilium præuenientis gratiæ ad diligendum Deum super omnia modo superius explicato, cum idem Durandus in verbis inductis expressè asserat, illam dilectionem esse gratuitam.

Non obstant etiam alia testimonia Durandi, quæ adducuntur ex lib. 2. & 1. sentent. Verissimum enim est etiam in nostra sententia, quod habitus charitatis non sit necessarius ad substantiam actus dilectionis Dei; si per substantiam actus dilectionis intelligatur sola dilectio Dei secundum se, præscindendo à modo dilectionis, qui est super omnia simpliciter, siuè ex toto corde, & tota anima, &c. Hoc enim debet intelligi per dilectionem Dei, quantum ad substantiam actus, vt nu. 42. expositum est.

XIV. Ad Marsilium.

Marsilius in art. 2. nihil fauet oppositæ sententiæ, sed potius nostram docet expressè. ibi enim statuit duas conclusiones. Prima est: Licet ante peccatum potuerit homo omnia mandata adimplere sine gratia; nullo tamen modo hoc aliquis homo potuit, nisi accedente gratia, commissa culpa primorum parentum. Secunda

Con-

Conclusio. Sicut Adam potuit in omnia sibi præcepta, tam affirmatiuè, quam negatiuè, sine gratia gratum faciente, & etiam in ea, quæ nobis præcipiuntur, vt ea velimus: sic post lapsum per Dei auxiliũ gratis datũ ẽt põt in electiones expositiuas Dei super omnia, & proximi, quamuis illis, vt sic, beatitudinem mereri nõ possimus. Vbi Marsilius ad diligendum Deum super omnia, & proximum, necessarium esse docet in natura lapsa speciale Dei auxilium gratuitum, seu gratis datum, vt ipse ait. Et licet in confirmatione huius conclusionis admittat, Philosophos cognouisse, Deum esse super omnia diligendum, & quod huic cognitioni per voluntatem se poterant conformare: hoc tamen intelligendum est de conformitate per voluntatem, vel dilectionem imperfectam, vel conditionatam, qualis esse potest ex solis viribus naturæ in homine lapso, vt supra dictum est: non autem de voluntate, & dilectione absoluta Dei super omnia, cum absoluto proposito placendi ei in omnibus, de qua præsens quæstio procedit. Si n. intelligeretur de dilectione Dei super omnia, de qua loquimur, contradixisset sibi in conclusionibus positis, in quibus præmiserat, nõ posse hominẽ in natura lapsa absque Dei auxilio gratuito, seu gratis dato diligere Deum super omnia.

XV. Ad Argẽtinam.

Thomas de Argentina art. 2. allegato, dubio 2. solum docet, quod naturali dilectione homo magis diligit Deum, quam se ipsum; sed hoc intelligendum est iuxta ea, quæ superius dicta sunt de dilectione naturali, qua diligitur Deus, in quantum est bonum vniuersale, à quo dependet intrinsecè omne aliud bonum particulare, quæ dilectio pertinet ad amorem concupiscentiæ. Talis enim amor esse potest in suo genere super omnia, vt idemmet Suarez fatetur cap. 31. allegato num. 20. & duobus sequentibus, quod etiam probat ibi ex professo: non autem loquitur de dilectione absoluta, qua Deus diligitur super omnia simpliciter cum proposito absoluto nunquam peccandi.

Accedit, quod Argentina non excludit speciale auxilium præuenientis gratiæ, vt auctor aduertit. Vnde dato, & non concesso, quod loqueretur de dilectione Dei super omnia, de qua est quæstio, intelligendus esset, &

expli-

explicandus de dilectione Dei super omnia procedente à libero arbitrio cum speciali auxilio præuenientis gratiæ, sicut dictum est ad testimonia Scoti.

Denique Adamus in quæstione illa decima, conclus. 1. habet quidem hæc verba, quod stante cognitione creatoris enigmatica in vniuersali, vel particulari, voluntas potest causare in se actiuè dilectionem Dei super omnia, & propter se, sine fruitione Dei. Sed intelligendus est iuxta ea, quæ dicta sunt ad Argentinam, vel reijciendus. Et per ea, quæ dicta sunt ad præallegatos Doctores, patet, qualiter sint intelligendi alij auctores, qui pro eadem secunda sententia adduci solent. Ad Adamum.

Propter similes allegationes, quibus suas sententias stabilire conabantur quidam alij, & defendere, dixit de illis Vincentius Lyrinensis: *Captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulo inuolutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, vt nec primi, nec soli tenere videantur.* Sed de his plura dicenda sunt capite sequenti.

CAPVT VIII.

Vtrum liberum arbitrium cum solo concursu Dei generali Attritionem, & Contritionem, quo ad solam actus substantiam elicere valeat.



PRIMA sententia est affirmatiua, quam defendit Molina in Concordia quæst. 14. art. 13. disput. 14. Membro primo in principio. Vbi ait. *Negari non potest, complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum nostrum arbitrium cum solo concursu generali Dei elicere posse non solum actū attritionis naturalem, idest, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter: sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius le-* 1. Molina.

thaliter includat. Et in fine eiusdem Membri §. Ratio vero, id magis explicat, & probat sequentibus verbis: *Quia praexistente maxime lumine fidei, quo agnoscimus Deum conditorem nostrum innumeraque, & maxima beneficia, tum naturæ, tum gratiæ, quæ in nos contulit vsque ad proprij sanguinis in Cruce effusionem, quo insuper cognoscimus, iustis sempiternam felicitatem, impijs vero ignem sempiternum, extremamque miseriam esse propositam; lethale autem peccatum tam extremum esse malum, adeoque diuinam Maiestatem offendere, vt vel vnum sit satis, vt qui illud commiserit, nisi de eo doleat, statuatq; nihil tale deinceps committere supremam amittat fælicitatem; in extremamque incidat miseriam: proculdubio tam potens est hæc cogitatio ad excitandam, & præmouendam voluntatem, vt liberum arbitrium eius, qui hæc sibi persuaserit proprio acumine, aut alterius suggestione, & hortatu rem attente considerauerit, cum solo concursu generali Dei elicere valeat, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ alias incidet, dolorem, seu detestationem suorum scelerum cum proposito cauendi in posterum omnia peccata lethalia, in quo consistit attritio, quo ad substantiam actus: intuitu vero bonitatis, ac beneficiorum Dei similem detestationem, ac propositum, in quibus posita est ratio contritionis, quo ad substantiam actus insufficientis ad salutem; eo quod peculiari impulsu Spiritus sancti excitata non sit, nec effecta.* Et præter rationem in verbis inductis insinuatam probat suam sententiam sequentibus argumentis.

II. Memb. 4. citat. § His ita constitutis.

Primum argumentum est. Quoniam in absentia saltem obiectorum, atque occasionum peccandi, sanè non est multum difficile, quin tanquam facile se offert, elicere; quo ad solam actus substantiam, tale absolutum propositum non peccandi deinceps lethaliter, quale ad contritionem, & attritionem ostensum est sufficere. Quiuis namque in se ipso experiretur, si fidei lumine ante mentis oculos proponat, sibique persuadeat excludendum se esse à sempiterna beatitudine, innumerisque alijs malis circumuentum vndique, sempiterno igne esse cruciandum, nisi statuat non peccare deinceps lethaliter, vt tantum malum effugiat: Ergo, &c. Antecedens

dens probatur. Quoniam vnicuique est naturale, propositis duabus molestijs subeundis, saltem in vtriusque absentia elicere potius minorem, eamque statuere potius subire, vt maiorem euitet: Ergo saltem lumine fidei illustratus, cum solo concursu Dei generali elicere, quò ad solam actus substantiam, potest propositum absolutum de cætero non peccandi mortaliter.

Secundo. Propositum eiusmodi est extra totam latitudinem ordinis gratiæ, nihil proinde conducens ad finem supernaturalem, atque vnicus actus est in se merè naturalis, propriusque libero arbitrio: quare lumen ipsum naturale intellectus, moralisque, ac naturalis Philosophia docent, denegari non debere viribus naturalibus humani arbitrij, Deo cooperante solum tanquam causa vniuersali per generalem solum concursum eo pacto, quo cum reliquis causis secundis cooperatur.

III. Tertio. Actus contritionis procedens ex dilectione Dei super omnia, sicut & ipsa dilectio charitatis supernaturalis non habet, quòd sit supernaturalis secundum substantiam, sed solum secundum modum, quatenus, videlicet, fiunt, prout ad salutem oportet: & ideo Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 6. Canon. 3. & Arausic. Canon. 6. cum definiunt aduersus Pelagianos, eiusmodi actus fieri non posse absque præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, magna cum consideratione addiderunt illa verba: *Sicut oportet, vt iustificationis ei gratia conferatur*, seù, quod idem est, sicut oportet ad salutem: Ergo secundum substantiam elici possunt ex solis viribus naturæ, dummodo negetur, eosdem actus naturales esse initium gratiæ, etiam remotum.

Conc. Tridentinum.

Quarto idem confirmat. Quia nec etiam ad contritionem supernaturalem necessaria est dilectio Dei super omnia, propositumue non peccandi in eo sensu efficax, quod si, dum quis conteritur, aut atteritur, occurrerent graues quæcumque tentationes, & occasiones peccandi, persisteret is in eodem proposito, minimeque succumberet. Ergo. Antecedens probatur: nam alias rarissimi essent, aut potius nulli, qui veram contritio-

nem,aut attritionem de suis peccatis haberent, si tale propositum ad contritionem,aut attritionem esset necessarium; & qui id affirmare vellet, angustam nimium redderet salutis viam, adduceretque homines in desperationem, ac non leuibus scrupulis Ecclesiam perturbaret.

Confirmat hoc argumentum: nam sequeretur ex opposita sententia,necessarium esse,vt qui de peccatis dolet,statuitque deinceps nō peccare,descenderet ad particulares appretiationes, proponendo sibi grauissimas tentationes, ac difficultates potius subeundas, quam Deum offendendum, vt ea ratione tentaret, an suum propositum efficax esset, ne si ad eum gradum efficacię non pertingeret, putans se habere legitimum propositum, maneret in lethali peccato, pœnasque incurreret sempiternas. Quod tamen est durissimum, & contra Praxim communiter receptam in Ecclesia.

IV. *Eodē mēb. 4. §. illud extremum*

Quinto.Propositum non peccandi lethaliter ad contritionem,& attritionem, etiam supernaturalem, sufficiens,non necessario esse debet tam efficax, eaque ratione tam difficile, vt quo ad solam actus substantiam viribus arbitrij naturalibus elici non valeat, quam difficile,& quam efficax esse debere, aliquibus se se offert. Ergo, &c.

Sexto. Probat suam sententiam auctoritate Doctorum, qui illam defendunt,pro qua membro primo allegato refert Sotum, Magistrum Canū,Caietanum,S.Thomam, & alios quamplures, quorum testimonia examinanda sunt infra. Multi enim ex illis aperte docent nostram sententiam,vt cap. præcedenti ostensum est, dum ageretur de naturali dilectione Dei super omnia.

V. *Suarez.*

Secunda sententia est Patris Suarez libro primo de necessitate gratiæ ad opera naturalia, cap. 37. num. 6. & sequentibus. Vbi conatur defendere sententiam Molinę,quamuis alijs terminis videatur eam explicare. Non enim audet concedere explicitè, sicut concedit prima sententia, Contritionem,quæ procedit ex absoluta dilectione Dei super omnia, in quantum est auctor naturæ, cum proposito absoluto nunquam peccandi, haberi posse solis viribus naturæ: nisi cum hoc addito, *quantam*

tum in me fuerit : sed loquitur de pœnitentia in genere, sicut loquutus fuerat tom. 4. disput. 3. sect. 7. & supprimit nomen dilectionis Dei super omnia simpliciter, in quantum est finis naturalis, ne contrariari videatur sibi ipsi; quia, vt supra visū est, negat, hāc dilectionē haberi posse in natura lapsa sine auxilio præuenientis gratiæ.

Vt ergo suam explicet sententiam, & defendat primam esse probabilem, supponit, in præsenti solum tractandum esse de pœnitentia, seu de detestatione peccati, quatenus præcisa est contra legem naturæ, & quatenus ex aliquo motiuo naturali procedit, & in hoc sensu concedit, dari posse actum naturalem pœnitentiæ sine auxilio gratiæ. Addit tamen, quod in hoc ordine naturalis pœnitentiæ distingui potest quædam perfecta, & alia imperfecta. Perfecta erit detestatio absoluta peccati propter Deum summè dilectum: omnis vero alia ex alio motiuo, vel alio inferiori modo concepta, erit imperfecta. Quo supposito talem constituit conclusionē responsiuam quæstionis. Loquendo de hac pœnitentia perfecta in ordine naturali, dicendum est, esse actum naturalem, & per se non excedere vires physicas liberi arbitrij. Probat suam sententiam sequentibus argumentis. Vnde sit in ordine. *Eodem t. 37. nu. 8.*

VI. Septimum Argumētum desumptum ex dictis de amore. Nam hic actus est effectus illius amoris per se necessarius, vt amor Dei sit verus, & efficax, si præcessit Dei offensa. Ergo sicut intentio, & electio finis sunt eiusdē ordinis, & virtutis: ita etiā hic dolor de peccato propter amorē Dei, est eiusdē ordinis naturalis cū ipso amore: Ergo per se cadit sub naturalem facultatē volūtatis.

Octauum argumentum. Homo lapsus potest ex solis viribus naturæ elicere actus aliarum virtutum ex motiuo naturali, per quos generetur habitus aliarum virtutum. Ergo etiam potest eisdem viribus elicere actum pœnitentiæ, seū detestationis peccati, quatenus præcisè est contra legem naturæ, & quatenus sub aliquo motiuo naturali poterit displicere. Probatur consequentia; quia non est maior ratio de hoc actu generatim sumpto, vt loquimur, quam de communibus actibus aliarum virtutum acquisitarum.

Con-

Confirmatur; Quia tam materiale, quam formale obiectum eiusdem actus pœnitentiæ, seu detestationis peccati, naturalis ordinis est: Ergo haberi potest ex solis viribus naturæ.

Nonum argumentum. Pœnitentia perfecta in ordine naturali est actus naturalis, & per se non excedit vires Physicas liberi arbitrij: Ergo haberi potest absque auxilio gratiæ.

Decimo idem probat inductiuè. Nam potest esse dolor de peccato adulterij, verbi gratia, solum propter turpitudinem, quam habet contra rationem naturalem, quod motiuum naturale est, & potest offerri eo tempore, quo homo actu non sentiat repugnantiam, nec propensionem ad talem actum. Cur ergo non poterit talis actus fieri aliquando per vires liberi arbitrij, sicut potest fieri alius actus moraliter bonus? Ergo idem est de similibus actibus, & de amore proximi, quem tenemur præcepto naturali diligere; nam eius amor honestus est etiam naturalis: Ergo non excedit vires naturales liberi arbitrij. Vnde tandem concludit hic auctor, nullum actum pœnitentię naturalis esse absolutè impossibilem sine viribus gratiæ, nisi in quo eadem difficultas, quæ in amore Dei naturali, & super omnia inuenitur, propter inclusum propositum non violandi amplius legem naturalem.

Hæc secunda sententia parum, aut nihil differre videtur à præcedenti, quam explicare conatur quibusdam limitationibus appositis cap. præcedenti, cum de dilectione Dei naturali ageretur.

VII. Contrariam sententiam docent viri doctissimi, quam multis rationibus probaui disput. 52. de Auxilijs in qua persistendum esse censeo. Eandem sententiam docent Magister Sotus, Medina, & alij Doctores quamplurimi, quorum testimonia adducenda sunt cap. sequenti, & expendenda. Illam etiam tenet expresè Doctor Enriquus Enriquez lib. 4. seu de pœnitent. Sacramento lib. 1. c. vi. num. 6. in textu. Vbi loquens de actu contritionis ait: Hunc actum quidam putant naturalem, & sola vi naturæ elici posse, quo ad substantiam actus: sed re vera ante cõtritionem præcedunt supernaturales actus

fidei,

fidei,& charitatis, vt dictum est:& ipsa contritio est nō tantum ex modo, vel denominatione extrinseca; sed intrinsecè in substantia supra totam viam naturæ, ex habitu, aut auxilio gratiæ, quia Scriptura pœnitentiam vocat donum Dei. Et in Commento literæ, N, probat suam sententiam ex Tridentino Sess. 6. cap. 6. Can. 3. Mileu. cap. 3. & 4. Arausic. cap. 5. & eam tribuit D. Tho. 3. par. q. 85. art. 5. & 1. 2. q. 109. art. 1. q. 113. art. 3. & 5. Soto d. 14. q. 2. art. 3. ibi Dur. quæst. 1. inclinat. Vega lib. 6. & 13 in Trid. Latom. 1. de Iustif. c. 3. & in eodem libro cap. 22 num. 1. in textu subiungit oppositam sententiam esse falsam. Sic enim ait: *Qui falsò actum pœnitentiæ putant esse naturalem secundum substantiam, ex consequenti aiunt, habitum pœnitentiæ acquiri; & manere informem in peccatore*. Hęc Henriquez. Et vt argumentis, quæ superius proposita sunt satisfaciam,& id, de quo est controuersia, notum fiat, aduertere oportet præsentem difficultatem non procedere de quacumque pœnitentia, seu dolore peccati commissi. Compertum est enim apud omnes Theologos, hominem posse ex solis viribus naturæ dolere de homicidio commisso, vel adulterio propter damnum temporale, quod ex eisdem peccatis incurrit, vt propter infamiam, vel imminētem mortem, ad quam propter homicidium est condemnandus, vel propter aliquod aliud motiuum temporale; nam talis pœnitentia non procedit ex dilectione Dei super omnia, etiam vt est finis naturalis; neque est cum proposito absoluto nunquam amplius peccandi mortaliter, non solum peccato adulterij, vel homicidij, sed etiam quocumque alio peccato mortali. Quæstio ergo procedit de contritione, quæ oritur ex consideratione, quæ per fidem habetur pęnarum inferni, quas incurrit per peccatum mortale, & ex contemplatione bonitatis diuinæ, & passionis Christi Domini, qui mortuus est, vt nos liberaret à peccato, ac demum de dolore peccati procedentis ex dilectione Dei super omnia, in quantum est finis naturæ. De hac enim contritione loquitur expresse Auctor primæ sententiæ, vt ex verbis illius superius inductis liquidò constat,& ex ijs, quæ dixit de dilectione Dei super oia locis c. 6. allegat.

Actus pœnitentiæ, de quo est quæstio inter Theologos moder nos, qualis sit?

Status con trouersiæ.

Dicen-

Dicendum est ergo, hanc contritionem haberi non posse solis naturæ viribus, absque auxilio præuenientis gratiæ. Hanc sententiam sufficienter, vt arbitror, probaui Disput. 52. de Auxilijs, Conclusione prima, & secunda. Constat etiam ex dictis duob. cap. præcedentib. de actu charitatis. Etenim cum ex eadem charitate, seu dilectione Dei super omnia procedat actus contritionis, eadem argumenta, quæ conuincunt, actum dilectionis Dei super omnia cum proposito absoluto nunquam peccandi haberi non posse ex solis viribus naturæ, id ipsum conuincunt de actu contritionis. Sed præsertim vrget illa ratio; nam sicut per actum contritionis detestari debet homo peccatum mortale super omne detestabile: ita etiam per actum dilectionis prædictæ debet diligere Deum super omnia, & super propriam vitam, ita nimirum, vt virtute eiusdem dilectionis superaret omnes tentationes, etiam vehementissimas, quas pro seruanda in eo instanti, vel tempore, quo durat virtus eiusdem dilectionis, necesse sit vincere, vt constat ex illo primæ Corint. 13. *Charitas patiens est, benigna est; Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat: omnia sustinet.*

Ratio vrgens.

Actus dilectionis Dei super omnia vincere debet quascumq; tẽtationes, etiam grauissimas.

Vim huius argumenti auctor secundæ sententiæ conatur illudere; sed vt illud dissoluat, præsupponit, me negare, posse hominem in natura lapsa per solas vires naturæ elicere actum dilectionis Dei super omnia cum illa conditione, seu limitatione. Propono vitare peccata, *quantum in me est*: cum tamen nunquam in illa disput. 52. de Auxilijs, neque alibi illam limitationem adiecerim, sed absolutè, & absque vllo additamento diminuente asseruerim, eundem hominem absque auxilio gratiæ non posse elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia, in quantum est auctor naturæ, cum proposito absoluto nunquam peccandi. Et assignaui rationem; quoniam toto tempore, quo durat talis actus dilectionis, aut virtus illius, est impossibile, quod homo peccet mortaliter, aut sit in peccato mortali; eo quod

pec-

peccatum mortale non compatitur secum dilectionem Dei super omnia, etiam vt est auctor naturæ; eo quod dilectio Dei super omnia semper est efficax ad seruanda omnia mandata, & vitandum omnia peccata pro illo instanti, quo talis actus fit, vel pro tempore, quo durat ipse, aut virtus illius. Ad quod tamen respondet auctor: hoc nullum inconueniens est, & assignat rationem: *Quia nullus negauit vnquam posse hominem lapsum per rationem, & liberum arbitrium vitare omne peccatum pro aliquo instanti, aut breui tempore, præsertim quando nulla grauis tentatio vrget. Quicumque enim benè operatur, quamdiù sic operatur, non peccat; potest autem homo lapsus interdum bene operari per suam libertatem, & cōsequenter pro tunc non peccare: quid ergo mirum, quod dum quis dolet de peccato propter Deum naturaliter dilectum, necessariò pro tunc non peccet? Nullus ergo negat, quod talis dolor sit efficax ad impediendum peccatum, quamdiù ipse durat. Sed quia hæc efficacia est tantum ad instans, vel ad breue tempus, pro quo talis actus, vel virtus illius durare possit, ideo non dicitur simpliciter efficax, neque omnino absolutus, vt satis supra de Amore declaratum est.* Euasio.

X. Hæc tamen solutio vim argumenti videtur effugere. Non enim fundatur in hoc, quod pro eo instanti, vel tempore, quo quis bene operatur, quamdiù sic operatur, non peccet; hoc enim est per se notum: nam in eodem instanti non potest quis bene, & male operari præsertim circa idem obiectum, cum hæc duo simul non compatiantur in eodem subiecto. Sed vis nostri argumenti consistit in hoc, quod actus dilectionis Dei super omnia, etiam vt est finis naturalis, cum proposito absoluto nunquam peccandi mortaliter ex natura rei debet esse tam efficax, vt virtute illius homo superaret omnes tentationes, quamtumuis vehementes, & vinceret omnes difficultates imminentes, quas pro obseruandis præceptis naturalibus, pro eodem instanti, aut breui tempore occurrentibus necesse sit vincere, etiam si ea de causa vita propria esset exponenda. Alias illa dilectio Dei non esset super omnia simpliciter, quia non esset super amo-

Impugnatur.

Dilectio Dei super omnia simpliciter esse debet efficax ad superādas omnes tentationes pro tempore, quo virtus illius durat.

rem propriæ vitæ, vt cap. præcedenti ostensum est. Hanc autem virtutem, & efficaciam habere non potest in natura lapsa, etiam pro vno instanti, aut breui tempore, dilectio Dei super omnia, nisi procedat ex auxilio speciali præuenientis gratiæ: Ergo ex solis viribus naturæ non potest diligere Deum super omnia, nec habere contritionem de peccato propter Deum summè dilectum, vt asserit prima opinio, quam in libro de Auxilijs impugnare cœpi.

XI. *Attritio cum proposito absoluto nunquã peccandi elici non potest absque auxilio gratiæ Conclus.*

Quod dictum est de contritione, dicendum est etiam de attritione procedente ex timore pœnarum inferni, vel turpitudinis peccati, cum spe veniæ, & proposito absoluto nunquam peccandi, non modo propter rationes factas disputat. 52. de Auxilijs, Conclusione secunda: sed præsertim propter doctrinam expressam Sacri Concilij Tridentini Sess. 14. de Sacramento pœnitentię cap. 4. Vbi sic dicitur: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.*

Vltimo probatur auctoritate Sancti Prosperi libro contra Collatorem cap. 13. vbi reprehendit Cassianum, quod dixerit: *Hominem iudicio naturali, quod æquum est, posse discernere, & cauendum nobis esse, ne ita ad dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id, quod malum, atque peruersum est, humano adscribamus arbitrio.* Verba Sancti Prosperi sunt: *Iam non solum voluntatem boni, sed etiam possibilitatem libero adscribit arbitrio: tanquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo iustitia reposcatur, quia possint hæc sine Dei donis, de natura proferri bonis. Imperantur autem istæ homini, vt ex ipso præcepto Dei, quo ei hæc quod accepit, indicitur, agnoscat id de suo vitio perdidisse, & non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet, idoneus non est, sed a littera occidente confugiat ad*

S. Prosper Contra Collatorẽ cap. 13.

spi-

spiritum viuificantem, & facultatem, quam ante non inuenit in natura, quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia Domini: si non facit, iusta est pœna peccati. Deinde ad plenitudinem præmissæ disputationis subdit Cassianus: *Vnde cauendum nobis est, ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id, quod malum, atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ:* quam quidem Cassiani sententiam improbans Sanctus Prosper ita subiungit: *Quid euidentius, quid expressius secundum Pelagij, Cælestijque commentum ab vllo eorum discipulo potuit definiri? illi dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: & ideo dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari. Hic intra vnã sententiam blasphemiam vtramque conclusit, dicens Cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil, nisi quod malum, atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ*. Quibus verbis non negat, hominem posse viribus naturæ aliquod facile opus morale bonum efficere absque auxilio gratiæ: sed contendit, etiam illud opus bonum procedere à Deo auctore naturæ mouente liberum arbitrium, vt faciat illud bonum, & per consequens, quod non debet sibi illud arrogare, sed tribuere Deo tanquam principali auctori, ne in se ipso, sed in Domino glorietur. Hæc autem omnia patebunt amplius ex solutionibus argumentorum.

S. Prosper cap. 14. Contra Collatoré

XII.

AD primum argumẽtũ negatur antecedens loquendo de proposito absoluto nunquã peccandi procedente ex dilectione Dei super omnia, qualis ad contritionem perfectam requiritur, vt ex dictis patet. Licet enim in absentia occasionum peccandi, & non existentibus pro tunc vehementioribus tentationibus, id videatur facile; quia tamen dilectio Dei super omnia, quæ ad contritionem perfectam requiritur, debet esse talis virtutis, & efficaciæ, vt vinceret omnes huiusmodi tentationes, & exponeret vitam propriam pro illo instanti, aut breui tempore, ne peccando mortaliter, inimicitiam Dei incurreret, quam quidem efficaciam habere non potest in natura lapsa dilectio Dei super omnia, etiam, vt est auctor naturæ, ex solis viribus naturæ pro-

cedens, vt ex præmissis constat; ideo illa contritio haberi non potest absque speciali auxilio prauenientis gratiæ. Ad impugnationem dicitur, quod licet sit naturale homini, propositis duabus molestijs temporalibus subire potius minorem, vt maiorē vitet, quando vtraq; imminet de præsenti: si tamen molestia maior sit absens, & de proximo non immineat; multoties eligitur, quæ de præsenti non imminet, licet sit maior. Secundo respondetur, quod quando molestiæ maiores sunt spirituales, quæ tangunt animam, quales sunt pœnæ inferni, & aliæ, quæ sequuntur ex peccato mortali, non potest homo voluntate absoluta, & efficaci velle illas vitare absque speciali auxilio prauenientis gratiæ. Et huius generis sunt molestiæ, quas per actum contritionis vult peccator vitare. Vnde absque auxilio gratiæ huiusmodi contritionem habere non potest.

XIII. Ad secundum respondetur, quod licet illud propositum absolutum nunquam peccandi lethaliter contra legem naturæ, sit extra totum ordinem gratiæ, secundum se consideratum, & ex natura rei; vnde & in natura integra haberi poterat solis viribus naturæ: nihilominus in natura lapsa supposito, quod homo est ordinatus per gratiam ad vltimum finem supernaturalem, eiusmodi propositum in dilectione Dei super omnia inclusum non est omnino extra totum ordinem gratiæ, cum sit dispositio saltim remota ad obtinendam gratiam iustificantem, præsertim in sententia auctoris prioris sententiæ; asserentis, *quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, prastoue est ad conandum totum id, quod per se potest, tam circa ea, quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam prauenientem, auxiliaue, quibus id faciant, vt oportet ad salutem.* Idque ex certa lege, quam (vt ait) statuit Pater æternus cum filio ob merita illius. Quod etiam repetit disput. 14. memb. 5. §. Post hanc. Vbi sic ait: *Quoniam vero facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam; Christusque nobis promeruit auxilia non solum quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere, quod in nobis est, prasto essent,*

Molina in Cōcord. q. 14. d. 10 in princ.

Gratiæ auxilia dari ex lege facientibus quod in se est qualiter intelligunt quidam.

essent, ac prauenirent, vt sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam: sed etiam quibus sæpe excitaremus omnino, inde est, quod quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum, quod potest, circa detestanda peccata commissa, & cauenda in posterum omnia lethalia, prauentatur à Deo affectu, donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, vt peccata deleantur. Quomodo enim non est dispositio ad gratiam, saltim remota, id, quod positum infallibiliter habet connexa præuenientis gratiæ auxilia? Imò videtur sequi ex eadem positione, prima auxilia præuenientis gratiæ secundum merita nostra dari, quod in Pelagianis, & Semipelagianis sæpe reprehendit Augustinus, præsertim libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. vbi ait: *Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniet adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur.* Aug. Et Sanctus Prosper libro contra Collatorem cap. 4. 5. & 6. impugnat dictum illud Cassiani: *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* S. Prosper Multo ergo magis impugnasset Cassianum, si dixisset ex libero conatu nostri arbitrij emergere contritionem ex dilectione Dei super omnia procedentem cum absoluto proposito nunquam peccandi, quam quidem contritionem naturalem statim confortat Deus, & excitat ad salutem, vt sic illo conatu eodem eliceret dispositionem ad gratiam, præsertim vltimam.

Ad tertiū respōdetur, quod dilectio charitatis infusa est secundum substantiam, hoc est, secundum suam essentiam, & intrinsecam rationē supernaturalis; nam obiectum eius, à quo specificatur, est supernaturale, videlicet Deus, in quantum est actor gratiæ, & vltimus finis supernaturalis. Nam (vt probaui disputat. 65. de Anima) actus virtutis per se infusæ, & acquisitæ circa XIV.

eandem

eandem materiam differunt specie, non solum in genere moris, sed etiam in esse naturę. Actus verò dilectionis Dei super omnia, vt est auctor naturæ, licet secundum se, & ex natura rei, vires naturales liberi arbitrij nõ excedat, si natura sit integra, nihilominus in natura lapsa excedit naturales eius vires, vt cap. præcedenti ostensum est. Vnde & contritio ex eadem dilectione Dei procedens etiam excedit eius vires naturales. Quare sine auxilio gratiæ elici non potest. Et ad illud quod obijcitur ex Concilio Tridentino, & Arausicano, quæ loquuntur de dilectione Dei cum illo addito: *Sicut oportet ad salutem*, iam respondi disputat. 51. de Auxilijs num. 17. Et nunc breuiter dico, quod dilectio Dei super omnia secundum substantiam, est ipsa dilectio secundum communem rationem dilectionis, vt cap. præcedenti nu. 42. dictum est, sub qua non excedit vires naturæ lapsę; nam etiam peccator absque auxilio gratiæ potest habere aliqualem actum dilectionis Dei, in quantum videlicet, est bonum vniuersale, à quo bona omnia creata in esse, & conseruari dependent, vt cap. præcedenti con. 2. ostensum est: modus vero eiusdem dilectionis est, quòd fit super omnia simpliciter, & iste modus est intrinsecus actui charitatis, & cadit sub primo præcepto Decalogi, vt 1. 2. q. 100. art. 10. docet Sanctus Thomas, & ibi Caietanus. Ad excludendum ergo illam priorem dilectionem imperfectam, addiderunt Concilia illa verba: *Sicut oportet ad salutem.* Dilectio vero Dei super omnia, de qua loquimur, est procul dubio sicut oportet ad salutem. Si quidem iuxta Auctorem primæ sententiæ, eo ipso, quo liberum arbitrium solis viribus naturæ eandem dilectionem elicit, Deus statim sua gratia præueniente illam excitat, & confortat, vt sit qualis oportet ad salutem. Ex quo statim infertur, quod primum initium salutis procedat ex solis viribus naturæ, quod nullatenus est concedendum.

Dilectio Dei super omnia secundum substãtiam qualiter sit

Modus dilectionis Dei super omnia cadit sub præcepto charitatis.

Conc. Trid. quid intelligat per dilectionẽ Dei sicut oportet ad salutem.

Ad Quartum negatur antecedens. Nam (vt dictum est) si illa dilectio pro illo instanti, quo ipsa durat, vel illius virtus, non esset efficax ad superandas quascumque tentationes, si tunc occurrerent, re vera non esset dilectio Dei super omnia simpliciter. Et ad probationem

nem negatur assumptum : tum quia multi iustificantur cum sola attritione supernaturali simul cum Sacramento, per quod fit homo ex attrito contritus:tum etiam, quia extra Sacramentum quoque multi iustificantur cum vero actu contritionis perfectę,& charitatis superius explicato. Quod si aliqui ab illa contritione , & dilectione Dei super omnia deficiunt, & absque susceptione Sacramenti, per quod fiant ex attritis contriti, decedant,& damnentur, sibi imputent,qui sua libera voluntate se coniecerunt in tales angustias,in quibus absq; contritione , vel attritione cum Sacramento gratiam amissam recuperare non potuerunt.

Ad Confirmationem respondetur , non esse quidem necessarium , quòd peccator , qui de commissis delictis conteritur, descendat ad illas comparationes , vel appretiationes proponendo explicite , se velle sustinere quascumque tentationes , etiam vehementes , vel pati quascumque difficultates , etiam cum periculo vitæ potius, quam de cætero Deum offendere mortaliter ; nihilominus vera contritio,& actus dilectionis Dei,à quo procedit contritio, debet esse tam efficax, vt superaret omnes difficultates, si occurrerent pro illo instanti,aut breui tempore,ne Deũ offendat,vt ex præmissis constat.

Ad contritionem veram nõ est necessariũ, quod peccator ad appretiationes descendat explicite.

XVI.

Ad Quintum negatur antecedens. Et iuxta superius dicta addo , quod licet actus contritionis superius explicatus,sit homini solis viribus naturæ valde difficilis,imò & impossibilis: per auxilium tamen speciale præuenientis gratiæ, quod Deus (quantum est ex parte sua) paratus est omnibus dare, sit ei possibilis, & facilis, iuxta illud,quod Veritas ait, cum de difficultate seruandæ virginitatis,vel castitatis ageretur; *Quæ apud homines difficilia sunt, apud Deum sunt facilia.*

Ad Sextum argumentum respondetur, quamplurimos ex illis Doctoribus expresse docuisse nostram sententiam, vt ex parte visum est cap. præcedenti , & patebit amplius inferius, vbi eorum testimonia examinanda sunt, & expendenda.

Ad Septimum argumentum pro secunda sententia respondetur ex dictis c.6. & 7.de amore Dei super omnia. Sicut enim homo ex solis viribus naturæ nõ potest nũc

elicere

elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia, nec propositum absolutum nunquam peccandi: sed solum conditionatum, quod pertinet ad velleitatem, vt ibi ostensum est: ita etiam non potest absque auxilio speciali præuenientis gratiæ producere actum contritionis ex eadem dilectione procedentem.

Euasio 1. Impugnatur. Sed dicunt, saltem ille homo elicere potest illum actum dilectionis, & propositum absolutum nunquam deinceps peccandi cum hac limitatione, *quantum in me est*. Sed contra; nam illa limitatio reddit propositum illud conditionatum; quia in re idem est dicere, volo deinceps nunquam peccare mortaliter, quantum in me fuerit, ac si diceretur, volo deinceps nũquam peccare mortaliter, si potuero, faciendo totum, quod in me est, ex solis viribus naturæ. Manifestum est autem, hominem in natura lapsa non posse ex solis viribus naturæ opere implere, vel executioni demãdare illud propositũ absq; speciali auxilio præuenientis gratiæ, vt fatentur etiam auctores oppositæ sententiæ: Ergo non potest à principio vnico actu habere propositum absolutum de cætero nunquam peccandi. Erit ergo propositum illud conditionatum, & similiter dilectio Dei super omnia erit conditionata, & efficax, & non absoluta.

XVII. Euasio 2. Impugnatur. Si dicatur, hominem posse ex solis viribus naturæ habere propositum absolutum de cætero cum adiutorio Dei nunquam peccandi mortaliter, contra hoc est argumentum; nam etiam hoc propositum non est absolutum, sed conditionatum; nam exequutio illius pendet ex ista conditione, si Deus suo auxilio præuenientis gratiæ me adiuuerit, quod quidem auxilium non est in potestate hominis, præsertim peccatoris, vt lib. 3. Responsionum cap. 7. ostensum est: sed solum in potestate Dei, qui sua liberalitate, & gratuita voluntate illud tribuit quibus vult, & quando vult. Quod etiam confirmatur; nam in executione homo non potest absque auxilio gratiæ abstinere in futurum ab omni peccato mortali, etiam contra legem naturæ: Ergo non potest à principio sine auxilio gratiæ habere propositum absolutum de cætero nunquam peccandi.

Ad octauum argumentum respondetur, solum conclu-

dere,

dere, quòd possit homo ex solis viribus naturæ dolere de peccato commisso propter aliquod motiuum humanum, vt propter infamiam subsequutam, aut quia propter illud peccatum suspendendus est: sed hæc non est contritio, de qua loquimur, cum non procedat ex dilectione Dei super omnia, quod quidem est motiuum pietatis erga Deum, neque habet propositum absolutum nunquam de cætero peccandi. Hanc enim contritioně, & propositum absolutum tribuit solis viribus naturæ Auctor primæ sententiæ, vt ex verbis illius constat. Secundo respondetur, quòd, vt docet Caiet. verbis cap. præcedenti num. 41. relatis, non est eadem ratio de alijs virtutibus, & de dilectione Dei super omnia, & cõtritione. Nam actus aliarum virtutum, non habent ex sua ratione formali, quod procedant ex dilectione Dei super omnia, neque includunt in virtute obseruantiam omnium mandatorum. Vnde in materia, quæ non cõtinet grauem aliquam, vel notabilem difficultatem, elici possunt ex solis viribus naturæ. Cæterum actus contritionis, de quo loquimur, ex natura sua procedit ex dilectione Dei super omnia, quæ plenitudo legis est, & includit propositum absolutum de cætero nũquam peccandi. Vnde non est simile. Et per hæc respondetur ad Confirmationem, negando consequentiam, & instantia est manifesta in obseruantia omnium mandatorum naturalium, quæ secundum se præcisè considerata, & ex natura rei, naturalis est, cum in natura integra omnia mandata naturalia possent ab homine impleri absque auxilio gratiæ, sicut & præceptum naturale dilectionis Dei super omnia, & nihilominus ab homine lapso impleri collectiuè non possunt ex solis viribus naturæ, vt fatentur etiam Auctores primæ, & secundæ sententiæ. Secundo respondetur, quòd in homine lapso, & semel ordinato ad finẽ supernaturalẽ talis contritio, ac dilectio Dei ingreditur supernaturalem ordinem; quia est initiũ aliquod saltem remotum diuinæ gratiæ, & per eandem dilectionem conuerti non potest ad Deum, tanquam ad finem vltimum naturalem manendo simul in peccato mortali, per quod est auersus à Deo, in quantum est finis supernaturalis, vt ex præmissis constat.

Ad Confirmationem.

K Nec

XVIII. Solutio. Nec satis est dicere, quod illa attritio, & contritio, ac dilectio Dei super omnia, quam auctor primæ sententiæ tribuit naturæ, est mere naturalis, & extra totam latitudinem ordinis gratiæ, nec quidquam conducit ad finem supernaturalem, & est insufficiens ad salutem, & actus imperfectus, & inefficax, sicut & propositum nunquam peccandi, quod quidem non habet annexam in exequutione obseruantiam omnium mandatorum in futurum. Impugnatio. Sed hoc verbis quidem facilè dicitur, sed in re apparet contrarium, vt supra ostensum est, cum de dilectione Dei ageretur. Nam etiam Semipelagiani verbis quidem dicebant, Actus illos imperfectos naturæ antecedentes omne auxilium præuenientis gratię, vt petere, desiderare gratiam, & pulsare, esse imperfectos, nullumque valorem, aut meritum habere, propter quod gratia conferatur, vt disp. 2. de Auxilijs num. 13. 14. 26. & 28. ostensum est. Vnde S. Prosper impugnans Cassianum, quod verbis tãtum asseruerit in sua sententia gratiam dari omnino gratis, illum conuincit, quod non detur gratis, sed secundum debitum. Sic enim ait: Prosper li. contra Collat. c. 6. in princip. *Quomodo non aduertis, te in illud damnatum incidere, quod, velis, nolis, conuinceris dicere, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest, petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia: præcipue cum omnes eiusmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur.*

XIX. Ad Nonum respondetur per ea, quæ cap. præcedenti dicta sunt de dilectione Dei super omnia. Eadem enim ratio est de contritione, quæ ex eadem dilectione procedit.

Ad Decimum respondetur, impium esse, à Deo dimidiam sperare veniam. Vnde impossibile est, quòd peccator per veram contritionem pœniteat de vno peccato mortali, quin etiam de alijs omnibus doleat, vt 3. S. Tho. par. quæst. 86. art. 3. dicit Sanctus Thomas. Hunc autem dolorem ex dilectione Dei super omnia cum proposito absoluto nunquam peccandi haberi non posse ex solis viribus naturæ, supra ostensum est. Ille vero,

qui

qui propter turpitudinem peccati conteritur illa contritione imperfecta, quam Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ attritionem appellat, si voluntatem peccandi excludat cũ spe veniæ, ne illam quidem habere potest ex solis viribus naturæ; sed ad illam etiam requiritur impulsus Spiritus sancti, *Nondum quidem inhabitantis, sed mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat*. vt idem Sacrum Concilium declarat.

CAPVT IX.

Discutiuntur testimonia Doctorum, quæ referuntur pro prima sententia capite præcedenti proposita, ostenditurque, nullo modo illi fauere.



Ater Molina in Concordia quæst. 14. disput. 14. memb. 1. ostendere conatur, illam esse communem sententiam Doctorum, quam precedenti capite ex eius mente retulimus, adducitque in fauorem illius Magistrum Sotum in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 5. & lib. 2. de natura, & gratia sub fine capitis 14. Vbi addit, *Existentem in peccato mortali posse ex suis viribus naturalibus elicere; quo ad substantiam actus, quemcumque actum, quem is valet elicere qui in gratia est constitutus*. *Idem* (inquit) *affirmat lib. de natura, & gratia cap. 22. Canus* item in relectione de Pœnitentia fol. 121. iuxta editionem Salmaticensem anni 1550. eam tamen appellat attritionem ex amore naturali Dei super omnia, solis verbis ab alijs differens. Caietanus quæst. 1. de contritione. Scotus in 4. quæst. 2. Gabriel in 3. dist. 27. quæst. 1. & in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. concl. 5. & art. 3. dub. 2. cum Ocamo, & Petro de Aliaco, quos citat Mars. in 4. quæst. 10. artic. 1. par. 2. Palud. in 4. dist. 14. quæst. 2. &

I. Molina. Sotus. Canus. Scotus. Ochami Aliacus.

rem propriæ vitæ, vt cap. præcedenti ostensum est. Hanc autem virtutem, & efficaciam habere non potest in natura lapsa, etiam pro vno instanti, aut breui tempore, dilectio Dei super omnia, nisi procedat ex auxilio speciali præuenientis gratiæ: Ergo ex solis viribus naturæ non potest diligere Deum super omnia, nec habere contritionem de peccato propter Deum summè dilectum, vt asserit prima opinio, quam in libro de Auxilijs impugnare cœpi.

XI. *Attritio cum proposito absoluto nunquā peccandi elici non potest absque auxilio gratiæ* Conclus.

Quod dictum est de contritione, dicendum est etiam de attritione procedente ex timore pœnarum inferni, vel turpitudinis peccati, cum spe veniæ, & proposito absoluto nunquam peccandi, non modo propter rationes factas disputat. 52. de Auxilijs, Conclusione secunda: sed præsertim propter doctrinam expressam Sacri Concilij Tridentini Sess. 14. de Sacramento pœnitentiæ cap. 4. Vbi sic dicitur: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.*

Vltimo probatur auctoritate Sancti Prosperi libro contra Collatorem cap. 23. vbi reprehendit Cassianum, quod dixerit: *Hominem iudicio naturali, quod æquum est, posse discernere, & cauendum nobis esse, ne ita ad dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id, quod malum, atque peruersum est, humano adscribamus arbitrio.* Verba Sancti Prosperi sunt: *Iam non solum voluntatem boni, sed etiam possibilitatem libero adscribit arbitrio: tanquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo iustitia reposcatur, quia possint hæc sine Dei donis, de natura proferri bonis. Imperantur autem ista homini, vt ex ipso præcepto Dei, quæ ei hæc quod accepit, indicitur, agnoscat id de suo vitio perdidisse, & non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet, idoneus non est, sed a littera occidente confugiat ad spi-*

S. Prosper Contra Collatorē cap. 13.

spiritum viuificantem, & facultatem, quam ante non inuenit in natura, quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia Domini: si non facit, iusta est pœna peccati. Deinde ad plenitudinem præmissę disputationis subdit Cassianus: *Vnde cauendum nobis est, ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id, quod malum, atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ*: quam quidem Cassiani sententiam improbans Sanctus Prosper ita subiungit: *Quid euidentius, quid expressius secundum Pelagij, Cælestijque commentum ab vllo eorum discipulo potuit definiri? illi dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: & ideo dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari. Hic intra vnã sententiam blasphemiam vtramque conclusit, dicens Cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, vt nihil, nisi quod malum, atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ.* Quibus verbis non negat, hominem posse viribus naturæ aliquod facile opus morale bonum efficere absque auxilio gratiæ: sed contendit, etiam illud opus bonum procedere à Deo auctore naturæ mouente liberum arbitrium, vt faciat illud bonum, & per consequens, quod non debet sibi illud arrogare, sed tribuere Deo tanquam principali auctori, ne in se ipso, sed in Domino glorietur. Hæc autem omnia patebunt amplius ex solutionibus argumentorum.

S. Prosper cap. 14. Contra Collatorẽ

XII.

AD primum argumẽtũ negatur antecedens loquendo de proposito absoluto nunquã peccandi procedente ex dilectione Dei super omnia, qualis ad contritionem perfectam requiritur, vt ex dictis patet. Licet enim in absentia occasionum peccandi, & non existentibus pro tunc vehementioribus tentationibus, id videatur facile; quia tamen dilectio Dei super omnia, quæ ad contritionem perfectam requiritur, debet esse talis virtutis, & efficaciæ, vt vinceret omnes huiusmodi tentationes, & exponeret vitam propriam pro illo instanti, aut breui tempore, ne peccando mortaliter, inimicitiam Dei incurreret, quam quidem efficaciam habere non potest in natura lapsa dilectio Dei super omnia, etiam, vt est auctor naturæ, ex solis viribus naturæ pro-

cedens, vt ex præmissis constat; ideo illa contritio haberi non potest absque speciali auxilio præuenientis gratiæ. Ad impugnationem dicitur, quod licet sit naturale homini, propositis duabus molestijs temporalibus subire potius minorem, vt maiorē vitet, quando vtraq; imminet de præsenti: si tamen molestia maior sit absens, & de proximo non immineat; multoties eligitur, quæ de præsenti non imminet, licet sit maior. Secundo respondetur, quod quando molestiæ maiores sunt spirituales, quæ tangunt animam, quales sunt pœnæ inferni, & aliæ, quæ sequuntur ex peccato mortali, non potest homo voluntate absoluta, & efficaci velle illas vitare absque speciali auxilio præuenientis gratiæ. Et huius generis sunt molestiæ, quas per actum contritionis vult peccator vitare. Vnde absque auxilio gratiæ huiusmodi contritionem habere non potest.

XIII. Ad secundum respondetur, quod licet illud propositum absolutum nunquam peccandi lethaliter contra legem naturæ, sit extra totum ordinem gratiæ, secundum se consideratum, & ex natura rei; vnde & in natura integra haberi poterat solis viribus naturæ: nihilominus in natura lapsa supposito, quod homo est ordinatus per gratiam ad vltimum finem supernaturalem, eiusmodi propositum in dilectione Dei super omnia inclusum non est omnino extra totum ordinem gratiæ, cum sit dispositio saltim remota ad obtinendam gratiam iustificantem, præsertim in sententia auctoris prioris sententiæ, asserentis, *quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstoue est ad conandum totum id, quod per se potest, tam circa ea, quæ fides habet adsistenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, auxiliaue, quibus id faciant, vt oportet ad salutem.* Idque ex certa lege, quam (vt ait) statuit Pater æternus cum filio ob merita illius. Quod etiam repetit disput. 14. memb. 5 §. Post hanc. Vbi sic ait: *Quoniam vero facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam; Christusque nobis promeruit auxilia non solum quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere, quod in nobis est, præsto essent,*

Molina in Cõcord. q. 14. d. 10 in princ.

Gratia auxilia dari ex lege facientibus quod in se est qualiter intelligunt quidam.

essent, ac præuenirent, vt sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam: sed etiam quibus sæpè excitaremus omnino, inde est, quod quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum, quod potest, circa detestanda peccata commissa, & cauenda in posterum omnia lethalia, præuentatur à Deo affectu, donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, vt peccata deleantur. Quomodo enim non est dispositio ad gratiam, saltim remota, id, quod positum infallibiliter habet connexa præuenientis gratiæ auxilia? Imò videtur sequi ex eadem positione, prima auxilia præuenientis gratiæ secundum merita nostra dari, quod in Pelagianis, & Semipelagianis sæpe reprehendit Augustinus, præsertim libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. vbi ait: *Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur.* Et Sanctus Prosper libro contra Collatorem cap. 4. 5. & 6. impugnat dictum illud Cassiani: *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Multo ergo magis impugnasset Cassianum, si dixisset ex libero conatu nostri arbitrij emergere contritionem ex dilectione Dei super omnia procedentem cum absoluto proposito nunquam peccandi; quam quidem contritionem naturalem statim confortat Deus, & excitat ad salutem, vt sic illo conatu eodem eliceret dispositionem ad gratiam, præsertim vltimam. Aug. S. Prosper

XIV. Ad tertiū respōdetur, quod dilectio charitatis infusa est secundum substantiam, hoc est, secundum suam essentiam, & intrinsecam rationē supernaturalis; nam obiectum eius, à quo specificatur, est supernaturale, videlicet Deus, in quantum est actor gratiæ, & vltimus finis supernaturalis. Nam (vt probaui disputat. 65. de Auxilijs) actus virtutis per se infusæ, & acquisitæ circa

eandem

eandem materiam differunt specie, non solum in genere moris, sed etiam in esse naturę. Actus verò dilectionis Dei super omnia, vt est auctor naturæ, licet secundum se,& ex natura rei,vires naturales liberi arbitrij nō excedat,si natura sit integra,nihilominus in natura lapsa excedit naturales eius vires,vt cap. præcedenti ostensum est. Vnde & contritio ex eadem dilectione Dei procedens etiam excedit eius vires naturales. Quare sine auxilio gratiæ elici non potest. Et ad illud quod obijcitur ex Concilio Tridentino,& Arausicano,quæ loquuntur de dilectione Dei cum illo addito: *Sicut oportet ad salutem*, iam respondi disputat. 51. de Auxilijs num. 17. Et nunc breuiter dico, quod dilectio Dei super omnia secundum substantiam, est ipsa dilectio secundum communem rationem dilectionis,vt cap. præcedenti nu. 42. dictum est, sub qua non excedit vires naturæ lapsę;nam etiam peccator absque auxilio gratiæ potest habere aliqualem actum dilectionis Dei, in quantum videlicet, est bonum vniuersale, à quo bona omnia creata in esse, & conseruari dependent,vt cap. præcedenti con. 2. ostensum est: modus vero eiusdem dilectionis est, quòd sit super omnia simpliciter,& iste modus est intrinsecus actui charitatis,& cadit sub primo præcepto Decalogi,vt 1. 2. q. 100. art. 10. docet Sanctus Thomas, & ibi Caietanus. Ad excludendum ergo illam priorem dilectionem imperfectam, addiderunt Concilia illa verba: *Sicut oportet ad salutem.* Dilectio vero Dei super omnia, de qua loquimur, est procul dubio sicut oportet ad salutem. Si quidem iuxta Auctorem primæ sententiæ, eo ipso, quo liberum arbitrium solis viribus naturæ eandem dilectionem elicit, Deus statim sua gratia præueniente illam excitat,& confortat,vt sit qualis oportet ad salutem. Ex quo statim infertur,quod primum initium salutis procedat ex solis viribus naturæ, quod nullatenus est concedendum.

Dilectio Dei super omnia secundum substātiam qualiter sit

Modus dilectionis Dei super omnia cadit sub præcepto charitatis.

Conc. Trid. quid intelligat per dilectionē Dei sicut oportet ad salutem.

Ad Quartum negatur antecedens. Nam (vt dictum est) si illa dilectio pro illo instanti, quo ipsa durat, vel illius virtus, non esset efficax ad superandas quascumque tentationes,si tunc occurrerent, re vera non esset dilectio Dei super omnia simpliciter. Et ad probationem

nem negatur assumptum: tum quia multi iustificantur cum sola attritione supernaturali simul cum Sacramento, per quod fit homo ex attrito contritus: tum etiam, quia extra Sacramentum quoque multi iustificantur cum vero actu contritionis perfectę, & charitatis superius explicato. Quod si aliqui ab illa contritione, & dilectione Dei super omnia deficiunt, & absque susceptione Sacramenti, per quod fiant ex attritis contriti, decedant, & damnentur, sibi imputent, qui sua libera voluntate se coniecerunt in tales angustias, in quibus absq; contritione, vel attritione cum Sacramento gratiam amissam recuperare non potuerunt.

Ad Confirmationem respondetur, non esse quidem necessarium, quòd peccator, qui de commissis delictis conteritur, descendat ad illas comparationes, vel appretiationes proponendo explicite, se velle sustinere quascumque tentationes, etiam vehementes, vel pati quascumque difficultates, etiam cum periculo vitæ potius, quàm de cætero Deum offendere mortaliter; nihilominus vera contritio, & actus dilectionis Dei, à quo procedit contritio, debet esse tam efficax, vt superaret omnes difficultates, si occurrerent pro illo instanti, aut breui tempore, ne Deũ offendat, vt ex præmissis constat.

Ad contritionem veram nõ est necessariũ, quod peccator ad appretiationes descendat explicite.

XVI.

Ad Quintum negatur antecedens. Et iuxta superius dicta addo, quod licet actus contritionis superius explicatus, sit homini solis viribus naturæ valde difficilis, imò & impossibilis: per auxilium tamen speciale præuenientis gratiæ, quod Deus (quantum est ex parte sua) paratus est omnibus dare, fit ei possibilis, & facilis, iuxta illud, quod Veritas ait, cum de difficultate seruandæ virginitatis, vel castitatis ageretur; *Quæ apud homines difficilia sunt, apud Deum sunt facilia.*

Ad sextum argumentum respondetur, quamplurimos ex illis Doctoribus expressè docuisse nostram sententiam, vt ex parte visum est cap. præcedenti, & patebit amplius inferius, vbi eorum testimonia examinanda sunt, & expendenda.

Ad Septimum argumentum pro secunda sententia respondetur ex dictis c. 6. & 7. de amore Dei super omnia. Sicut enim homo ex solis viribus naturæ nõ potest nũc elicere

elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia, nec propositum absolutum nunquam peccandi: sed solum conditionatum, quod pertinet ad velleitatem, vt ibi ostensum est: ita etiam non potest absque auxilio speciali præuenientis gratiæ producere actum contritionis ex eadem dilectione procedentem.

Euasio 1. Impugnatur. Sed dicunt, saltem ille homo elicere potest illum actum dilectionis, & propositum absolutum nunquam deinceps peccandi cum hac limitatione, *quantum in me est*. Sed contra; nam illa limitatio reddit propositum illud conditionatum; quia in re idem est dicere, volo deinceps nunquam peccare mortaliter, quantum in me fuerit, ac si diceretur, volo deinceps nũquam peccare mortaliter, si potuero, faciendo totum, quod in me est, ex solis viribus naturæ. Manifestum est autem, hominem in natura lapsa non posse ex solis viribus naturæ opere implere, vel executioni demãdare illud propositũ absq; speciali auxilio præuenientis gratiæ, vt fatentur etiam auctores oppositæ sententiæ: Ergo non potest à principio vnico actu habere propositum absolutum de cætero nunquam peccandi. Erit ergo propositum illud conditionatum, & similiter dilectio Dei super omnia erit conditionata, & efficax, & non absoluta.

XVII. Euasio 2. Impugnatur. Si dicatur, hominem posse ex solis viribus naturæ habere propositum absolutum de cætero cum adiutorio Dei nunquam peccandi mortaliter, contra hoc est argumentum; nam etiam hoc propositum non est absolutum, sed conditionatum; nam exequutio illius pendet ex ista conditione, si Deus suo auxilio præuenientis gratiæ me adiuuerit, quod quidem auxilium non est in potestate hominis, præsertim peccatoris, vt lib. 3. Responsionum cap. 7. ostensum est: sed solum in potestate Dei, qui sua liberalitate, & gratuita voluntate illud tribuit quibus vult, & quando vult. Quod etiam confirmatur; nam in executione homo non potest absque auxilio gratiæ abstinere in futurum ab omni peccato mortali, etiam contra legem naturæ: Ergo non potest à principio sine auxilio gratiæ habere propositum absolutum de cætero nunquam peccandi.

Ad octauum argumentum respondetur, solum concludere,


dere, quòd possit homo ex solis viribus naturæ dolere de peccato commisso propter aliquod motiuum humanum, vt propter infamiam subsequutam, aut quia propter illud peccatum suspendendus est: sed hæc non est contritio, de qua loquimur, cum non procedat ex dilectione Dei super omnia, quod quidem est motiuum pietatis erga Deum, neque habet propositum absolutum nunquam de cætero peccandi. Hanc enim contritionē, & propositum absolutum tribuit solis viribus naturæ Auctor primæ sententiæ, vt ex verbis illius constat. Secundo respondetur, quòd, vt docet Caiet. verbis cap. præcedenti num. 41. relatis, non est eadem ratio de alijs virtutibus, & de dilectione Dei super omnia, & cōtritione. Nam actus aliarum virtutum, non habent ex sua ratione formali, quod procedant ex dilectione Dei super omnia, neque includunt in virtute obseruantiam omnium mandatorum. Vnde in materia, quæ non cōtinet grauem aliquam, vel notabilem difficultatem, elici possunt ex solis viribus naturæ. Cæterum actus contritionis, de quo loquimur, ex natura sua procedit ex dilectione Dei super omnia, quæ plenitudo legis est, & includit propositum absolutum de cætero nūquam peccandi. Vnde non est simile. Et per hæc respondetur ad Confirmationem, negando consequentiam, & instantia est manifesta in obseruantia omnium mandatorum naturalium, quæ secundum se præcisè considerata, & ex natura rei, naturalis est, cum in natura integra omnia mandata naturalia possent ab homine impleri absque auxilio gratiæ, sicut & præceptum naturale dilectionis Dei super omnia, & nihilominus ab homine lapso impleri collectiuè non possunt ex solis viribus naturæ, vt fatentur etiam Auctores primæ, & secundæ sententiæ. Secundo respondetur, quòd in homine lapso, & semel ordinato ad finē supernaturalē talis contritio, ac dilectio Dei ingreditur supernaturalem ordinem; quia est initiū aliquod saltem remotum diuinæ gratiæ, & per eandem dilectionem conuerti non potest ad Deum, tanquam ad finem vltimum naturalem manendo simul in peccato mortali, per quod est auersus à Deo, in quantum est finis supernaturalis, vt ex præmissis constat.

Ad Confirmationem.

qui propter turpitudinem peccati conteritur illa contritione imperfecta, quam Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ attritionem appellat, si voluntatem peccandi excludat cū spe veniæ, ne illam quidem habere potest ex solis viribus naturæ; sed ad illam etiam requiritur impulsus Spiritus sancti, *Nondum quidem inhabitantis, sed mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.* vt idem Sacrum Concilium declarat.

CAPVT IX.

Discutiuntur testimonia Doctorum, quæ referuntur pro prima sententia capite præcedenti proposita, ostenditurque, nullo modo illi fauere.



Ater Molina in Concordia quæst. 14. disput. 14. memb. 1. ostendere conatur, illam esse communem sententiam Doctorum, quam præcedenti capite ex eius mente retulimus, adduciteque in fauorem illius Magistrum Sotum in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 5. & lib. 2. de natura, & gratia sub fine capitis 14. Vbi addit, *Existentem in peccato mortali posse ex suis viribus naturalibus elicere; quo ad substantiam actus, quemcumque actum, quem is valet elicere qui in gratia est constitutus. Idem* (inquit) *affirmat lib. de natura, & gratia cap.* 22. *Canus* item in relectione de Pœnitentia fol. 121. iuxta editionem Salmaticensem anni 1550. eam tamen appellat attritionem ex amore naturali Dei super omnia, solis verbis ab alijs differens. Caietanus quæst. 1. de contritione. Scotus in 4. quæst. 2. Gabriel in 3. dist. 27. quæst. 1. & in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. concl. 5. & art. 3. dub. 2. cum Ocamo, & Petro de Aliaco, quos citat Mars. in 4. quæst. 30. artic. 1. par. 2. Palud. in 4. dist. 14. quæst. 2. &

I. Molina. Sotus. Canus. Scotus. Ochamⁱ Aliacus.

Riccard. eadem distinct. art. 4. quæst. 1. innuit D. Bonauentura in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 3. Et Vega sup. Concil. Trident. lib. 6. cap. 35.

S. Thom. Pro eadem sententia refert S. Thomam in 4. sent. distinct. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 1. ad 6. vbi ait, quod contritio est à solo Deo, quantum ad formam, qua informatur: sed quantum ad substantiam actus, est ex libero arbitrio, & à Deo, qui operatur in omnibus operibus, & naturæ, & voluntatis. Ecce non aliter arbitratur D. Thomas, Deum concurrere cum voluntate humana, liberoue arbitrio ad eliciendam contritionem, quo ad substantiam actus, quam concurrat cum agentibus naturalibus ad opera naturalia. Vnde S. Thomas in illo articulo 2. & alibi sępe, si res recte expendatur, ferè nunquam distinguit attritionẽ à contritione, quod contritio sit dolor de peccatis ex amore Dei, & attritio ex timore: sed ex eo, quod vnus actus sit naturalis, alius vero supernaturalis ex influxu charitatis supernaturalis, iuxta quem loquendi modum Canus dolorem de peccatis propter Deum ex solo amore naturali profectum, appellat attritionem.

11\. Item etiam eadem distinctione, & quęstione, art. 2. quæstiuncula 6. in corp. hæc verba scribit D. Thomas: Ad sextam quæstionem dicendum, quod contritio potest dupliciter considerari, scilicet, quantum ad sui principium, & quantum ad terminum: dico principiũ contritionis cogitationem, qua quis cogitat de peccato, & dolet, & si non dolore contritionis, saltem dolore attritionis: terminus autem contritionis est, quando dolor ille iam gratia informatur. Hactenus D. Thomas. Ex quibus omnibus luce clarius est manifestum, D. Thomam eo loco cum communi aliorum Doctorum sententia consentire, nec 3. par. quicquam scripsit, quod huic doctrinæ refragetur.

In fauorem eiusdem sententię allegantur etiam illi Auctores, qui dicunt, posse peccatorem ex puris naturalibus elicere, quantum ad substantiam operis, quemcumque actum, quem potest habere homo, qui est in gratia, quam assertionem concedit Bagnes 2. 2. quæst. 24. art. 2. ad finem, & Sotus lib. 1. de natura, & gratia

cap. 21. & 22. allegatur etiam Angles in quæstionibus Theologicis in 2. sentent. par. 2. dist. 28. quæst. vnica art. 6. Concl. 1. Vbi ait: Homo viribus naturæ, quoad substantiam actus, potest habere pœnitentiam, quæ non sit vltima dispositio ad gratiam. Et quod loquatur de pœnitentia procedente ex naturali dilectione Dei super omnia, constat ex eodem auctore dist. 28. præallegata, quæst. vnica art. 2. Conclus. 3. vbi ait: homo in statu naturæ potest ex viribus naturæ dilectione imperfecta Deum super omnia diligere. Angles.

RESPONSIO. III.

QVAMVIS ex his, quæ dicta sunt cap. 7. ad testimonia, quæ adducuntur ad probandum, hominem lapsum posse ex solis viribus naturæ Deum super omnia diligere dilectione absoluta, & cum absoluto proposito non peccandi, facile possit intelligi, qualiter, & in quo sensu intelliguntur præallegati Doctores, cum asserunt, similiter posse per solas vires naturæ actum contritionis, & attritionis superius explicatum elicere: nihilominus ipsa eorum verba referenda sunt, & expendenda: ne scrupulus circa præsentem quæstionem, vel occasio aliter opinandi relinquatur.

Igitur generali solutione respondetur, prænominatos Auctores partim expressè, partim inuolutius loqui de pœnitentia imperfecta, quæ ex aliquo motiuo temporali consurgit, aut vero ex dilectione imperfecta, & conditionata, qua diligitur Deus super omnia, iuxta ea, quę cap. 6. & 7. dicta sunt: non autem de pœnitentia perfecta, quæ ex absoluta dilectione Dei super omnia, etiam vt est vltimus finis naturalis, procedit, cum proposito absoluto seruandi in futurum omnia diuina mandata, ad mortale peccatum obligantia. Solutio generalis.

Sic intelligitur Magister Sotus art. 5. allegato §. Ad argumenta. Vbi ait: *Potest homo habere istũ actũ ex puris naturalibus, volo Deo in omnibus, & super omnia placere. Vt lib. 1. de natura, & gratia cap. 22. monstrauimus. Quæ quidem dicitur dilectio Dei obiectiua, idest, quæ Deum habet pro obiecto, & acquisita: non tamen infusa, & perfecta, & executiua, atque efficax amicitia Dei: quia potest esse cum peccato. Pari ergo modo* Ad Testimonia M. Soti.

potest

potest esse similis detestatio offensæ Dei. Intelligi tamen debet Sotus de peccati detestatione imperfecta, & inefficaci, vt ipse ait in verbis inductis. Quæ quidem pœnitentia procedit solum ex amore Dei naturali, quem habere potest secundum pręsentem statum peccator ex solis viribus naturæ, qualis est dilectio conditionata Dei super omnia simpliciter, & propositum conditionatum nunquam peccandi. Nam solum hanc dilectionem imperfectam, seu conditionatam concedit Sotus ex solis viribus naturæ homini lapso, vt verbis illis expressis ostensum est cap. 7. num. 43. Quod etiam constat. Nam idem Sotus in fine eiusdem articuli quinti expresse ait, quod attritio naturalis *non est verus actus pœnitentiæ.* Et in vltimis verbis concludit, quod vera contritio peccati, quatenus est offensa Dei, ex habitu infuso est elicita. Sic enim ait: *Dum conuersio per solam fit contritionem sine Sacramento, tunc nisi attritio quæ est propter pœnas inferni, de qua loquitur S. Thomas, mutetur in veram contritionem peccati, quatenus offensa Dei, nunquam fit vera conuersio: & ideo ait, quod prior naturaliter creata transit, cui altera ex habitu infuso elicita succedit.*

IV. Accedit, quod Magister Sotus nunquam asseruit, quod facienti totum, quod in se est ex solis viribus naturæ, detur à Deo ex certa lege auxilia præuenientis gratiæ, quibus id fiat, prout ad salutem oportet. Quin potius in eodem articulo in 4. argumento expresse ait, *quod contritio, si fit per vires naturæ, non est vltima dispositio, imò neque est ad gratiam requisita: quare adhuc aliquid homini faciendum restat; nemo enim, vt 1. par. quæst. 106. art. 9. auctor est S. Thom. sine auxilio speciali facere potest quod in se est.* Auctor vero primæ sententiæ expresse ait, eiusmodi legem esse à Deo statutam propter merita Christi Domini, quam sententiam expresse impugnaui disput. 36. de Auxiliis. Et col. 2. eiusdem articuli inter alias differentias attritionis, & contritionis, hanc tertiam constituit Sotus, *quòd attritio potest ex viribus naturalibus elici; quia non est vltima dispositio ad gratiam: sed potest simul esse cum peccato: contritio vero nasci nequit, nisi ex auxilio spe-*

ciali Dei supernaturali, praeueniente liberum arbitrium, & simul infundente habitum poenitentiae, ex quo actus contritionis elicitur, vt loco citato expositum reliquimus. Firmissimis enim illic testimonijs sacris ostendimus, legitimum actum poenitentiae haberi non posse per naturam: sed per Dei gratiam, eò quod est charitatis germen. Et refert se ad dist. 14. quaest. 2. art. 5. Idem docet expressius lib. 2. de natura, & gratia cap. 14. §. Tertium. Vbi inter alia, quae videnda sunt, inquit, *quod per contritionem abominamur delictum, summa, iustissimaque ratione, qua est abominandum, idest, qua diuinae voluntati aduersatur. Quamobrem includit propositum, nunquam amplius vllum admittendi, pro quacumque re mundi, quod aiunt, appretiatiuè, odisse super omnia. Attritio vero, non tanta est execratio. Qui enim non dolet, nisi propter poenas, quantum est ex natura rei, vbi non esset poena, non vitaret delictum.* Et infra impugnat sententiam Nominalium negantium, ad rationem contritionis necessarium esse propositum cauendi ab ipsis in futurum, ex eo quod in Biblijs sacris nihil comperiant de huiusmodi proposito: sed oppositum ostendit Sotus ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit poenitentiam, &c. Et custodierit omnia praecepta mea, quibus verbis explicatur propositum in futurum. Et Christus ipse poenitentiae magister, mulieri de adulterio ad se delatae, vade, inquit, & amplius noli peccare. Propositum ergo huiusmodi exigitur à poenitente. Nam poenitere est peccata respuere, & execrari: respuere autem malum, nō solum ad praeteritum, sed ad futurum potius refertur.* Vnde Magister Sotus quam longissimè abest à sententia, quam impugnamus.

Actus cōtritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam, elicitur ab habitu poenitentiae.

Contritio necessario includit propositum cauendi in futurum omnia peccata mortalia.

Ezech.

Ioann. 8.

V. Ad alium locum inductum ex lib. 1. de natura, & gratia cap. 22. respondetur, quod ab illa regula, quam statuit verbis allegatis, excipit expresse dilectionem Dei super omnia simpliciter, vt patet ex eius verbis relatis cap. 7. num. 43. Et consequenter etiam excipit actum contritionis, qui ex huiusmodi amore, seu dilectione Dei super omnia simpliciter debet procedere. Vnde locus ille nihil fauet primae sententiae: sed potius nostram confirmat. Quid autem intelligatur per actum virtu-

tis,

tis, quantum ad substantiam, cap. 7. num. 42. expositum est. Et per hæc patet responsio ad ea, quę obijciuntur ex magistro Cano.

VI. Nec refragatur id, quod ait eod. li. 2. c. 14. circa finē, vbi loquens de attritione, & contritione scribit hæc verba: *Sed est præterea notandū, quod vtraq; elici ab homine potest, vel ex viribus naturalibus cum auxilio naturali Dei, vel ex singulari eius succursu. Enimuero non solum naturaliter potest quispiam mœstitia affici, quod supplicia fuerit peccando commeritus, sed potest etiam naturaliter pœnitere, quod Deum offenderit. Etenim cū possit quicumque naturaliter pœnitentia duci, quod amicum læserit, cur etiam non poterit similem detestationem habere peccati, eo quod fuerit contra diuinam voluntatem commissum? Quando quidem immensa illa bonitas, non modo lumine fidei, sed etiam naturæ nobis innotescit.* Ipse enim Sotus statim explicat, se loqui de contritione, *quantum ad substantiam actus*, idest, secundū communem rationem attritionis, vel contritionis, pro vt pręscindit à modo pęnitendi de peccato ex dilectione absoluta Dei super omnia simpliciter, & cum proposito absoluto nunquam peccandi lethaliter, iuxta ea quæ cap. 7. num. 42. dicta sunt.

VII. *Caiet. sententia circa contritionē reprobatur à M. Medina, & Mag. Soto,*

Quæ vero dicit Caietanus in quęstione illa prima de Contritione, impugnantur à doctissimis Thomistis, pręsertim à Magistro Medina 1. 2. q. 109. art. 3. Vbi postquam retulit eius sententiam, ait: *Quæ sententia Caietani, vt breuissimè decernam, est erronea plane.* Eandem latius impugnat Magister Sotus art. 5. allegato, quasi per totum, & inter alia inquit, *quod est opinio vsque ad Caietanum nunquam audita, & certe nescio cui sit vnquam credenda.* Poterat tamen, sicut cap. 7. num. 42. dictum est de actu dilectionis Dei super omnia, piè intelligi Caietanus, & explicari de pœnitentia imperfecta, quę non includit, neque habet adiunctum absolutum propositum nunquam peccandi, ratione cuius actus pœnitentię fieri non potest in natura lapsa absque speciali auxilio pręuenientis gratię, & propter absolutum, & determinatum actum dilectionis Dei super omnia simpliciter, ex quo tanquam fructus ex radice actus contritio-

tritionis procedere debet.

Ad alia testimonia Scoti, Gabrielis, Occami, Petri de aliaco, Marsil. j, & Riccardi sufficienter, vt arbitror, responsum est cap. 7. num. 45. 48. & sequent. Nullus enim illorum concedit solis viribus naturæ lapsæ attritionē, vel contritionem cum illis conditionibus, & qualitatibus, quibus auctor primæ sententiæ asserit, elici posse ab homine lapso absque speciali auxilio præuenientis gratiæ, vt ex præmissis constat. *Ad Testimonia Gabr. & aliorum.*

Sanctus Bonauentura, ne dum sententiam, quam impugnamus nō innuit, verum nostræ maxime fauet. Nam in 4. d. 16. art. 1. q. 2. in num. 27. hanc statuit conclusionem. *Dicendum ergo, quod contritio est motus specialis virtutis scilicet pœnitentiæ.* Et num. 29. subdit, quod, *& si delere culpam sit gratiæ; tamen in adulto, qui præparat se per vsum liberi arbitrii, infunditur gratia, vt in tali vsu est*. Et art. 2. q. 1. loquens de quantitate charitatis, & doloris, qui requiritur ad contritionem *in comparatione ad alios ait: sic dico, quod uendicat sibi dominium in corde quandiu est: nec vnquam ibi est, nisi sit domina: vnde dico, quod ad hoc, quod aliquis habeat charitatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno, vel commodo velit offendere Deum; sic intelligendū est de displicentia cōtritionis. Vnde dico, quod peccatū debet tātū displicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo, vel incommodo velit in ipsum consentire, vel consensisse: quoniam voluntas, quæ ex aliqua causa consentit in peccatum, iusta non est. Vnde sicut non oportet habentem charitatem velle mori pro Christo, sed in casu, in quo, vel oportet ipsum amittere charitatem, vel vitā, tunc tenetur magis velle mori pro Christo, quam charitatem amittere: sic in proposito est intelligendum.* Et infra. *Dicendum* (inquit) *quod in casu, in quo oportet præeligere, vel consentire in peccatum, siue complacentiam peccati, vel tollerantiam pœnæ, quilibet tenetur præeligere, siue magis eligere pœnam, quam velle peccare, vel peccasse.* *Ad Testimonia S. Bonau.* *Contritionis dolor qualis, & quātus esse debet.*

Neque in illa quæstione 3. articuli 2. aliquid dicit quod faueat oppositæ sententiæ. ibi enim quærit, *Vtrū*

necesse sit, quod attritio praecedat impij iustificationem, sine contritionem; & in discursu quaestionis disputat, vtrum attritio fiat contritio. Solum autem in num. 44. *Credo* (inquit) *quod habitus poenitentia informis per aduentum gratia informatur.* Sed haec verba, & alia consimilia, qualiter faueant primae sententiae, omnino nō video. Licet enim concedere videatur habitum poenitentiae acquisitum, siue informem, nunquam tamē asseritur, nec innuit, quod ille habitus adquiratur per naturales actus poenitentiae detestantes peccatum super omne detestabile, procedentes ex absoluta dilectione Dei super omnia cum absoluto proposito nunquam peccandi. Quin potius in verbis superius allegatis expresse docet, talē poenitentiam, & actum dilectionis elici non posse ab homine lapso absque speciali auxilio praeuenientis gratiae.

IX. *S. Thomae sententia circa contritionem.* Veniamus ad testimonia adducta ex Sancto Thoma, de cuius mente satis constat ex dictis disput. 51. de Auxilijs, praesertim num. 6. & 13. Vbi etiam sufficienter responsum est verbis inductis ex lib. 4. Sententiarum dist. 17. Et nunc breuiter dico, quod nomine dilectionis Dei super omnia, *quantum ad substantiam actus*, intelligit dilectionem Dei in communi, vt praescindit à modo intrinseco praecepti charitatis, etiam naturalis, quo diligitur Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, vt cap. 7. num. 43. dictum est.

Attritio, & contritio secundum S. Thomam in quo distinguantur. Nec est admittendum, quod S. Thomas fere nunquam distinguat attritionem à contritione per hoc, quod contritio sit dolor de peccatis ex amore Dei, attritio vero ex timore: sed ex eo, quod vnus actus sit naturalis, alius vero supernaturalis ex influxu charitatis infusae; id enim aperte pugnat cum expressa doctrina Sancti Thomae pluribus in locis. Etenim in 4. sentent. d. 17. q. 2. art. 1. quaestiuncula 3. in argumento, Sed contra, distinguit expresse contritionem ab attritione *ex parte principij; nam attritionis principium est timor seruilis; contritionis autem est timor filialis.* Et praeter illum locum, quem refert auctor, sunt etiam alia, in quibus eandem differentiam, vel assignat, vel saltem innuit. Etenim 3.

S. Thom. p. q. 85. art. 3. in corp. ait, *quod per virtutem poenitentiae recurrit poenitens ad Deum cum emendationis proposito,*

stro. sicut seruus ad Dominum secundum illud Psal. 122. Psal. 122.
Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. Et sicut filius ad patrem, secundum illud Lucæ 15. Pater peccaui in cœlum & coram te. Et sicut Luc. 15.
uxor ad virum, secundum illud Hierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Hierem. 3
Dominus. Quibus verbis explicat naturam attritionis, quę procedit ex timore seruili, dum ait, *quod pœnitens recurrit ad Deum, tanquam seruus ad Dominum:* & post modum explicat naturam contritionis, dum subiungit, quod *recurrit ad Deum sicut filius ad patrem*, hoc est, ex amore filiali. Prætereà etiam in 4. sentent. artic. 1. allegato quæstiuncula 2. ad 3. ait, quod *attritio est displicentia imperfecta de peccatis commissis: contritio autem est perfecta displicentia.* Per displicentiam autem perfectam illam intelligit, quę imperatur à charitate, & procedit ex absoluta dilectione Dei super omnia simpliciter cum proposito absoluto nūquam peccandi, quę subinde peccati est destructiua, vt explicat Sanctus Doctor 3. par. quęst. 85. art. 2. ad 1. & ad 3. Vbi loquens de pœnitentię virtute, ait, *quod pœnitentia expellit omne peccatū effectiue, in quantum operatur ad destructionē peccati, prout est remissibile ex diuina gratia homine cooperante.* Manifestum est autem, contritionem perfectam, quę est potissimus actus virtutis pœnitentię, non esse destructiuam peccati, nisi quatenus ex gratia & charitate procedit. Ergo secundum Sanctum Thomam in hoc distinguitur contritio ab attritione, quod illa procedit ex dilectione Dei super omnia simpliciter, hæc vero ex consideratione pœnarum inferni, & timore seruili, vel turpitudinis peccati, vt docet Sacrum Concilium Tridentinum sess. 14. de Sacram. pœnit. cap. 4. Nec potest Auctor negare, hanc esse potissimam differentiam inter contritionem, & attritionem, cum expressis verbis illam constituat loco allegato capite præcedenti numero primo.

Ad alium locum inductum ex illa quęstiuncula sententiæ respondetur, ex verbis illis Sancti Thomę solum colligi, quod *attritio, quantum ad substantiam*, hoc est, in ratio- X

ne communi doloris de peccatis, esse possit informis, atque ex solis viribus naturæ procedere, de quo non est controuersia: non tamen pōt ex illis verbis deduci, quod attritio quantum ad modum, quo elicitur ex timore pœnarum inferni cum absoluto, & determinato proposito nunquam peccandi, elici possit ex solis viribus naturæ. Nam habere eiusmodi propositum absque speciale auxilio præuenientis gratiæ, est impossibile in natura lapsa, vt ex supra dictis constat. Vnde solum potest homo lapsus viribus solius naturæ habere propositum conditionatum, seu velleitatem nunquam in futurum peccandi, vt expresse docet idem S. Thom. in 4. sentent. distinct. 17. q. 2. art. 1. quæstiuncula 2. Vbi ait, *quod quamuis voluntas completa non possit esse alicuius sapientis de impossibili, tamen voluntas conditionata, quæ & velleitas dicitur, esse potest de impossibilibus, quia etiam sapiens vellet, quod impossibile est, si possibile foret, & ista voluntas sufficit ad dolorem causandum, & præcipuè, quando impossibilitas obtinendi, quod volumus, ex nobis prouenit, & sic est in proposito.* Ex quibus omnibus luce clarius est manifestum D. Thomam nullibi cum prima sententia consentire, sed potius oppositam constanter docuisse locis superius allegatis.

Voluntas conditionata est quædam velleitas secundum Sanctum Thomam.

XI. *Ad Testimonium M. Bañes circa dilectionē Dei.*

Neque à sententia D. Thomæ discedit Bagnes [illegible] allegata, sed potius ille nostram confirmat. Mouet enim dubium, *An saltem, quo ad substantiam actus, possit homo habere ex viribus naturæ dilectionem Dei super omnia similem dilectioni ex charitate.* Et [illegible]. Sed pro decisione distinguit de hac identitate actus, quantum ad substantiam. *Potest enim uno modo intelligi, quantum ad substantiam, id est, quantum ad substantiam speciei actus, quæ est ex obiecto formali. Et hoc modo impossibile est, quod dilectio, quæ est ex viribus naturæ, sit eadem quantum ad substantiam cum dilectione, quæ est ex charitate infusa, &c. alio modo substantia actus, quantum ad identitatem, potest considerari ex parte obiecti materialis, vt verbi gratia circa Deum, qui idem est auctor naturæ [illegible] [illegible] Deus [illegible]* Et

hoc

hoc modo concedit, nullum actum esse ita supernaturalem à virtute infusa, vt non possit homo circa idem obiectum materiale consideratum habere aliquem aliũ actum ex viribus naturæ. *Sicut ille, qui ex fide acquisita credit, Deum esse trinum, & vnum, habet eundem assensum, quantum ad substantiam obiecti materialem cum illo, qui credit, Deum esse trinũ ex fide infusa. Et ita intelligit D. Th. in 1. 2. q. 171. ar. 2. ad 3. cũ dixit, quod habitus infusus datur ad illos actus, quorum similes poterat homo habere, quantum ad substantiam. Loquitur enim de identitate obiecti, quantum ad substantiam materialem, vt patet in exemplo ipsius ibi apposito, sicut diligere Deum, & cognoscere ipsum in speculo creaturarum. Hoc enim homo per naturam potest.* Ex quibus verbis solum habetur, hominem lapsum posse ex solis viribus naturæ elicere aliquem actum dilectionis Dei, imperfectum videlicet, vt supra expositum est: non autem super omnia simpliciter, & cum proposito absoluto nunquam peccandi, sicut asserit sententia, quam impugnamus. Nam ille modus diligendi in natura lapsa, etiam si cõsideretur Deus, vt est vltimus finis naturalis, haberi non potest absque speciali auxilio præuenientis gratiæ, vt cap. 6. num. 15. & 20. dictum est.

Ad ea, quæ afferuntur ex Iosepho Angles, patet ex dictis cap. 7. num. 42. quid intelligi debeat per pœnitentiam, *quo ad substantiam actus.* Ad alium locum ex art. 2. Concl. 3. respondetur, potius esse pro nobis, per illud enim verbum, *dilectio imperfecta*, quod ab omnibus fere Scholasticis superius inductis adhibetur, excludit illud absolutum, & determinatum propositum nunquam de cætero peccandi, & modum diligendi Deum super omnia simpliciter, & supra seipsum, & propriam vitam: hanc enim dilectionem cum hoc modo diligendi Deum nunquam Angles concessit homini lapso ex solis viribus naturæ. Ad Angles.

C A-

CAPVT X.

Vtrum homo existens in mortali, quandiu rationis iudicium non absorbetur, possit absque speciali auxilio praeuenientis gratiae superare et vincere quamcumque vehementem, & grauem tentationem, quam pro seruanda lege naturali necesse sit vincere; etiam si ea de causa mors esset toleranda.



1\. Molina in Concordia q. 14. disp 19. & 20. sed praesertim in §. Forte mirabitur.

QVIDAM dixerunt, quod interim dum iudicium rationis non absorbetur, in arbitrio humano spectato in statu naturae lapsę sunt vires sine speciali auxilio Dei ad non consentiendum in quocumque temporis momento cuicumque graui, vehementiorique tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro seruanda in eo solo instanti lege naturali necesse sit vincere, etiam si ea de causa mors sit toleranda: ita vt si consentiat, peccet, eo quod secluso quocumque alio maiori auxilio, in potestate ipsius, tametsi non sine ingenti difficultate, positum est, non transgredi hanc legem. Addunt tamen, quod per totam vitam, aut longo tempore non possit absque auxilio gratiae seruare totam legem, neque operari aliquod opus pietatis, aut meritorium vitae aeternae, & eodem modo loquuntur de vehementibus tentationibus, quas oportet vincere pro eadem lege naturali adimplenda; quam sententiam disputat. 34. de Auxiliis satis diffuse impugnaui.

Alij vero eandem sententiam cum eisdem limitationibus probabilem reputant; sed tamen vt probabiliorem defendunt oppositam. Et vt suam mentem in hac perdifficili quaestione explicent, supponunt, nullam tentationem, quantumuis ex obiecto sit grauis, reputandam esse ita vehementem, vt voluntas creata non possit ex

solis

solis viribus naturæ illam superare.

Dicunt ergo, *non esse necessarium speciale gratiæ auxilium ad quācumq; tentationem in particulari vincendam: quia homo sua libertate utens potest vincere singulas tentationes, seu quamcumque illarum secundum se spectatam.* Referunt pro hac sententia quamplurimos Doctores, inter quos est Sanctus Bonauentura in 2. distinct. 28. art. 2. q. 2. Aegidius dub. 4. §. Ad primum, & ibi etiam Gabriel, & melius lect. 98. in Canonem dub. 5. Henricus Quodlib. 5. quæst. 20. & ex modernis Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 21. & 22. Vega opuscul. de Iustificat. q. 12. & 13. Medina in 1. 2. q. 10. art. 1. Adduntque, eandem sententiam supponere Ruardum, Stapletonium, & alios plures; sed quid re vera senserint, capite sequenti patebit. Postmodum tamen in discursu eiusdē capitis solū adducit auctor rationes, quibus probat, posse hominem in natura lapsa sine speciali auxilio gratiæ vincere leues tentationes, de quo tamen non est inter nos controuersia. Vnde rationes ibi adductæ non probant assertam ab illo conclusionem, videlicet, *non esse necessarium speciale gratiæ auxilium ad quamcumque tentationem in particulari vincendam, &c.* Status aūt præsentis quæstionis est: vtrū possit homo lapsus solis viribus naturæ vincere quācūq; tētationē in particulari. Ex his tamen, quæ idē auctor dicit c. 24. sequenti nu. 34. eius mens fit manifesta; ait enim, *omnem tentationem grauem includere aliquam temporis moram, & perseuerantiam; nam si vno tantum momento temporis tentatio duret, non æstimabitur simpliciter grauis, quamtumuis intensa videatur; dummodo potestatem, & physicam, & moralem considerandi, & deliberandi relinquat.* Idem præmiserat cap. 23. nu. 2. vbi explicans, quæ tentatio dicatur leuis aut grauis, ait. *Igitur tentatio leuis dicitur, quæ vel ex parte intellectus paruam, vel inefficacem habet suasionem, vel ex parte appetitus debilem inclinationem: vel etiam est leuis, quæ ad momentum, seu breuissimo tempore durat, quamuis alioqui intensa, seu vehemens videatur: Grauis autem dicitur, quæ pertinaciter suadet multo tempore constanter, ac molestè.* Id ipsum clarius dicit Molina in concordia quæst. 14. disput. 19. mem-

Suarez lib. 1. de necessit. gratiæ cap. 23. nu. 13.
S. Bonauent.
Aegidius.
Gabriel.
Henricus.
Soto.
Vega.
Medina.

Tentatio leuis, & grauis quæ dicatur secundum aliquos.

membro 5.§.Ad secundum. Vbi explicans illud, quod teste Augustino Epist. 106. ad Paulinum fuit obiectum Pelagio in Concilio Palestino, videlicet, victoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio, quam assersionem idem Pelagius damnauit, respondet, *ibi non esse sermonem de victoria aduersus vnam aut alteram tentationem, vel concupiscentiam, quantumuis grauem, & molestam, dummodo non longo tempore duret: ad id enim satis sunt vires liberi arbitrij, quamuis multo facilius, & melius comparetur, si peculiari aliquo Dei auxilio adiuuemur: sed esse sermonem de victoria aduersus omnes tentationes, & concupiscentias insurgentes, ne ab eis decursu tēporis vincamur, à gratiaq; excidamus.* Vnde nomine leuis tentationis cōprehendit quamcumque grauissimam ex obiecto, & circumstantijs, dummodo non longo tempore tentatio duret, quod intelligit, etiam si mors pro seruanda lege naturali in eodem temporis spatio esset toleranda. Vt autem explicet vnde proueniat necessitas diuini auxilij ad vincendas graues tentationes in natura lapsa.

11. *Suarez c. 24. citato nu. 28.* Dicit Primo, illam necessitatem prouenire ex aliqua impotentia liberi arbitrij, in tali statu constituti, quæ quidem non est impotentia physica ad volendum, vel nolendum contra tentationem, seu ad continendum actum volendi, quem tentatio extorquere conatur.

Dicit secundo, quod illa impotentia est moralis, idest debilitas quędam mentis, & voluntatis ad constanter operandum proueniens radicaliter ex peccato originali, & proxime ex tribus defectibus, infirmitate, & ignorantia, & captiuitate, relictis ex peccato. Nam appetitus vehementer inclinatur ad sensibilia, quę ex se fortius, & facilius mouent, tanquam magis propinqua, & proportionata sensui. Intellectus vero suis viribus relictus, vix consequitur, & remisse, ac tarde considerat superiores rationes, quibus voluntas mouenda est ad tentationem sine peccato superandam. Quibus duobus impedimentis adiungitur instigatio Dœmonis, cui fortasse ratione lapsus humanę naturę, maior quędam licentia in homines data est. Ex his ergo omnibus pręsertim simul sumptis, quando grauiter vrgent, oritur in homine, que-

quędam impotentia reſiſtendi conſtanter tentationi, niſi à ſuperiori iuuetur. Vt autem explicet, quęnam ſit illa gratia, quam ait eſse neceſsariam ad ſuperandam quamcumque grauem,& vehementem tentationem

Dicit tertio, Hanc gratiam conſiſtere in aliqua interna motione Dei aliquo modo ſupernaturali, quæ iuuat imbecillitatem noſtram, quæ quidem motio, vel eſt illuminatio intellectus, qua melius,& fortius repræſentatur obiectum, quam per communem curſum cauſarum poſſit; vel motus aliquis voluntatis, quo Deus facit ſuauem illam reſiſtentiam, vel terret ab illo malo, vt Auguſtinus dixit in Homilia 24. & 50. Addit autem, motionem illam dari debere aliquo modo ſupernaturali; nam ad effectum, de quo tractatur, *non eſt neceſſe, vt ſemper ſit ſupernaturalis in entitate ſua*, quia effectus non eſt adeo excellens: Sufficit ergo, vt modo ſupernaturali conferatur: conſiſtit autem ille modus in hoc, quod talis, ac tanta conſideratio, vel affectio, aut inordinatio in tali occaſione,& puncto fieri non poſset per communem curſum naturalium cauſarum, vel per humanam induſtriam eius, qui tentationem patitur, comparari, & ideo illa motio habet veram rationem gratiæ, præſertim ſi detur in ordine ad finem ſupernaturalem, ſicut nunc datur. *Eod. cap. num. 20.*

III. Probat primum dictum. Nam ſi impotentia reſiſtendi grauioribus tentationibus eſset impotentia phyſica, ſequeretur, quod tentatio tolleret libertatem, & induceret neceſſitatem, quo ad exercitium, durante iudicio rationis, contra dogma receptum in Theologia: Ergo illa impotentia ſolum eſt moralis.

Secundo. Quilibet actus adimpletiuus præcepti naturalis, clauditur intra ordinem naturæ, & eſt proportionatus virtuti naturali, & phyſicæ, quam habent potentiæ rationales ad eundem actum exequendum pro quolibet inſtanti, etiam imminente quacumque grauiſſima tentatione: Ergo in homine eſt ſufficiens principium phyſicum ad exequendum illum actum pro quolibet inſtanti, & ſuperandam quamcumque grauem tentationem, quam oporteat vincere in eodem inſtanti: Ergo ad illam ſuperandam nullum requiritur ſpeciale auxiliũ

tis, quantum ad substantiam, cap. 7. num. 42. expositum est. Et per hæc patet responsio ad ea, quę obijciuntur ex magistro Cano.

VI. Nec refragatur id, quod ait eod. li. 2. c. 14. circa finē, vbi loquens de attritione, & contritione scribit hæc verba: *Sed est præterea notandū, quod vtraq; elici ab homine potest, vel ex viribus naturalibus cum auxilio naturali Dei, vel ex singulari eius succursu. Enimuero non solum naturaliter potest quispiam mœstitia affici, quod supplicia fuerit peccando commeritus, sed potest etiam naturaliter pœnitere, quod Deum offenderit. Etenim cū possit quicumque naturaliter pœnitentia duci, quod amicum læserit, cur etiam non poterit similem detestationem habere peccati, eo quod fuerit contra diuinam voluntatem commissum? Quando quidem immensa illa bonitas, non modo lumine fidei, sed etiam naturæ nobis innotescit.* Ipse enim Sotus statim explicat, se loqui de contritione, *quantum ad substantiam actus*, idest, secundū communem rationem attritionis, vel contritionis, pro vt pręscindit à modo pęnitendi de peccato ex dilectione absoluta Dei super omnia simpliciter, & cum proposito absoluto nunquam peccandi lethaliter, iuxta ea quæ cap. 7. num. 42. dicta sunt.

VII. *Caiet. sententia circa contritionē reprobatur à M. Medina, & Mag. Soto,* Quæ vero dicit Caietanus in quęstione illa prima de Contritione, impugnantur à doctissimis Thomistis, pręsertim à Magistro Medina 1. 2. q. 109. art. 3. Vbi postquam retulit eius sententiam, ait: *Quæ sententia Caietani, vt breuissimè decernam, est erronea plane.* Eandem latius impugnat Magister Sotus art. 5. allegato, quasi per totum, & inter alia inquit, *quod est opinio vsque ad Caietanum nunquam audita, & certe nescio cui sit vnquam credenda.* Poterat tamen, sicut cap. 7. num. 42. dictum est de actu dilectionis Dei super omnia, piè intelligi Caietanus, & explicari de pœnitentia imperfecta, quę non includit, neque habet adiunctum absolutum propositum nunquam peccandi, ratione cuius actus pœnitentię fieri non potest in natura lapsa absque speciali auxilio pręuenientis gratię, & propter absolutum, & determinatum actum dilectionis Dei super omnia simpliciter, ex quo tanquam fructus ex radice actus contritio-

tritionis procedere debet.

Ad alia testimonia Scoti, Gabrielis, Occami, Petri de aliaco, Marsil.j, & Riccardi sufficienter, vt arbitror, responsum est cap.7. num.45. 48. & sequent. Nullus enim illorum concedit solis viribus naturæ lapsæ attritionē, vel contritionem cum illis conditionibus, & qualitatibus, quibus auctor primæ sententiæ asserit, elici posse ab homine lapso absque speciali auxilio præuenientis gratiæ, vt ex præmissis constat. *Ad Testimonia Gabr. & aliorum.*

Sanctus Bonauentura, ne dum sententiam, quam impugnamus nō innuit, verum nostræ maxime fauet. Nam in 4. d. 16. art. 1. q. 2. in num.27. hanc statuit conclusionem. *Dicendum ergo, quod contritio est motus specialis virtutis scilicet pœnitentiæ.* Et num. 29. subdit, quod, *& si delere culpam sit gratiæ; tamen in adulto, qui præparat se per vsum liberi arbitrii, infunditur gratia, vt in tali vsu est.* Et art. 2. q. 1. loquens de quantitate charitatis, & doloris, qui requiritur ad contritionem in comparatione ad alios ait: *sic dico, quod uendicat sibi dominium in corde, quandiu est: nec vnquam ibi est, nisi sit domina: vnde dico, quod ad hoc, quod aliquis habeat charitatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno, vel commodo velit offendere Deum; sic intelligendū est de displicentia cōtritionis. Vnde dico, quod peccatū debet tātū displicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo, vel incommodo velit in ipsum consentire, vel consensisse: quoniam voluntas, quæ ex aliqua causa consentit in peccatum, iusta non est. Vnde sicut non oportet habentem charitatem velle mori pro Christo, sed in casu, in quo, vel oportet ipsum amittere charitatem, vel vitā, tunc tenetur magis velle mori pro Christo, quam charitatem amittere: sic in proposito est intelligendum.* Et infra. *Dicendum* (inquit) *quod in casu, in quo oportet præeligere, vel consentire in peccatum, siue complacentiam peccati, vel tollerantiam pœnæ, quilibet tenetur præeligere, siue magis eligere pœnam, quam velle peccari, vel peccasse.* *Ad Testim. S. Bonau.* *Contritionis dolor qualis, & quātus esse debet.*

Neque in illa quæstione 3. articuli 2. aliquid dicit quod faueat oppositæ sententiæ. Ibi enim quærit, *Vtrū,*

necesse sit, quod attritio pracedat impij iustificationem, sine contritionem;& in discursu quæstionis disputat, vtrum attritio fiat contritio. Solum autem in num. 44. *Credo* (inquit) *quod habitus pœnitentia informis per aduentum gratia informatur*. Sed hæc verba,& alia consimilia, qualiter faueant primæ sententiæ, omnino nõ video. Licet enim concedere videatur habitum pœnitentiæ acquisitum, siue informem, nunquam tamẽ asserit, nec innuit, quod ille habitus adquiratur per naturales actus pœnitentię detestantes peccatum super omne detestabile, procedentes ex absoluta dilectione Dei super omnia cum absoluto proposito nunquam peccandi. Quin potius in verbis superius allegatis expresse docet, talẽ pœnitentiam,& actum dilectionis elici non posse ab homine lapso absque speciali auxilio præuenientis gratię.

IX. *S. Thoma sententia circa contritionem.* Veniamus ad testimonia adducta ex Sancto Thoma, de cuius mente satis constat ex dictis disput. 51. de Auxilijs, præsertim num. 6. & 13. Vbi etiam sufficienter responsum est verbis inductis ex lib. 4. Sẽtentiarum dist. 17. Et nunc breuiter dico, quod nomine dilectionis Dei super omnia, *quantum ad substantiam actus*, intelligit dilectionem Dei in communi, vt præscindit à modo intrinseco præcepti charitatis, etiam naturalis, quo diligitur Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, vt cap. 7. num. 42. dictum est.

Attritio, & contritio secundum S. Thomam in quo distinguantur. Nec est admittendum, quod S. Thomas fere nunquam distinguat attritionem à contritione per hoc, quod contritio sit dolor de peccatis ex amore Dei, attritio vero ex timore: sed ex eo, quod vnus actus sit naturalis, alius vero supernaturalis ex influxu charitatis infusæ; id enim aperte pugnat cum expressa doctrina Sancti Thomę pluribus in locis. Etenim in 4. sentent. d. 17. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. in argumento, Sed contra, distinguit expresse contritionem ab attritione *ex parte principij; nam attritionis principium est timor seruilis; contritionis autem est timor filialis*. Et præter illum locum,
S. Thom. quem refert auctor, sunt etiam alia, in quibus eandem differentiam, vel assignat, vel saltem innuit. Etenim 3. p. q. 85. art. 3. in corp. ait, *quod per virtutem pœnitentia recurrit pœnitens ad Deum cum emendationis proposito*,

sto, sicut seruus ad Dominum secundum illud Psal. 122. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. Et sicut filius ad patrem, secundum illud Lucæ 15. Pater peccaui in cœlum & coram te. Et sicut uxor ad virum, secundum illud Hierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Quibus verbis explicat naturam attritionis, quę procedit ex timore seruili, dum ait, *quod pœnitens recurrit ad Deum, tanquam seruus ad Dominum:* & postmodum explicat naturam contritionis, dum subiungit, quod *recurrit ad Deum sicut filius ad patrem*, hoc est, ex amore filiali. Prætereà etiam in 4. sentent. artic. 1. allegato quæstiuncula 2. ad 3. ait, quod *attritio est displicentia imperfecta de peccatis commissis: contritio autem est perfecta displicentia.* Per displicentiam autem perfectam illam intelligit, quę imperatur à charitate, & procedit ex absoluta dilectione Dei super omnia simpliciter cum proposito absoluto nũquam peccandi, quę subinde peccati est destructiua, vt explicat Sanctus Doctor 3. par. quęst. 85. art. 2. ad 1. & ad 3. Vbi loquens de pœnitentię virtute, ait, *quod pœnitentia expellit omne peccati effectiue, in quantum operatur ad destructionē peccati, prout est remissibile ex diuina gratia homine cooperante.* Manifestum est autem, contritionem perfectam, quę est potissimus actus virtutis pœnitentię, non esse destructiuam peccati, nisi quatenus ex gratia, & charitate procedit. Ergo secundum Sanctum Thomam in hoc distinguitur contritio ab attritione, quod illa procedit ex dilectione Dei super omnia simpliciter, hæc vero ex consideratione pœnarum inferni, & timore seruili, vel turpitudinis peccati, vt docet Sacrum Concilium Tridentinum sess. 14. de Sacram. pœnit. cap. 4. Nec potest Auctor negare, hanc esse potissimam differentiam inter contritionem, & attritionem, cum expressis verbis illam constituat loco allegato capite præcedenti numero primo.

Ad alium locum inductum ex illa quęstiuncula sexta respondetur, ex verbis illis Sancti Thomę solum colligi, quod *attritio, quantum ad substantiam*, hoc est, in ratio-

Psal. 122.

Luc. 15.

Hierem. 3

X 3

ne communi doloris de peccatis, esse possit informis, atque ex solis viribus naturæ procedere, de quo non est controuersia: non tamen pōt ex illis verbis deduci, quod attritio quantum ad modum, quo elicitur ex timore pœnarum inferni cum absoluto, & determinato proposito nunquam peccandi, elici possit ex solis viribus naturæ. Nam habere eiusmodi propositum absque speciale auxilio præuenientis gratiæ, est impossibile in natura lapsa, vt ex supra dictis constat. Vnde solum potest homo lapsus viribus solius naturæ habere propositum conditionatum, seu velleitatem nunquam in futurum peccandi, vt expresse docet idem S. Thom. in 4. sentent. distinct. 17. q. 2. art. 1. quæstiuncula 2. Vbi ait, *quod quamuis voluntas completa non possit esse alicuius sapientis de impossibili, tamen voluntas conditionata, quæ & velleitas dicitur, esse potest de impossibilibus, quia etiam sapiens vellet, quod impossibile est, si possibile foret, & ista voluntas sufficit ad dolorem causandum, & præcipue, quando impossibilitas obtinendi, quod volumus, ex nobis prouenit, & sic est in proposito.* Ex quibus omnibus luce clarius est manifestum D. Thomam nullibi cum prima sententia consentire, sed potius oppositam constanter docuisse locis superius allegatis.

Voluntas conditionata est quædam velleitas secundum Sanctum Thomam.

XI. *Ad Testimonium M. Bañes circa dilectionē Dei.*

Neque à sententia D. Thomæ discedit Bañes v. [illegible] allegata, sed potius ille nostram confirmat. Mouet enim dubium, *An saltem, quo ad substantiam actus, possit homo habere ex viribus naturæ dilectionem Dei super omnia similem dilectioni ex charitate.* Et in [illegible]. Sed pro decisione [illegible] distinguit de hac identitate actus, quantum ad substantiam. *Potest enim vno modo intelligi, quantum ad substantiam, idest quantum ad substantiam speciei actus, quæ est ex obiecto formali. Et hoc modo impossibile est, quod dilectio, quæ est ex viribus naturæ, sit eadem quantum ad substantiam cum dilectione, quæ est ex charitate infusa, &c. Alio modo substantiæ actus, quantum ad identitatem, potest consideraris ex parte obiecti materialis, vt verbi gratia circa Deum, qui idem est auctor naturæ* [illegible] *aliquem* [illegible]

X

[illegible]

hoc modo concedit,nullum actum esse ita supernaturalem à virtute infusa, vt non possit homo circa idem obiectum materiale consideratum habere aliquem aliũ actum ex viribus naturæ. *Sicut ille, qui ex fide acquisita credit, Deum esse trinum, & vnum. habet eundem assensum,quantum ad substantiam obiecti materialem cum illo,qui credit,Deum esse trinũ ex fide infusa.* Et ita intelligit D.Th.in 1.2.q 171.ar.2.ad 3.cũ dixit,quod *habitus infusus datur ad illos actus,quorum similes poterat homo habere,quantum ad substantiam. Loquitur enim de identitate obiecti, quantum ad substantiam materialem,vt patet in exemplo ipsius ibi apposito,sicut diligere Deum, & cognoscere ipsum in speculo creaturarum. Hoc enim homo per naturam potest.* Ex quibus verbis solum habetur, hominem lapsum posse ex solis viribus naturæ elicere aliquem actum dilectionis Dei,imperfectum videlicet, vt supra expositum est: non autem super omnia simpliciter, & cum proposito absoluto nunquam peccandi, sicut asserit sententia , quam impugnamus. Nam ille modus diligendi in natura lapsa,etiam si cõsideretur Deus, vt est vltimus finis naturalis,haberi non potest absque speciali auxilio præuenientis gratiæ,vt cap.6. num. 15. & 20. dictum est.

Ad ea,quæ afferuntur ex Iosepho Angles,patet ex dictis cap. 7. num.42. quid intelligi debeat per pœnitentiam,*quo ad substantiam actus.* Ad alium locum ex art. 2. Concl.3. respondetur potius esse pro nobis,per illud enim verbum, *dilectio imperfecta*, quod ab omnibus fere scholasticis superius inductis adhibetur , excludit illud absolutum, & determinatum propositum nunquam de cætero peccandi , & modum diligendi Deum super omnia simpliciter,& supra seipsum,& propriam vitam: hanc enim dilectionem cum hoc modo diligendi Deum nunquam Angles concessit homini lapso ex solis viribus naturæ. Ad Angles.

CAPVT X.

Vtrum homo existens in mortali, quandiu rationis iudicium non absorbetur, possit absque speciali auxilio preuenientis gratiæ superare et vincer- quamcumque vehementem, & grauem tentationem, quam pro seruanda lege naturali necesse sit vincere; etiam si ea de causa mors esset toleranda.

1\. Molina in Concordia q.14. disp 19. & 20. sed præsertim in 9. Forte mirabitur,



QVIDAM dixerunt, quod interim dum iudicium rationis non absorbetur, in arbitrio humano spectato in statu naturæ lapsę sunt vires sine speciali auxilio Dei ad non consentiendum in quocumque temporis momento cuicumque graui, vehementiorique tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro seruanda in eo solo instanti lege naturali necesse sit vincere, etiam si ea de causa mors sit toleranda: ita vt si consentiat, peccet, eo quod secluso quocumque alio maiori auxilio, in potestate ipsius, tametsi non sine ingenti difficultate, positum est; non transgredi hanc legem. Addunt tamen, quod per totam vitam, aut longo tempore, non possit absque auxilio gratiæ seruare totam legem, neque operari aliquod opus pietatis, aut meritorium vitæ æternæ, & eodem modo loquuntur de vehementibus tentationibus, quas oporteat vincere pro eadem lege naturali adimplenda; quam sententiam disputat. 34. de Auxilijs satis diffuse impugnaui.

Alij vero eandem sententiam cum eisdem limitationibus probabilem reputant; sed tamen vt probabiliorem defendunt oppositam. Et vt suam mentem in hac perdifficili quæstione explicent, supponunt, nullam tentationem, quantumuis ex obiecto sit grauis, reputandam esse ita vehementem, vt voluntas creata non possit ex

solis

solis viribus naturæ illam superare.

Dicunt ergo, *non esse necessarium speciale gratiæ auxilium ad quācumq; tentationem in particulari vincendam: quia homo sua libertate utens potest vincere singulas tentationes, seu quamcumque illarum secundum se spectatam.* Referunt pro hac sententia quamplurimos Doctores, inter quos est Sanctus Bonauentura in 2. distinct. 28. art. 2. q. 2. Aegidius dub. 4. §. Ad primum, & ibi etiam Gabriel, & melius lect. 78. in Canonem dub. 3. Henricus Quodlib. 5. quæst. 10. & ex modernis Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 21. & 22. Vega opuscul. de Iustificat. q. 12. & 13. Medina in 1. 2. q. 10. art. 1. Adduntque, eandem sententiam supponere Ruardum, Stapletonium, & alios plures; sed quid re vera senserint, capite sequenti patebit. Postmodum tamen in discursu eiusdē capitis solū adducit auctor rationes, quibus probat, posse hominem in natura lapsa sine speciali auxilio gratiæ vincere leues tentationes, de quo tamen non est inter nos controuersia. Vnde rationes ibi adductæ non probant assertam ab illo conclusionem, videlicet, *non esse necessarium speciale gratiæ auxilium ad quamcumque tentationem in particulari vincendam, &c.* Status aūt præsentis quæstionis est: vtrū possit homo lapsus solis viribus naturæ vincere quācūq; tētationē in particulari. Ex his tamen, quæ idē auctor dicit c. 24. sequenti nu. 34. eius mens fit manifesta; ait enim, *omnem tentationem grauem includere aliquam temporis moram, & perseuerantiam; nam si vno tantum momento temporis tentatio duret, non æstimabitur simpliciter grauis, quamtumuis intensa videatur; dummodo potestatem, & physicam, & moralem considerandi, & deliberandi relinquat.* Idem præmiserat cap. 23. nu. 2. vbi explicans, quæ tentatio dicatur leuis aut grauis, ait. *Igitur tentatio leuis dicitur, quæ vel ex parte intellectus paruam, vel inefficacem habet suasionem, vel ex parte appetitus debilem inclinationem: vel etiam est leuis, quæ ad momentum, seu breuissimo tempore durat, quamuis alioqui intensa, seu vehemens videatur: Grauis autem dicitur, quæ pertinaciter suadet multo tempore constanter, ac molestè.* Id ipsum clarius dicit Molina in concordia quæst. 14. disput. 19. mem-

Suarez lib. 1. de necess. gratia cap. 23. nu. 13.
S. Bonauent.
Aegidius.
Gabriel.
Henricus.
Soto.
Vega.
Medina.

Tentatio leuis, & grauis quæ dicatur secundum aliquos.

quędam impotentia resistendi constanter tentationi, nisi à superiori iuuetur. Vt autem explicet, quęnam sit illa gratia, quam ait esse necessariam ad superandam quamcumque grauem,& vehementem tentationem

Dicit tertio, Hanc gratiam consistere in aliqua interna motione Dei aliquo modo supernaturali, quæ iuuat imbecillitatem nostram, quæ quidem motio, vel est illuminatio intellectus, qua melius,& fortius repræsentatur obiectum, quam per communem cursum causarum possit; vel motus aliquis voluntatis, quo Deus facit suauem illam resistentiam, vel terret ab illo malo, vt Augustinus dixit in Homilia 24. & 50. Addit autem, motionem illam dari debere aliquo modo supernaturali; nam ad effectum, de quo tractatur, ***non est necesse, vt semper sit supernaturalis in entitate sua***, quia effectus non est adeo excellens: Sufficit ergo, vt modo supernaturali conferatur: consistit autem ille modus in hoc, quod talis, ac tanta consideratio, vel affectio, aut inordinatio in tali occasione,& puncto fieri non posset per communem cursum naturalium causarum, vel per humanam industriam eius, qui tentationem patitur, comparari, & ideo illa motio habet veram rationem gratiæ, præsertim si detur in ordine ad finem supernaturalem, sicut nunc datur. *Eod. cap. num. 20.*

III. Probat primum dictum. Nam si impotentia resistendi grauioribus tentationibus esset impotentia physica, sequeretur, quod tentatio tolleret libertatem, & induceret necessitatem, quo ad exercitium, durante iudicio rationis, contra dogma receptum in Theologia: Ergo illa impotentia solum est moralis.

Secundo. Quilibet actus adimpletiuus præcepti naturalis, clauditur intra ordinem naturæ, & est proportionatus virtuti naturali, & physicæ, quam habent potentiæ rationales ad eundem actum exequendum pro quolibet instanti, etiam imminente quacumque grauissima tentatione: Ergo in homine est sufficiens principium physicum ad exequendum illum actum pro quolibet instanti, & superandam quamcumque grauem tentationem, quam oporteat vincere in eodem instanti: Ergo ad illam superandam nullum requiritur speciale auxiliū

gratiæ, ꝙ in sua entitate sit supernaturale. Sufficit ergo gratia, quæ sit quantũ ad modũ illam conferendi supernaturalis, hoc est, excedens communem cursum naturæ.

Tertio. Omnis tentatio grauis includit aliquam temporis moram, & perseuerantiam: Ergo si vno tantum momento temporis duret, non æstimabitur simpliciter grauis, quantumuis intensa videatur. Erit ergo tentatio leuis: sed ad superandam quamcumque leuem tentationem sufficiunt vires naturales humani arbitrij, vt asserit communis Theologorum sententia: Ergo absq; speciali auxilio gratiæ, potest homo in quocumq; temporis momento superare quãcumque tentationẽ; etiam si alias esset grauis, & valde vehemens, si diuturno tempore duraret.

IV. Quarto. Nam sententia, quæ asserit hanc necessitatem prouenire ex absoluta impotentia liberi arbitrij ad resistendum graui tentationi in quocumque puncto, fuit opinio Michaelis Baij damnata in quadam Bulla Pij V. & Gregorij XIII. qui asserebat, deficiente spiritu gratiæ, necessitari voluntatem ad consentiendum tali tentationi: Ergo non est admittenda. Ergo dicendum est, illam impotentiam solum esse moralem.

Quinto. Quando homo lapsus consentit alicui tentationi, nouũ peccatũ cõmittit, & nouam pœnã meretur: Ergo imputatur illi ex præsenti libertate, & potestate, quam habet ad consentiendũ, & non cõsentiendum, pro vt voluerit, alias non esset peccatum, sed pœna peccati, sicut sunt defectus naturæ ex peccato primi parentis ad posteros deducti: Ergo habet potentiam physicam ad consentiendum, vel non consentiendum, vt voluerit. Si dicatur quod ad cõsentiendum tentationi habet quidem potentiam physicam ex viribus naturæ, absq; speciali auxilio gratiæ, cæterum ad resistendum illi, quando est grauis, aut vehemens, habet potentiam physicam dependentem ex auxilio speciali præuenientis gratiæ: nam quæ per amicos possumus, per nos ipsos posse censemur. Contra hoc est

Eod. cap. num. 23. Sextum argumentum. Nam per hanc solutionem non rectè defenditur libertas in hac materia naturali vrgente tentatione, seu posita tentatione. Nam si necessaria

ſaria eſt gratia, vt potentia in illa occaſione maneat libera ad diſſentiendum: Ergo deficiente ſpiritu gratiæ neceſſitabitur, quo ad exercitum. Item tunc remoto auxilio gratiæ non peccaret voluntas conſentiẽdo tentationi; quia neceſſitaretur omnino ad conſenſum, & ita auxilium gratiæ non eſſet neceſſarium ad non peccandum, imò talis auxilij denegatio certior eſſet peccati excuſatio. Hæc autem omnia ſunt contra intentionem Pauli, & Sanctorum Patrum dicentium, legem ſine gratia augere potius peccatum, quam tollere, vel impedire: Ergo.

Septimo. Auxiliũ ſpeciale præuenientis gratiæ, quam Auctores dictæ ſolutionis requirunt tanquam neceſſarium ad reſiſtendum cuicumque graui, & vehementi tentationi, talis eſt virtutis, & efficaciæ, vt ſubijciat ſibi humanam voluntatem, & obſequentem faciat, vt infallibiliter reſiſtat cuicumque tentationi, & ideo aſſerunt, prædeterminare illam phyſicè ad faciendum bonum, & vitandum illud malum, ad quod tentatio impellit: ſed cum tali auxilio non ſaluatur libertas naturalis, quam habet voluntas ad vtrumlibet, videlicet ad cõſentiendum, & diſſentiendum; ad operandum, & non operandum: ergo talis modus auxiliandi non eſſet admittendus. Minor probatur, nam ad naturalem creati arbitrij libertatem, neceſſario requiritur, vt poſitis omnibus antecedenter prærequiſitis ad aliquid operandum, poſſit operari, & nõ operari, & habeat poteſtatem ad vtrumlibet: Ergo neceſſario requiritur ad eandem libertatem, quod omnia prærequiſita ad operationem ſubiaceant eius poteſtati, quantum ad vſum, ſicut ſubiacent habitus, quibus vtimur, cũ volumus: Ergo etiam ſpeciale auxilium præuenientis gratiæ, quo in natura lapſa indiget homo ad ſuperandum quamcumque grauem tentationem, debet ſubiacere poteſtati eiuſdem voluntatis, quantum ad vſum, vt naturalis eius libertas conſeruetur. V. *Idem cap. 9. eiuſdem lib. 2.*

Octauo. Illa gratia, qua indiget homo in natura lapſa ad ſuperandas vehementes tentationes, non eſt neceſſaria per modum principij phyſici, & per ſe concurrentis ad eliciendum actum, quo vincenda eſt tentatio: *Idem eod. cap. 14. num. 16.*

nam actus ille est ordinis naturalis, & non includit in obiecto aliquid, quod per se, & physice excedat naturalem facultatem voluntatis; ergo solum requiritur, tanquam principium morale eiusdem actus, modo in secundo dicto explicato: Ergo absque tali auxilio gratiæ habet creata voluntas sufficientem virtutem physicam ad illum actum bonum producendum, quo superatur, & vincitur quælibet tentatio quantumuis grauis.

Nono. Per illum modum præuenientis gratiæ in secundo, & tertio dicto explicatum, sufficienter Deus adiuuat imbecillitatem creatæ voluntatis ad superandam quamcumque grauem tentationem, quam pro seruanda lege naturali necessarium sit vincere, & ex alia parte ille modus auxiliandi valde cohæret cum naturali libertate humanæ voluntatis, nam semper relinquit illam in sua potestate, quam habet ad consentiendum, & dissentiendum pro vt voluerit: Ergo, &c.

VI. Oppositam sententiam multis rationibus probaui disput. 54. de Auxilijs Conclusione quarta, quæ nunc est etiam defendēda, & obiectionibus supra positis occurrendum. Ad cuius euidentiam supponendum est.

Not. 1. Tētatio ex pluribus capitibus esse potest grauis.

Primo, quod licet ex diuturnitate temporis, quo durat aliqua tentatio, eius grauitas, & vehementia pensanda sit secundum quod magis, vel minus molesta fuerit: nihilominus ex alijs etiam capitibus procedere potest, quod tentatio reputetur grauis, & vehemēs, videlicet ex causa eiusdem tentationis, si magnus metus interueniat, vt si quis mortem comminetur alicui, nisi consentiat in peccatū carnis, vel nisi blasphemiam proferat in Deum, certe huiusmodi tentatio, quantumuis paruo tempore duret, ab omnibus recte sentientibus reputatur grauissima, & valde vehemens, ad quam vincendam, & superandam necessarium sit in natura lapsa speciale auxilium præuenientis gratiæ.

VII. Notandum secundo, quod vt liberum arbitrium possit re vera consentire in aliquem actum, & habere liberam potestatem illum efficiendi, si est bonus: aut vitandi, & non consentiendi si est malus, non est semper necessarium, quod ex solis viribus naturæ possit illum producere, aut vitare; sed sufficit, quod, vel viribus pro-

prijs

prijs, vel ex auxilio speciali præuenientis gratiæ id possit. Hoc fundamentum, vt c. 5. nu. 8. notaui, est expresse Sancti Thomæ 2. secundæ q. 2. artic. 5. Vbi cum proposuisset primum argumentum ad probandũ, quod homo non teneatur ad credendum aliquid explicitè; quia videlicet: *Nullus tenetur ad id, quod non est in eius potestate: sed credere aliquid explicite non est in hominis potestate, secundum illud Romanorum 10. quomodo credent in illum, quem non audierunt?* Ergo. Respondet, *quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante: sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque diuinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, vt Augustinus dicit in libro de correptione, & gratia.* Quibus verbis aperte docet, quod vt homo facultatem habeat, & liberam potestatem ad aliquem actum efficiendum, sufficit, quod vel ex solis viribus naturæ, vel ex auxilio gratiæ possit actum illum efficere, & idem proportionabiliter dicendum est de libertate, seu libera potestate non consentiendi in actum imminente quacumque graui tentatione, quando actus est malus lege etiam naturali prohibitus. Vnde Augustinus epist. 107. ad Vitalem *Liberum* (inquit) *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*: idest, amisimus liberam potestatem, & facultatem ad diligendum Deũ super omnia simpliciter, quam tamen primi parentes in statu innocentiæ habuerunt. Non est ergo de essentia libertatis naturæ lapsæ, quod ex solis viribus naturæ absque speciali auxilio præuenientis gratiæ possit quemcumque actum etiam naturalem elicere, aut cuicumque tentationi grauiori resistere; alias non fuisset per originale peccatum viribus attenuata, & infirmata, atque in deterius commutata, quod est contra Conc. Mileuitanum, & Tridentinum, vt cap. 4. & duobus sequentibus ostensum est.

Vt tentationi grauiori ad consentiendum non necessitetur homo necessitate absoluta, sufficit, quod saltem ex auxilio gratiæ possit illi resistere.

Rom. 10.

S. August.

Idem S. August.

Cõc. Mileuitan. & Trident.

Præ-

Pręterea id ipsum probatur; nam si opposita sententia vera esset, sequeretur, actus supernaturales fidei, spei, & charitatis non produci cum vera libertate ab hominibus iustis; quia non producuntur ab illis, nec produci possũt sola facultate, & libertate naturali, etiam secundum substantiam actus. Nam, vt idem auctor ingenue fatetur, eiusmodi actus sunt etiam secundum substantiam ordinis supernaturalis.

Suarez.

I I. Tertio notandum, quod aliud est dicere, hominem libere consentire cuicũque tentationi, quãtũuis graui, & consentiendo peccare: aliud vero longe diuersum est, quod ex solis viribus naturæ habeat liberam potestatẽ ad resistendum eidem tentationi pro breui tempore, vel non consentiendum illi. Primum enim est de fide, nam peccatum absque libertate cõmitti non potest. Secundum vero est falsum & contra communem Theologorum sententiam, vt patebit infra. Neque Auctor negat, sed potius fatetur, illos actus esse differentes. Nam cap. 24. allegato num. 1. exponens S. Thom. 1. 2. q. 77. art. 7. & quęst. 80. art. 3. vbi docet nullam tentationẽ concupiscentiæ, aut dęmones tollere libertatem sufficientem ad non consentiendum, ait, *quod aliud est loqui de libertate: aliud de absoluta potestate ad resistendum tentationi*. Differentia autem consistit in hoc, quod ad potestatem requiritur, quod habeat virtutem sufficientem per solas vires naturæ ad resistendum tentationi: ad libertatem vero sufficit, quod neque per formam intrinsecam, neque per voluntatem, aut motionem primæ, & vniuersalissimæ causæ, nec per passionem sit naturaliter ad vnum pecudũ more determinata: nam solum eiusmodi necessitas naturalis repugnat libertati, & vsui eius actuali, vt in libro de Auxilijs, & nostrarum responsionum expositum est, & probatum; non autem repugnat eidem libertati necessitas ex suppositione absoluti decreti voluntatis diuinæ, & efficacis motionis præuenientis gratię, quæ alias dicitur necessitas consequentiæ, vel infallibilitatis, vt disput. 25. de Auxilijs ex communi sententia Patrum, & scholasticorum probatũ est: nam hæc necessitas solum est necessitas secundum quid, & ex suppositione. In hoc enim decipiuntur valde

Disput. 22. 23 & 115 de Auxilijs, & lib. 4. respons. cap. 1.

de Auctores, qui sentiunt, cum huiusmodi necessitate cohærere non posse creati arbitrij libertatem. Similiter etiam, quod aliquis consentiat in peccatum, & peccet necessitate absoluta, contradictionem implicat; non tamen est impossibile, quod in tentationem consentiat, & peccet necessario quadam necessitate infallibilitatis, seu conditionata, siue ex suppositione, quæ est necessitas secundum quid non obstans libertati, vt dictum est.

Vnde, vt bene adnotauit Caietanus 1. 2. q. 109. art. 8. in fine articuli, *existens in peccato mortali, & non se disponens ad gratiam ex hac suppositione, scilicet, quod vult permanere in statu tali, necesse habet peccare mortaliter; sed talis necessitas, & impossibilitas ex suppositione non repugnat voluntario, & propterea voluntarie simul, & necessario ex suppositione peccabit mortaliter.* Quam ob rem Summi Pontifices, & Sancti Patres sæpius decernunt, quod deserente Domino, & auxilium non præbente ad resistendum grauioribus tentationibus, & peccatum mortale vitandum, necessario cadet homo, & peccabit, quod quidem intelligendum est de necessitate infallibilitatis, & consequentiæ, siue ex suppositione; non autem de necessitate absoluta. Et in hoc sensu loquitur Cęlestinus Pap. in Epistola ad Episcopos Galliç cap. 6. cum ait: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisiq; nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante, vincamur.* Et Aug. sup. Psalm. 70. concione 2. ait: *Quomodo si anima deserat moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus.* Et Serm. 13. de verbis Apostoli: *Nisi ille regat, cadis: nisi ille regat, iaces.* Et idem prosequitur lib. de Corr. & gratia cap. 12. Sanctus etiam Prosper epist. de lib. arb. ad Ruffin. circa finem, *Liberum* (inquit) *arbitrium, cum solum esset, sibique permissum, non nisi ad suam perniciem mouebatur.* Chrysost. homil. de Adam, & Eua inquit: *Cum dicitur tradi homo desiderijs suis, ex ipsa propagine fit reus; quia desertus à Deo cedit cupiditatibus, atq; consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.* quam doctrinā confirmant loca Scripturę Psal. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuen-*

Cælestin.

Aug.

Prosper.

Chrys.

statim euolaret in cœlum;nam,vt ait Aug. iniuriam facit Martyri,qui orat pro eo.Consequens autem admitti non potest : Ergo . Idem argumentum procedit de consimilibus tentationibus, quibus aliqua virgo suadetur,& inclinatur ad consentiendum in stuprum .

Respondebit , quod quando similes tentationes sunt diuturnæ,& molestant aliquem,non possunt absque speciali auxilio gratiæ superari, & vinci : nihilominus pro quolibet vno instanti vinci possunt , eliciendo pro eodem solo instanti actum contrarium illi, ad quem tentatio inclinat. Hanc enim solutionem insinuat Auctor vbi supra : sed contra est efficax argumentum;nam consensus voluntatis,vel dissensus interior elicitur à voluntate in vno instanti , aut breui tempore,in quo tentatio non est diuturna . Ergo si pro quolibet instanti potest ex solis viribus naturæ repugnare tentationi comminanti mortem,vel inferenti statim,nisi illico blasphemet vnum verum Deum,sequitur, quod absque speciali auxilio gratiæ possit mortē sustinere pro seruando primo præcepto naturali colendi Deum , quod tamen admittere non est tutum . Euasio. Impugn.

Præterea probatur eisdem argumentis,quibus cap.6. & 8. ostensum est , hominem in natura lapsa non posse absque speciali auxilio gratiæ diligere Deum super omnia simpliciter, etiam in quantum est Auctor naturæ, nec elicere ex eodem amore actum contritionis de peccatis commissis.

XIII. *Auxilium gratiæ necessarium ad resistendum quibuscumque tentationibus grauioribus esse debet supernaturalis ordinis*

Secunda Conclusio. Speciale auxilium gratiæ , quod est necessarium ad vincendas singulas graues tentationes , aut vehementes, debet esse in sua entitate supernaturale, & principium physicum cum libero arbitrio, confortans illud,& tribuens virtutem,vt illas tentationes superare valeat. Conclusio est contra tertium dictū Auctoris oppositæ sententiæ(est tamen)quantum existimo,de mente Sanctorum Augustini,& Prosperi,nec non Sancti Thomæ locis disput. 54. de Auxilijs allegatis,sed præsertim eam videtur, docere expresse S.August. libro de gratia Christi contra Pelagium , & Cælestium cap. 40.vbi reprehendit Pelagium eo,quod dixerit,Diuinam mereamur gratiam, qua facilius nequam spiritui spiri-

tus sancti auxilio resistamus, in qua reprehensione significat Augustinus, tale adiutorium esse necessarium simpliciter ad resistendum nequam Spiritui tentatori: & postmodum explicans, quod adjutorium constituerit Pelagius ad facilius resistendum, subdit: *Quod tamen qualecumque, & quantumlumcumque adiutorium, eum credibile est in hoc constituere, quod nobis additur scientia, reuelante spiritu per doctrinam, quam, vel non possumus, vel difficile habere possumus per naturam.* Ex quibus verbis desumitur argumentum. S. Augustinus requirebat à Pelagio aliud adiutorium distinctũ ab eo, quod, licet difficile, habere possumus per naturam, vt nequam spiritui tentatori resistamus: sentit ergo, quod illud adiutorium debet esse ordinis supernaturalis secundum suam entitatem, quo nimirum Deus efficit, vt liberum arbitrium tentatori resistat, & sit cum libero arbitrio physicum principium actus virtutis, quo tentatori resistitur: non ergo explicatur sufficienter ab Auctore in 3. Dicto adiutorium, quo indiget homo lapsus ad resistendum grauioribus tentationibus, & illis non consentiendum. Et probatur præterea Conclusio.

Primo. Homo infirmus, & viribus attenuatus non potest per se ipsum efficere actus perfectos hominis sani, & perfecti in sua virtute naturali, nisi prius sanetur, & adiuuetur auxilio medicinæ: sed in natura lapsa est homo infirmus, & viribus attenuatus, ac debilitatus, ac multis plagis per originale, aut etiam actuale peccatũ affectus, vt supra dictum est: Ergo per solas vires naturæ non potest elicere actus perfectos naturę integrę, vel sanæ, quibus graues tentationes superet, nisi auxilio præuenientis gratiæ adiuuetur.

XIV. Secundo probatur. Gratia illa, quam Auctor ait esse necessariam ad superandas graues tentationes, est absolute, & simpliciter ordinis naturalis, ergo pertinet ad beneficium creationis: Ergo non est vera gratia Christi, qua indiget homo in natura lapsa ad vincendas graues tentationes. Probatur consequentia; nam, vt lib. 3. Responsionum cap. 7. ostensum est, vera gratia Christi non distinguitur, nec diuiditur in gratiam ordinis supernaturalis, secundum entitatem, & gratiam natu-

naturalis ordinis, secundum substantiam: sed omnis gratia, quæ nobis confertur ex meritis Christi, est substantialiter supernaturalis ordinis, quæ subinde per nullam causam naturalem haberi potest.

Confirmatur. Potentia visiua, quæ per miraculum restituitur cæco, non est alterius rationis, vel ordinis ab illa, quæ per generationem ab agente naturali communicatur homini, licet modus illam communicandi sit supernaturalis: Ergo licet extra concursum cōmunem, & ordinarium illuminet Deus intellectum, & excitet voluntatem hominis, vt per solam suam virtutem naturalem attendat ad ea, quæ possunt mouere liberum eius arbitrium ad resistendum grauibus tentationibus, & vehementibus; quia tamen absolute loquendo illa omnia per solas causas naturales possunt ministrari homini, pertinebunt simpliciter ad beneficium creatoris, ac per consequens, iuxta sententiam, quam impugnamus, poterit liberum arbitrium hominis lapsi absque speciali auxilio veræ gratiæ Christi vincere per solas vires naturæ quamcumque grauem tentationem, & molestam contra legem naturalem.

Potentia *visiua cęco restituta est naturalis quantū ad substantiam, & supernaturalis quātum ad modum*

Si dicatur, posse quidem per solam physicam virtutē naturalem vincere quamcumque tentationem, sed cum magna difficultate: in moralibus autem id, quod est valde difficile, reputatur impossibile, non quidem physice, sed solum moraliter. Ita enim respondet Auctor eodem cap. 24. num. 30. Contra hoc est Argumentum; nam quod physice est possibile fieri per solam naturam, etiam si moraliter reputetur impossibile, contingit aliquando, quod per solas vires naturæ fiat: Ergo si per solam physicam virtutem sui arbitrij potest homo vincere quamcumque determinatam tentationē, etiam grauissimam, quamtumuis molestam, & diuturnam, & solum moraliter id est impossibile; sequitur aliquando contingere, quod absque omni prorsus auxilio speciali præuenientis gratiæ illam vincat: quod enim physice loquendo non est impossibile, licet moraliter impossibile reputetur, poterit aliquando licet raro contingere. Ex quo rursus sequeretur, speciale auxilium præuenientis gratiæ non esse necessarium simpliciter: sed solum ad facilius

Solutio.

Impugn.

Quod impossibile solum est moraliter, aliquando licet raro euenire potest,

 cilius

cilius tentationem illam diuturnam superandam,& vincendam,quod tamen est Pelagianum.

VIII. *Eodē cap. num. 31.* Respondet adhuc, quod etiam in latitudine potentiæ moralis aliquid esse posset de obiecto simpliciter impossibili,idest,quod nunquam contingat à tali causa sibi permissa euenire. Vnde non semper impossibile, physicè,& moraliter distinguuntur,quod illud nunquam euenit, hoc autem interdum euenire contingit:sed formalis differentia in præsenti materia est, quod ad primum impossibile non est in agente potentia physica: ad posterius autem impossibile non deest physica potentia,& nihilominus effectus, seu obiectum tot potest esse difficultatibus affectum,vt nunquam fiat à tali potentia vniformiter,& sine defectu, nisi vel potentia iuuetur,vel difficultates tollantur. Et quando tale est hoc modo possibile,vt nunquam à tali causa sic affecta eueniat,dicitur simpliciter impossibile respectu illius;quia absoluta possibilitas non dicitur respectu causæ physicæ nudè sumptæ: sed vt spectatæ cum circumstantijs, sine quibus nunquam ita operabitur.

Matt. 18. Confirmat hanc solutionem ex verbis Christi dicentis: *Necesse est, vt veniant scandala*; cum autem scandalum non detur nisi per actionem liberam,& peccaminosam,vt verba subiuncta declarant,vę *autem homini illi, per quem scandalum venit*,fit vt non desit potentia physica ad vitandum quodlibet scandalum:Ergo necessitas illa,per quam veniunt scandala, & impotentia illi opposita est tantum moralis, & nihilominus talis est, vt nunquam deficiat.

S.Hieron. Secundo confirmat eandem solutionem auctoritate Hieronymi in Epistola ad Ctesiphontem, vbi illud censet esse simpliciter impossibile, cuius oppositum nunquam euenit; etiam si per actus physicè possibiles,& liberos euitari posset,vt est,hominem nunquam peccare. Quod repetit Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos parum à principio,exemplisquè confirmat,dicens: *Hoc & nos dicimus,posse hominem non peccare,si velit.*Ecce physicam potestatem. De morali vero impotentia subiungit: *Pro tempore, pro loco, pro imbecillitate,&c. Sic humana conditio,si paululum remiserit, discit fragilitatem*

suam,

suam, & multa se non posse cognoscit. Ecce impossibilitatem moralem, de qua iterum in fine cum dixisset: *In nostra esse potestate peccare, vel nō peccare, ad bonum, vel ad malum extendere manum.* Subdit: *Nec quia ad breue possum*, vtique etiam moraliter, *coges me, vt possim iugiter*. Vtique moraliter. *Possum ieiunare, vigilare, &c. Nunquid in perpetuum?* sic ergo ait, esse moraliter impossibile, vincere tentationem grauem sola libertate in natura lapsa, quia licet libertas non desit, etiam si gratia deserat hominem, nihilominus ita impotens est ad sic resistendum graui tentationi, vt nō contingat constanter, & sine peccato id facere.

IX. Aristot.

Hæc solutio non videtur satisfacere; arguitur enim contra illam. Primo, nam vt docet Aristoteles lib. 1. de Cœlo, & mundo cap. 11. tex. 133. illud dicitur simpliciter impossibile comparatione alicuius causæ, quod nō continetur in eius potentia physica: Ergo si est simpliciter impossibile, quod homo lapsus vincat aliquando singulas tentationes graues, sequitur, quod talis victoria non contineatur in potentia physica illius secluso auxilio speciali præuenientis gratiæ, ac per consequens ad easdem tentationes vincendas erit simpliciter necessarium, speciale auxilium gratiæ tribuens physicam virtutem ad vincendas illas tentationes, & concurrens efficienter cum illo ad eandem victoriam consequendam. Confirmatur. Id, quod solum est impossibile moraliter, solum secundum quid est impossibile; etenim absolute, & simpliciter possibile est euenire: possibili autem posito in esse nullum sequitur inconueniens: Ergo si homini lapso solum moraliter est impossibile, singulas tentationes graues absque auxilio gratię superare, sequitur, quod absolute, & simpliciter id sit possibile. Ergo id continget aliquando, licet raro; quod enim solum est moraliter impossibile, aliquando euenire potest, & de facto euenit, cum id nullam implicet contradictionem. Confirmatur secundo. Frustra est potentia, quæ nunquam reducitur ad aliquē actū in eadem potentia virtualiter contentum: sed physica potentia naturalis, quam auctor asserit esse in libero arbitrio ad vincendam quācumque grauem tentationem absque

Impossibile simpliciter illud dicitur respectu alicuius, quod non continetur in eius potentia physica

auxilio

auxilio gratiæ nunquam deducta est, nec deducetur vnquam ad actum, vt idem Auctor fatetur: Ergo frustra illam constituit in homine lapso. Confirmatur tertio hoc argumentum auctoritate Anselmi libro de libero arbitrio cap. 6 vbi explicans, quomodo sit nostra voluntas potens contra tentationes, licet videatur impotens, ait, *Cum tentationibus consentimus, non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate. Frequenti namque vsu dicimus, nos non posse aliquid: non, quia nobis est impossibile: sed quia sine difficultate non possumus. Hæc autem difficultas non permittit libertatem voluntatis vinci. Impugnare namq; potest inuitam voluntatem, expugnare nequit inuitam.* Quibus verbis aperte docet, illud quod solum est impossibile moraliter, quia difficile, reputari absolute, & simpliciter esse possibile. Vnde idem Anselmus libro de concordia gratiæ, & liberi arbitrij columna penultima, vt explicet, in natura lapsa esse homini simpliciter impossibile absque speciali auxilio gratiæ vincere quamcumque grauem tentationem, ait: *Voluntas infirma quoque modo facta est ad volendum iustitiam deserta. Non enim per liberum arbitrium ita potest eam velle: tamen illam non habet, quemadmodum valet seruare, cum habet. Voluntas etiam commodi condita bonum, in quantum est aliquid, mala, idest iniusta facta est, quia non est subiecta iustitiæ, sine qua nihil velle debet. Voluntas ergo instrumentum, cum sponte facta sit iniusta post desertam iustitiam: manet, in quantum in ipsa est necessitate, iniusta, & ancilla iniustitiæ, quia ex se redire nequit ad iustitiam, sine qua nunquam libera est, quia naturalis libertas arbitrij sine illa ociosa est.* Quo nihil clarius dici potuit pro nostra sententia.

Anselm.

X. Ad hæc testimonia, nihil aliud respondet Auctor, nisi Anselmũ coactum fuisse vi argumenti ad asserendũ, esse simpliciter possibile, quod solum est difficile, seu moraliter impossibile. Vnde ipse aliter respondet, negando istam consequentiam, hoc est solum moraliter impossibile: ergo est simpliciter impossibile. Nihilominus consequentia Sancti Anselmi est euidens, vt patet ex auctoritate Philosophi superius inducta, licet auctoritas Anselmi nobis sufficiat. Dicendum est ergo quod per

per libertatem humanam potest homo simpliciter, & absolute resistere cuicumque tentationi,& eam superare, dum tamen id intelligatur, vel per solam naturam libertatis humanæ,vel per eandem libertatem naturalem adiutam speciali auxilio gratię, sicut idem Anselmus alijs in locis docet,& Sanctus Thomas 2.2.superius allegata: hoc enim modo liberum arbitrium creatum potest superare quam cumque tentationem per suam naturalem libertatem,vel solam,si tentatio sit leuis,vel adiutam speciali auxilio præuenientis gratiæ, quotiescumque tentatio est grauis.

XV. *Scandala euenire qualiter sit necessarium.*

Et ad verba illa Christi Domini: *Necesse est, vt veniant scandala, vę autem homini illi,per quem scandalum venit*, Respondetur, potius confirmare nostrum argumentum, quod scilicet cum impossibilitate morali contingat aliquando actus,qui solum moraliter est impossibilis; nam cum necessitate morali, qua necesse est euenire scandala,contingit aliquando, licet raro, quod non eueniant. Et ad verba Sancti Hieronymi responde tur,quod cum ait,posse hominem non peccare, si velit, non intelligit hominem in natura lapsa propria virtute absque speciali auxilio gratiæ habere physicam virtutem ad non peccandum, si velit sola libertate humana: hoc enim in Pelagianis sæpe impugnat idem S.Hieronymus,& Augustinus,sed necessario intelligendus est, quod id possit,vel per solas vires naturæ,vel per specia le auxilium gratiæ,qua Deus tribuit non solum posse: sed etiam ipsum bonũ velle, quo vitatur peccatum:hoc enim sufficit, vt homo vere habeat libertatem ad peccandum,& non peccandum: nec est necessarium, quod possit homo lapsus non peccare per solam naturalem eius libertatem,vt re vera sit liber, & habeat facultatẽ ad vtrumlibet.

Alia etiam verba Sancti Hieronymi etiam fauent nostræ sententiæ: non enim intelliguntur de sola impotentia morali:sed etiam de impotẽtia physica:id quod etiam indicat exemplum adductum de impotentia ad ieiunandum,& vigilandum in perpetuum:non enim est in natura mortali potentia physica ad conseruandum vitam absque cibo, vel somno. Cum autem ait, in no-

auxilium præuenientis gratiæ superius explicatum, vt in casu posito, numero 12. Nec est admittendum, quod quælibet tentatio, quantumuis ex alio capite sit vehemens, reputetur tentatio leuis ex eo solum, quia durat tantum per vnum instans morale, vel per breue, aut breuissimum tempus, vt nu. 6. dictum est. Vnde in quocumque illius temporis momento indiget homo speciali auxilio gratiæ, vt non consentiat in illam.

XVII. Ad Quartum respondetur primo, quod illa Propositio, & aliæ Michaelis Baij, quæ continentur in præallegatis Bullis, fuerunt quidem damnatæ in sensu ab eo intento, vt disput. 51. de Auxilijs num. 17. dictum est. Propositio autem illa in argumento commemorata, fuit intenta ab illo de necessitate absoluta. Ita nimirum, vt in grauioribus tentationibus, deficiente spiritu gratiæ necessitaretur voluntas necessitate absoluta ad consentiendum tentationi. Et in hoc sensu idem Suarez cap. 24. citato num. 22. sentit, propositionem illam Baij fuisse in præallegatis bullis damnatam: propositio autem affirmans, quod si homo lapsus tentetur quacumque tentatione graui, aut vehementi, deficiente speciali auxilio præuenientis gratiæ, & solum suis viribus naturalibus relinquatur, necessario peccabit, non quidem necessitate absoluta, quæ repugnat libertati: sed solum necessitate infallibilitatis, seu consequentiæ, quæ alias dicitur necessitas secundum quid, non est desumpta ex officina Michaelis Baij, sed ex sana doctrina Sanctorum Augustini, & Thomæ, & aliorum Patrum, qui asserunt, multa esse præcepta legis naturalis, quæ ex solis viribus naturæ non potest homo lapsus implere, nec vincere grauiores tentationes absque speciali auxilio præuenientis gratiæ, vt expressis num. 11. constat.

XVIII. Ad Quintum respondetur, quod vt homo lapsus peccet, & mereatur nouam pœnam consentiendo graui tẽtationi, in quocumque instanti consentiat: sufficit, quod habeat præsentem libertatem, & potestatem ad resistendum, & superandum illam tentationem, vel ex viribus naturæ, vel ex auxilio speciali præuenientis gratiæ, & nihilominus non superet illam, sed consentiat, vt ex dictis num. 7. constat.

Ad Sextum argumentum respōdetur similiter, ex hoc, quod vrgente graui tentatione homo in natura lapsa infallibiliter consentiet in illam, & peccabit, nisi speciali auxilio gratiæ adiuuetur ad eandem tentationem superandam, non sequi, quod homo ille necessario peccet necessitate absoluta: sed solum necessitate infallibilitatis seu consequentiæ, quæ est necessitas secundum quid non obstans libertati, vt dictum est. Vnde sublatio eiusdem auxilij, quod necessarium esse dicimus ad vincendum illam tentationem, & non peccandum, nullo modo esse potest excusatio peccati, eo quod homo sua culpa se impediuit, ne daretur illi tale auxilium, dum ex sua propria, & innata libertate consentire voluit in tentationem, & peccare.

Ad Septimum argumentum, quod sic adeo magnificat Auctor, vt asserat, *nihil hactenus ad illud fuisse responsum, quod intelligi satis possit*, Respondetur, quod vt sæpius dictum est, idem argumentum inculcauerunt Pelagiani contra necessitatem gratiæ, quam ab eis requirebat Sanctus Augustinus, obtendentes cum libertate arbitrij creati cohærere non posse: ad quod tamen argumentum pluribus in locis respondent Sanctus Augustinus, Prosper, imò & Sanctus Thomas, per eandem gratiam nullo modo violari creati arbitrij libertatem: sed mirum in modum cōfirmari, vt patet ex eodem Augustino libro de Spiritu, & litera cap. 29. & lib. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 20. & ex Prospero epist. ad Ruffinum de libero arbitrio versus finem, & contra Collatorem cap. 12. & 38. & Sancto Thoma 1. p. q. 19. artic. 8. & in 2. sentent. dist. 25. quæst. 1. art. 2. ad 1. & 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 1. quorum verba retuli disput. 22. de Auxilijs num. 20. & in fine libri duodecimi de Auxilijs, ibi poterunt videri. Et solutio eorum cōsistit in hoc, quod Deus non prædeterminat, nec mouet sua præueniente gratia efficaci voluntatem creatam, vt operetur necessario necessitate absoluta: sed vt libere, & infallibiliter piè operetur, iuxta modum congruentē suæ naturæ: nam propter summam efficaciam suæ voluntatis attingit effectus causarum secundarum cum modo sibi proprio, & ideo efficit, quod causæ naturales operentur

(Margin: August. / Prosper. / S. Thom.)

tur

tur naturaliter, & causas contingentes, & liberas monet, vt operentur contingenter, & liberè, medio iudicio rationis indifferenti se determinando ad bene operandum: actus enim procedens à voluntate medio iudicio rationis indifferenti habet ita intrinsecè, quod sit liber, vt etiam de potentia Dei absoluta esse non possit necessarius absoluta necessitate, & simpliciter, sed solum secundum quid, vt lib. 4. Responsionum cap. 3. ostensum est. Quod si auctores contrariæ sententiæ hanc solutionem satis intelligere non possunt; nobis sufficit, quod eadē solutio tradita fuerit à S. Thoma, & Patribus, & Scholasticis antiquis quamplurimis, & eorum intellectum quietauerit, vt in libro de Auxilijs disputat. 115. & 116. probatum est. Vnde non est admittendum, quod speciale auxilium præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt faciamus, & operatur, vt operemur, subiaceat quantum ad vsum creati arbitrij libertati, sicut subiacent habitus, quibus vtimur cum volumus: sed Deus per idem auxilium & fortiter, & suauiter subijcit sibi humanam voluntatem, & eam obsequentem facit absque præiudicio libertatis eius, vt disputat. 87. de Auxilijs dictum est.

Ad Octauum argumentum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod licet actus adimpletiuus legis naturalis, quo vincenda est grauis tentatio sit ordinis naturalis secundum se, & non includat in obiecto aliquid, quod per se, & physice excedat naturalem facultatem voluntatis creatę in sua integritate; excedit tamen virtutem naturalem hominis infirmi, & atenuati viribus per originale peccatum, vel actuale, vt supra dictum est. Vnde, vt producat illum actum, quo vincenda est grauis tentatio, indiget speciali auxilio præuenientis gratiæ, quo adiuuetur infirmitas eiusdem voluntatis, & sit physicum principium cum illa eiusdem actus.


Ad Nonum argumentum negatur antecedens. Iam enim supra ostensum est, quod speciale auxilium præuenientis gratiæ necessarium ad vincendam quamcūque grauem tentationem, esse debet principium physicum bonæ operationis, per quam tentatio illa est superanda. Et quamuis ille modus auxiliandi, & adiuuandi creatæ voluntatis infirmitatem eius libertati congruere videa-

tur, ex alia parte multum tribuit virtuti naturali arbitrij creati hominis infirmi: nam attribuit illi eandem virtutem physicam ad adimplenda singula præcepta legis naturalis, quam habebat in natura integra, & iuxta illam sententiam, speciale auxilium gratiæ solum esset necessarium ad facilius implendum eadem mandata, etiam imminente, & vrgente quacumque graui tentatione, quod tamen nullatenus est admittendum. Addo, quod cum liberum arbitrium creatum non habeat libertatem per essentiam, nec sit primum liberum simpliciter, nec prima causa suæ determinationis, sed liberum per participationem, subiectum dominio, & potestati primi liberi, quod est Deus; talis esse debet motio primi mouentis, tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ, vt congruat libertati per participationem, & illam subijciat sibi quantum ad vsum, & obsequentem faciat, vt supra dictum est. Vnde ille modus auxiliandi, quem impugnamus, congruere quidem posset creatæ libertati, si esset simpliciter prima causa, & primum initium suæ determinationis, non tamen videtur congruere causæ liberæ per participationem, cuius determinatio ad quemcumque actum bonum pendet ex determinatione primæ, & vniuersalissimę causæ, scilicet Dei, vt disput. 18. 22. 23. & 91. de Auxilijs expositum est.

CAPVT XI.

Referuntur Auctores, qui allegantur pro prima sententia capite præcedenti impugnata, & eorum testimonia examinantur.

I. *Suarez li. 1. de gratia cap. 13 num. 13.*



PRO sententia, quæ asserit, non esse necessarium speciale gratiæ auxilium ad quamcumque tentationem in particulari vincendam, quia homo sua libertate vtens potest vincere singulas tentationes, seu quamcumque illarum secundum se spectatam, allegatur Bonauentura in 2. distin. 28. art. 2. quæst. 2. Ægidius dub. 4. & 5. §. Ad primum, & ibi etiam Gabriel, & melius lect. 78. in Canonem dub.

D. Bonauent. Ægidius. Gabriel.

dub. 5. Henricus quodlib. 5. quæst. 20. & ex modernis Soto 1. lib. de Natur. & Grat. cap. 21. & 22. & Vega Opuscul. de Iustificat. quæst. 12. & 13. Medina 1.2. quæst. 10. artic. 1. eamque supponit. Alij vero, inter quos est Molina, referunt pro eadē sentētia sequētes Auctores. Henric. Soto. Vega. Medina.

Primus est Sanctus Thomas 1. 2. quęst. 10. art. 2. & 3. disputans in ea quæstione de voluntate in suis solis viribus naturalibus cum solo concursu Dei generali absque alio auxilio spectata, art. 2. docet à nullo omnino obiecto necessitari posse, quoad actus exercitium, sed semper manere liberam, vt eliciat, aut non eliciat actū. Loquitur vero in hac vita, si quidem de ea in suis viribus spectata est illi in eo articulo sermo. Articulo vero tertio docet, à nulla omnino passione, atque adeò nec à timore mortis imminentis posse necessitari, interim dū iudiciū rationis non absorbetur. Vnde ibidē in respōsione ad secundū, Aliquando, inquit D. Thomas, & si ratio obnubiletur à passione, remanet tamen aliquid rationis liberū, & secūdū hoc potest aliquis, vel totaliter passionē repellere, vel saltē se cōtinere, ne passionē sequatur.] I. I. S. Thom.

Caietanus eodem articulo tertio pręter alia ait: Circa tertij articuli doctrinam aduerte, quod indè habes, quam liberum sit, tam in delectabilibus, quam in contrarijs secundum tactum, velle, & nolle. Passiones enim huiusmodi aut totaliter absorbent rationem, & sic nihil voluntatis restat; aut aliquid eius relinquunt, & sic libertatis tantundē dimittunt. Et quamuis tūc propter dispositionē subiecti voluntas maxime declinetur ad actū consonū appetitui sēsitiuo, quia tamē libera restat, miraculo nō est opus ad nō eliciendū eiusmodi actū, vt Greg. de Arim. in 1. sent. d. 1. q. 2. ar. 2. putauit. Hactenus Caiet. Caietan. Greg. de Arimino.

Idem S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. & 9. docet, hominē in statu naturę lapsæ suis viribus naturalibus vitare posse singula lethalia peccata, quemadmodū seruare pręceptū quodcūque legis naturalis in quocūque euētu: ad lōgū tamē tēpus vitare nō posse peccata omnia lethalia. S. Thom.

Anselmus in lib. de libero arb. 6. 7. 9. & 10. & lib. de Concordia pręscientię prędestinationis, & gratię cū lib. arb. cap. 1. docet, dū iudicium rationis non absorbetur, nullam passionem, quantumuis vehementē, nullamque dif- Anselm.

difficultatem auferre posse libertatem voluntatis ad non consentiendum, illiuè necessitatem inferre, eaq; de causa in quocumque temporis momento consentiat, præcepti transgressioni, peccare.

Scotus. Scotus in primo d. 1. q. 4. & in quarto d. 49. q. 9. asseuerat, neque Deum clarè visum necessitatem afferre posse voluntati, quo ad actus exercitium. In eadem sententia est Sotus primo de natura, & gratia cap. 22. conclusione 2. quo loco affirmat, hominem naturæ lapsæ posse implere quodcumque genus præcepti, quo ad substantiam, non tamen posse implere omnia, idest, non posse diu stare, quin decidat, nisi Deus peculiare ferat auxilium. Hæc ille.

Sotus.

Ruardus Taper. Ruardus Taper in articulo de libero arbitrio fol. 316. ait, quædam esse, quæ suapte natura superant liberi arbitrij facultatem, eo quod sint ordinis supernaturalis, &c. Alia vero esse, quæ ex suo genere, & natura non superant vires liberi arbitrij: esse tamen debile, atque infirmum ad ea efficienda, qualia sunt omnia illa, ad quæ iure mere naturali astringitur, atque horum singula posse ex suis viribus præstare, eo quod nulla passio, nulla mortis formido possit voluntati nostræ inducere necessitatem ita, vt in nostra potestate non maneat velle, & nolle, quandiù non absorbetur, sed liberum manet mentis iudicium. Quare necessitas peccandi, quæ ex nostra est infirmitate, est ineuitabilitas, quo ad vniuersa, quæ præcipiuntur collectiuè sumpta, non verò quo ad singula.

I V. Augustin. Pro eadem sententia allegatur Augustinus lib. 1. Retractationum cap. 9. vbi ait: *Malum, quod caueri non potest, peccatum non est: malum vero, quod caueri potest, peccatum est.* Et in lib. de duabus animabus cap. 12. inquit: *Reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis, & insaniæ est.* Et libro de predestinatione, & gratia cap. 9. inquit: *Liberum, quod à Deo habemus arbitrium, prono ad nequitiam lapsu fluit: & cum ad virtutis indolem, Dei auxilio deserente, nihil possit, ad genus omne peccati idoneum, fultum virtute subsistit.* Quibus verbis aperte docet, liberum arbitrium suis viribus relictum incidere posse in in genus omne peccati ita, vt verè peccet consentiendo

do

do: *Quod auctores contraria sententia negant, quando grauis tentatio, aut difficultas occurrit ad praeceptum implendum* Et lib. 12. de Ciuitate Dei: *Si lex* (inquit) *iubens adsit, & spiritus iuuans desit*, per ipsam prohibitionem *desiderio crescente, atque vincente peccati, etiam reatus preuaricationis accedit.* Vbi crescente, & vincente passione affirmat, liberum arbitrium suis solis viribus relictum in culpam veram, & peccatum incidere. *Quod Auctores contrarię sententia negant, quando passio est grauis*, & vel mediocriter difficilis. Et contra duas epistolas Pelag. cap. 5. *Peccato* (inquit) *Ada liberum arbitrium de hominum natura perijsse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieq; viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, & cogitationis adiuta.* Ecce vt actio mala ad culpam, verumque peccatum homini naturæ lapsæ imputetur; nullum profecto auxilium Dei particulare præexigit Augustinus, sed satis arbitratur concursum generalem, quo eandem elicere potest actionem, eò facilius, & promptius, quo maiori passione, ac tentatione ad id incitatur, & sollicitatur: vt verò benè, pièque viuat, atq; adeò ad vitam æternam viuat accommodatè, gratia Dei indigere asseuerat.

Allegatur etiam pro eadem sententia S. Hieronymus sub finem libri tertij dialogorum aduersus Pelagianos, vbi sub persona Attici dicit Critobulo, qui Pelagij personam agit: *Hoc est, quod tibi à principio dixeram, in nostra esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium: sed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humana. Perpetuitatem autem impeccantia soli reseruari Deo, & ei qui Verbum caro factus, carnis detrimenta, & peccata non pertulit. Neque quia ad breue possum, coges me, vt possim iugiter. Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire, nunquid in perpetuum?* Hæc Hieronymus. Quibus verbis apertè docet, libertatem esse in nostro arbitrio in se ipso spectato ad singulos peccati actus vitandos, eaque ratione, dum eos non S. Hieron.

vitat,

vitat, verè peccare, in culpamue propriè sumptam incidere, & supplicio esse dignum: impotentiam verò solum esse ad perseuerandum sine peccato.

RESPONSIO.

V. EX his, quæ dicta sunt Cap. 7. & 9. ad alias consimiles allegationes, quibus probare nitebantur, hominem lapsum absque speciali auxilio gratiæ posse diligere Deum super omnia, & ex eadem dilectione actū contritionis, & attritionis elicere cum proposito absoluto nunquam peccandi mortaliter, facile poterit Theologus colligere, quid circa propositam quæstionē senserint Doctores superius allegati. Ad quorum testimonia solutione generali potest in primis responderi, ex eorum verbis solum colligi, quod homo lapsus destitutus omni auxilio pręuenientis gratię, & pulsatus graui tentatione liberè consentiet in illam, & peccabit, quod nullus ex defensoribus nostræ sententiæ negat. Licet enim asserant, quod homo ille in casu posito necessario peccabit necessitate quadam infallibilitatis, & cōsequentiæ, vel ex suppositione: nullus tamen Doctor Catholicus ait, illum necessario peccare necessitate absoluta. Id enim concedere absque dubio esset incidere in manifestum errorem Lutheri, & Caluini, vt disput. 3. de Auxilijs nu. 8. & sequentibus dictum est. Item etiam nullus ex allegatis Doctoribus dicit, hominem lapsum absque speciali auxilio præuenientis gratiæ posse superare quamcumque magnam difficultatem, & resistere quocumque temporis momento cuicumque graui, vehementiorique tentationi, pro seruanda in eo solo instanti lege naturali; etiam si ea de causa mors sit toleranda, sicut asserit prima sententia. Vnde superfluè coaceruantur in eius defensionem, & absque fundamento asseritur, illam esse complurium Scholasticorum sen tentiam. Sed ad maiorem rei claritatem singula testimonia præallegata Doctorum examinanda sunt, & expendenda, & si quod verbum ambiguum in illis reperitur, iuxta legitimum eiusdem auctoris sensum exponendum.

Solutio generalis ad omnes Doctores præallegatos.

Ac

Ad Sanctum Bonauenturam respondetur, quod si ea, quæ dixit in toto discursu illius secundæ quæstionis, expendantur, luce clarius apparebit, illum pro nostra sententia militare, & aduersam impugnare. Titulus enim illius quæstionis est. *Vtrum liberum arbitrium omni gratia destitutum possit alicui tentationi resistere.* Et in num. 38. §. Respondeo, sic ait: *Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui senserunt, liberum arbitrium secundum statum, in quo nunc est, absque munere gratiæ omni posse tentationi resistere propria virtute, quia si hoc non esset, peccatum ei imputari non deberet. Sed hæc positio plane falsa est, & contra sacram Scripturam, & contra Sanctorum testimonia. Si enim nemo potest resistere tentationi de luxuria, nisi per continentiam; nemo tentationi de infidelitate, nisi per fidem: continentiam autem, & fidem non contingit habere absque dono gratiæ diuinæ, iuxta quod dicitur sap. 9. Non possum esse continens, &c. Et 1. Corint. 12. Alij datur fides in eodem spiritu, planum est, quod ipsa sacra scriptura dicit, quod liberum arbitrium absque munere gratiæ non posset omni tentationi resistere, &c. Et propterea illa propositio* Pelagij *tanquam erronea repudianda est.* Et infra num. 44. subdit: *Et si quæratur vlterius, vtrũ possit resistere, vel nõ, dicendum, quod de aliqua tentatione per se non potest, si tamen consentiat, non est à culpa immunis propter hoc, quod adiutorium gratiæ sibi præsto est, si vellet suscipere.* Propter *hoc etiam, quia ex propria sua culpa deuenit in illã necessitatem. Et hoc est, quod dicit August. quod quia homo noluit vitare peccatũ, dũ potuit, inflictũ est ei, vt nõ possit cũ velit.* Quibus verbis expresse docet nostrã sententiã, & respõdet arg. quo Auctor sententiæ contrariæ innititur, dũ infert, quod non libere cõsentiret peccato, si ex se non haberet sufficiens principium physicum ad actum bonum oppositum, qui cadit sub præcepto naturali. Denique in num. 45. & 46. respondens ad verba orationis Dominicæ, Et ne nos inducas in tentationem, ait, *Quod illud petitur, non quia non possit alicui tentationi resistere, sed quia non potest omni resistere per se. Ad illud, quod obijcitur, quod liberum arbitrium eligit malum gratia desistente, dicendum,*

Ad Testimonia S. Bonauenturæ.

Sapient. 9.
1. Corint. 12.

loquitur, quo Sanctus Thomas, cuius verba expendenda sunt intra num. 12.

Gabriel in illa dist. 28. Conclus. 2. ait: Liberum arbitriũ ex suis naturalibus sine dono gratiæ potest quod libet peccatum mortale nouum cauere: sed intelligendus est, si faciat quod potest, & petat quod non potest: hoc enim modo vitabit nouum peccatum mortale, vt superius dictum est. Quod si noluerit facere quod potest, vel non curat petere quod non potest, sua culpa incidet in nouum peccatum, quando currit præceptum naturale dilectionis Dei super omnia, vel aliud præceptum, ingentem continens difficultatem, quod implere non potest ex solis viribus naturæ. Vel dicendum, ex doctrina Gabrielis solum colligi, quod non necessitetur absoluta necessitate liberum arbitrium ad peccandum; etiam si non detur illi auxilium necessarium ad vitandum peccatum. Denique hic auctor nullibi asserit, posse hominem absque auxilio gratiæ exponere vitam propriam, vt seruet singula præcepta naturalia, & grauioribus tentationibus resistat pro quolibet temporis momento, aut breui tempore, quod tamen probandũ erat, vt primæ sententię fauere videretur. Ad Gabr.

VIII. Ad Testimonia Henrici de Gandau.

Henricus Gandauen. in illo quodlibeto quinto quæst. 20. tractat quæstionem: *Vtrum adultus sine gratia, quæ est, quasi habitus generalis ad infusos omnes, possit cauere peccatum mortale*. Et intelligitur hic titulus de gratia habituali, quæ præsupponitur ad alios habitus infusos, & est quasi radix illorum: & in toto discursu quæstionis docet, quod quicumque tentationi consentit, liberè consentit, alias ille consensus non esset peccatum. Vnde in §. Ideo dicendum, postquam retulit duas extremas sententias oppositas, quarum prima erat, quod existens in mortali absque gratia poterat non peccare mortaliter: altera, quod nullo modo potest illud vitare, quacumque tentatione mortali occurrente: ipse medio modo incedit, & ait, *quod liberum arbitrium hominis, etiam in mortali peccato existentis, potest considerari dupliciter. Vno modo ex parte suæ libertatis secundum se; alio modo, vt exponitur tentationibus sibi occurrentibus. Primo modo dico, quod simpliciter potest cauere, nè incidat in*

peccatum aliud mortale, eo quod nulla necessitate in aliquod incidit, sed si incidat; sic voluntarie incidit, & si voluntarie non incideret, & incideret, incidendo non peccaret. Si secundo modo, dico quod diu sibi cauere non potest, quin necesse sit, quod aut in mortale incidat satis cito, aut quod à Deo gratiam, qua perfecte sibi cauere potest, & qua à mortali liberatur, recipiat. Quodcumque tamen horum ei contingat, non nisi voluntate eius consentiente contingit, sicut necessarium est, quod curram cras, aut non curram, quodcumque tamen eorum mihi contingat, voluntarie mihi continget, vt sub disiunctione alterum sit necessarium: sed vtrumque secundum se, & absolute voluntarium. Sed ex his verbis solum potest colligi, quod possit liberum arbitrium sine gratia, de qua loquitur, resistere alicui tentationi, quando fuerit leuis, non autem, quod possit absque gratia omnibus tentationibus resistere, quod non aliter fit, nisi omnia mandata, quæ ad mortale obligant, obseruando. Ad hanc enim obseruantiam exigit gratiam habitualem, vt ex titulo quæstionis colligi potest. Nec etiam in verbis inductis præsupponit, quod possit existens in mortali resistere etiam pro quolibet instanti, aut breui tempore absque auxilio præuenientis gratiæ cuicumque graui tentationi, quam pro seruanda lege naturali necesse sit vincere, etiam si ea de causa vita propria esset exponenda. Quin potius oppositum colligitur ex commentario illius quæst. Nam probat, quod non posset diu resistere tentationibus auctoritate illa S. Gregorij: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit.* Vnde Henricus loco allegato nullo modo fauet primæ sententiæ.

Gregor.

IX. Ad Mag. Sotum.

Quid sentiat Magister Sotus in libro illo primo de natura, & gratia cap. 21. & 22. & in alijs locis, iam supra expositum est, & ostensum cap. 7. num. 43. & cap. 9. nu. 3. 4. & 5. Vnde non oportet eadem in præsenti repetere. Hoc solum aduerto, quod magister Sotus in illo cap. 21. expressè docet nostram sententiam, & oppositam impugnat. Etenim in §. Secundum testimonium, sic ait: *Quamuis vehementes tentationes superare non possimus sine speciali auxilio Dei, possumus tamen exiguas:*

guas: non quidē, vt Deo sit accepta victoria nostra ad vitā æternam, sed tamen, vt nouum euitemus peccatum. Natura enim nostra mansit post peccatum infirma, nō tamen fuit prorsus extincta, & ideo cum sit rationalis potest quandoque in rationis arce continere se aduersus tentationes. Quo nihil potuit dici clarius pro nostra sentētia.

Andreas de Vega mirum est, quod referatur in fauorem sententiæ, quam impugnamus, cum expressis verbis nostram teneat, vt ipsemet Molina ingenuè fatetur in concordia, quæstione 14. disput. 19. membro 1. §. Majori cum probabilitate. Vbi sic ait: Andreas à Vega affirmat, vires liberi arbitrij in statu naturæ corruptæ cum solo concursu Dei generali, neque ad difficiles tentationes superandas se extendere, neque ad præstandum quodcumque aliud opus moraliter bonum, quod difficultatem contineat. Adhibet exempla, vt si profitenda sit aliqua religio, si magna aliqua à cibo abstinentia perferenda, si copiosa eleemosyna elargienda, aut quid aliud simile, vel difficilius sit faciendum. Vires vero liberi arbitrij cum concursu Dei generali solum sufficientes esse ait, ad superandas eas tentationes, easque actiones studiosas præstandas, quæ nullius aut perexiguæ sūt difficultatis, cuiusmodi, inquit, sunt, comedere, bibere, dormire, orare, facere opera seruilia, reddere vxori debitū, decenter nos induere, & similia. Hactenus Molina; quibus verbis ingenue fatetur, sententiam Andreæ de Vega expressam esse, quod homo lapsus non possit ex solis viribus naturæ superare quamcumque grauem tentationem, aut vehementem: sed solum tentationes leues; sicut nos asserimus. Ad Andr. de Vega.

X. Ad Mag. Medinam

Allegatio etiam Magistri Medinæ 1. 2. q. 10. art. 1. non est absimilis præcedenti; nam in illo articulo nihil dicit ad propositam pertinens quæstionem, forsan errore scriptoris, vel Typographi appositus est articulus primus pro articulo tertio, in quo de ea difficultate agit ex professo. Verū in eodē articulo non ait, necessariū nō esse speciale gratiæ auxiliū ad quamcumque tentationē in particulari vincendam, sed potius dicit oppositū. Etenim in §. Pro cuius declaratione, scribit hæc verba: *Illud etiam dicendū est, quod aliquando potest esse tam*

vbe-

vehemens passio appetitus sensitiui, ut requirat voluntas diuinum auxilium speciale ad vincendam illam. Nam certe Abraham, quando audacter parabat sacrificare filium suum, auxilio speciali indigebat ad vincendas affectiones tenerrimas erga filium suum Isaac, quem suauissime diligebat. Et paulo inferius explicans illud Apostoli: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis,* ait: *Ad resistendum passioni vehementissima requiritur auxilium diuinum, etiam speciale; Apostolus autem non solum vult dicere, quod Deus non permittet supra vires nostras absolute, sed etiam, quod non permittet nos venire ad extremas angustias & necessitates, quæ ex passionibus possent prouenire.* Hãc autẽ fuisse

Refert Medinam 1.2 q.109.ar.3

Bartholomæi Medinæ sententiã expressam fatetur ingenuè pater Molina disp. 19. allegata memb. 1. Vbi sic ait: In eadem sententia videtur esse apertè Bartholomæus Medina, non solum dum loco disput. 14. citato affirmat, peccatorem cum solo concursu Dei generali, etiam si nulla tentatio, nullaque peccandi occasio occurrat, non posse elicere actum absolutum naturalis dilectionis Dei super omnia, propositumuè absolutum non transgrediendi præcepta legis naturalis sub culpa lethali obligantis, tametsi possit velleitatem quandam elicere: sed multo magis 1.2.q.10. art.3. vbi à doctrina, qua D.

S. Thom.

Thomas eo loco asserit, passionem, quamtumcumque accrescat, interim dum iudicium rationis non absorbeat, necessitare non posse voluntatem ad consensum, excipit ipse: *nisi tentatio sit vehemens, liberumque arbitrium cum solo generali Dei concursu relinquatur: tunc enim necessitare illam arbitratur, & consequenter dicere tenetur, non peccare, esto illi consentiat.* Hæc Molina. Vbi est obiter aduertendum, illationem, qua ex dictis Bartholomęi Medinæ infert, *quod consequenter dicere tenetur non peccare, esto illi consentiat,* esse nullam, & procedere ex mala intelligentia eorum quæ in verbis inductis, ait Medina. Non enim arbitratur, quod si tentatio sit vehemens, & liberum arbitrium cum solo concursu Dei generali relinquatur, passio necessitet voluntatem ad consensum necessitate absoluta, quæ repugnat libertati: sed intelligi debebat de sola necessitate infallibili-

libilitatis,& consequentiæ, vel ex suppositione, quæ est necessitas secundum quid libertati non obstans; nam vt libere consentiat vrgente graui tẽtatione,sufficit, quod vel ex viribus naturæ,vel ex auxilio speciali præuenientis gratiæ possit illi resistere,& non consentire, & nihilominus ex sua innata libertate consentiat, vt superioribus ostensum est.

Vnde non est admittendum id, quod in disput. 19. memb. 6. ad 9. §. Ad rationem postremam, ait, quod scilicet, *Si impotentia naturalis comparetur ad euentus, in quibus occurrunt graues tentationes, & difficiles, tunc nec in puncto temporis impleri possunt præcepta sine auxilio Dei particulari,ac proinde,eo deficiente,transgressio non esset peccatum, eo quod non esset libera*. Et idem repetit paulo inferius. Hoc enim est manifeste falsum. Primo, nam (vt 1. p. q. 106. art. 2. & q. 111. art. 2. docet S. Thomas) solus Deus clare visus potest ex parte obiecti necessitare voluntatem quo ad exercitium, passio autem quamtumuis vehemens solum mouet voluntatem ex parte obiecti,vt 1. 2. q. 10. artic. 3. probat ex professo S. Doctor. Secundo,nam iuxta istam Doctrinam diabolus cogeret multoties, & necessitaret voluntatem ad consentiendum tentationi,quod tamen est contra sententiam communiter receptam Sanctorum Patrum,& Scholasticorum. Tertio,nam sequeretur, quod nullus peccaret mortaliter, dum consentit vehementissimis tentationibus,aut etiam grauibus;etenim qui consentit,nõ habet auxilium speciale necessarium, vt de facto vitet peccatum, easdem tentationes superando; quia, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1. in corp. *Deus aliquibus non præbet auxilium ad vitanda peccata,quod si præberet non peccarent*. Ergo,si deficiente huiusmodi auxilio cogitur humana voluntas ad consentiendum illis tentationibus, vt dicit Auctor, sequitur, quod nunquam peccet homo, dum eisdem tentationibus consentit. XL.

Ad alia testimonia, quæ afferuntur ex S. Thoma, & alijs Doctoribus,facilis est responsio ex dictis. Ad locũ inductum ex 1. 2. quæst. 10. artic. 2. & 3. respondetur, in articulo secundo solum docere, quod voluntas non moue- XLI. Ad S.Th.

mouetur ex necessitate ab aliquo bono particluari: sed semper potest illud repudiare, vel approbare, secundum diuersas rationes, de quo tamen non est controuersia. Neque enim dicit S. Thomas, quod possit semper illud approbare, vel reprobare ex solis viribus naturæ, quia solum agebat ibi de motiuo voluntatis in genere. Postmodum verò in tractatu de gratia præsertim quæst. 109. explicat in particulari, ad quos actus sit necessarium speciale auxiliũ præuenientis gratiæ, iuxta ea, quæ cap. 6. & 8. dicta sunt. In articulo vero tertio solum determinat, quod voluntas non mouetur ex necessitate à passione, quotiescumque ratio non ligatur totaliter per vehementiam passionis, neque absorbetur ab illa, sed remanet, quantum ad aliquid iudicium rationis liberum; tunc enim non operatur voluntas ex necessitatè, sed liberè. Nomine autem necessitatis intelligit Sanctus Doctor necessitatem absolutam, non autem necessitatem infallibilitatis, & consequentiæ, & ex suppositione, quæ est necessitas secundum quid; nam pluribus alijs in locis disputat. 25. de Auxilijs allegatis expressè docet, hanc necessitatem non tollere arbitrij creati libertatem, quantum ad vsum. Hoc ipsum est, quod docet Caietanus, & nihil aliud. Ad ea vero, quæ afferuntur ex S. Thoma 1.2.q.109. art.8. & 9. iam supra sufficienter responsum est. Et nunc dicimus, quod cum in illo art. 8. determinat, quod homo sine gratia potest singula peccata mortalia vitare, loquitur expressè de gratia iustificante, quæ necessaria non est ad vitanda singula peccata. Sic enim ait in corpore illius articuli octaui, *Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia vitare, & secundum aliquod tempus; quia non est necesse, quod continuo peccet in actu; sed quod diù maneat absque peccato mortali, esse non potest. Vnde & Gregor. dicit super Ezech. quod peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Non tamen inquit, quod possit singula vitare ex solis viribus naturæ lapsæ absque speciali auxilio præuenientis gratiæ. Nam (iuxta sententiam eiusdem S. Doctoris) peccatum, quod committitur contra præceptum,

[Margin: S. Thom. — beside "cessitatè, sed liberè"; Caietan. — beside "quod docet Caietanus"; Ad S. Th. — beside "afferuntur ex S. Thoma"]

ceptum, etiam naturale, diligendi Deum super omnia simpliciter, vitare non potest absq; auxilio gratiæ, vt c. 6. num. 15. & cap. 8. n. 16. ostensum est, & hoc sufficit, vt possit peccatum illud vitare, & vt imputetur ad culpam, si præceptum dilectionis Dei, & alia huiusmodi transgrediatur: & idem sentiendum de resistentia tentationis vehementis.

Ad ea, quæ afferuntur ex Anselmo, respondetur, solum concludere, quod per nullam passionem, aut tentationem, quantumuis vehementem, necessitatur voluntas ad consentiendum eidem tentationi, & peccandū, quamdiù iudicium rationis non absorbetur, sed id intelligit manifestè de necessitate absoluta, sicut dictum est ad testimonia Sancti Thomæ: quæ explicatio est conformis doctrinæ eiusdem Anselmi. Nam (vt disputat. 22. de Auxilijs num. 10. & 40. ostensum est) admittit in actibus humanis necessitatem ex suppositione cum eorum libertate: sed præsertim libro de concordia præscientiæ & prædestinationis cap. 1. post principium, cum ait: *Quoniam enim, quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectū sequi voluntatem, tūc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* XIII. Ad S. Anselm.

Quid sentiat Scotus iam dictum est supra cap. 7. nu. 46. & 47. & cap. 9. nu. 3. Et nunc dicimus, quod in verbis inductis solum docet id, quod Anselmus, videlicet nullum obiectum necessitatem afferre posse voluntati, quantum ad actualem vsum illius: sed liberè consentire cuicumque tentationi, & consentiendo peccare, quamdiù non ligatur vsus rationis: sed de hoc nulla est controuersia inter Catholicos. Quid autem intelligatur per actum virtutis, quantum ad substantiam cap. 7. nu. 5. expositum est. Ad Scotū.

Ruardus Taper solum intendit docere in verbis inductis, nullam passionem quantumuis vehementem necessitare voluntatem ad consensum necessitate absoluta, sicut dictum est ad S. Anselmum; nam semper potest illi consentire, & dissentire, vel ex viribus naturæ, vel ex auxilio gratiæ. Et hanc esse mentem Ruardi, patet ex XIV. Ad Ruardum.

summę iniquitatis, & insaniæ est reum teneri quemcũque, quia non fecit, quod facere non potuit ex Propriis viribus, vel ex auxilio gratiæ. Sic explicat idemmet S. Augustinus hæc, & alia consimilia eius testimonia male ab eius aduersarijs intellecta, vt videre poterit Theologus in lib. primo Retractationum c. Cum adhuc Romę, vbi sic ait: *In his, atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant: volũtas quippe est, qua & peccatur, & recte viuitur, quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur, recte, pie que viui à mortalibus non potest. Et hoc diuinum beneficium, quo liberatur, nisi eam praeuenisset, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, qua vtiq; gratis datur.*

Ad alia testimonia Sancti Augustini ex libro de prædestinatione, & gratia, & lib. 12. de Ciuitate Dei respondetur, verissimum esse, & ab omnibus Catholicis receptum, qnod eisdem in locis ait, videlicet, quod liberum arbitrium suis viribus relictum incidere possit in omne genus peccati; ita vt vere peccet consentiendo: sed id nullus ex defensoribus nostræ sententiæ vnquam negauit, etiam vrgente passione, quantumuis vehementi, dũmodo vsus rationis nõ absorbeatur: sed Auctor per consequentiam inualidam hoc deducit ex eorum verbis, quia non distinguit necessitatem infallibilitatis, de qua loquuntur præallegati Doctores, quæ est necessitas consequentię, vel ex suppositione, quod peccator deseratur à Deo, & permittatur labi in peccatum, à necessitate absoluta, & simpliciter, quæ cum libertate cohærere nonpotest, vt supra dictum est. XVI. S. August.

Ad aliud testimonium ex libro contra duas Epistolas Pelag. respondetur, quod licet ibi nomen auxilij gratię non commemorauerit, sine quo præceptum dilectionis Dei super omnia simpliciter, etiam vt est auctor naturæ, & alia quæ grauem, aut vehementem habent difficultatem, in natura lapsa impleri non possunt; alijs tamen in locis necessitatem eiusdem auxilij expressit, vt

ipsemet testatur libro primo Retractationum superius allegato, de quo videnda sunt quæ notaui disput. 22. de Auxilijs num. 27. & disput. 117. n. 9. vbi alia plura testimonia S. Augustini, ex quibus colligitur eius mens, poterunt videri.

XVII. S.Hieron. Quid sentiat S. Hieronymus in libro allegato contra Pelagianos, patet ex alijs locis eiusdem Hieronymi, quæ adduxi, & expendi disp. 22. de Auxilijs nu. 24. & ex his, quæ dicta sunt ad testimonia S. Augustini. Fuerunt enim in hac materia de gratia, & libero arbitrio valde concordes, & hæresim Pelagianam pariter impugnarunt, & expugnarunt. Cum ergo ait: *Neque quia ad breue possum, cogis me vt possim iugiter*, solum intendit docere, hominem in natura lapsa non posse in perpetuum absque speciali auxilio gratiæ omnia seruare diuina mandata, & perseuerare vsque in finem, cuius oppositum dicebant Pelagiani, quos illis verbis impugnare intendit. Ex hoc tamen non licet inferre, quod possit absque auxilio gratiæ implere præceptum, etiam naturale diligendi Deum super omnia simpliciter, & alia præcepta, quæ ingentem continent difficultatem, vel superare quamcumque graué tentationem, præsertim quando pro seruanda lege naturali esset vita propria exponenda, neque id S.Hieronymo potest tribui, vt ex alijs locis adductis disput. 22. de Auxilijs num. 24. allegata perspicuè constat.

Obiectio. XVIII. Stapleton. Sed adhuc obijciunt alij Stapletonium lib. 2. de Iustificat. cap. 13. vbi loquens de Scipione Africano, & Alexandro Magno, ait, *Non dubiè tentationes non paucas vterque superauit absque gratia Christi, aut speciali auxilio*. Et Viguerius in suo libro de Institutionibus Theologicis cap. 10. §. 3. vers. 16. asserit, hæreticos pro veritatibus, quas viribus naturę credunt, posse vitam exponere: Hoc autem est, maximam tentationem viribus naturæ superare: Ergo.

Sed facile ad hoc respondetur, Scipionem illum, & Alexandrum non superasse illas tentationes pro seruanda lege naturali, vel ad implendum aliquod eius præceptum, neque ex amore alicuius actus veræ virtutis, etiam moralis, sed ex tyrannide, ac nimia cupiditate regnandi,

gnandi, vel propter vanam gloriam, vt de eodem Scipione, & alijs infidelibus dicit Augustinus. Vnde absque speciali auxilio preuenientis gratiæ solis viribus naturæ potuerunt tentationes illas, & labores graues superare, peccando saltem venialiter. Nam ad peccatum nullum requiritur speciale auxilium Dei, sed id prouenit à sola creata voluntate deficiente. Ex hoc autem non sequitur, quod possit quis consimiles tentationes, & difficultates ex solis viribus naturæ superare pro seruando quocumque precepto naturali, præsertim præcepto illo Decalogi, quo tenet̃ Deũ diligere super omnia simpliciter. — Aug. lib. 4. contra Iulianum cap. 3.

XIX. Ad testimonia Viguerij.

Idem dicendum ad testimonia Viguerij. Etenim non ait, quod illi hæretici se exponerent periculo mortis pro veritate defendenda, quam solis viribus naturæ cognoscunt. Nam illi sicut pertinaciter discedunt à multis articulis fidei: ita ex proprio iudicio, non autem per actũ veræ fidei, quæ virtus est, adhęrent alijs veritatibus reuelatis à Deo, à quibus non discedunt. Non enim assentiuntur illis propter diuinam reuelationem, tanquam propter rationem formalem credendi. Verba quippè Viguerij hæc sunt: *Hæretici non habent de alijs, quibus credunt, fidem habitualem theologicam acquisitam ex actibus fidei infusę, nec actum fidei theologicę sed possunt habere fidem humanam imperatam, vel acquisitam ex reuolutione librorum, aut disputatione theologica, cui per voluntatem, & proprium iudicium adeo firmiter adhærent quod se exponerent periculo mortis, sicut faciunt pro dogmatibus hæreticis. Et quamuis dicant se illis credere, quia reuelata sunt à Deo: non tam̃ faciũt, prout hæc coniunctio (quia) dicit causalitatem, quia tunc crederẽt omnibus reuelatis: vt patet per exponentes.* Vnde quẽadmodum Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. docet, virtutes, quæ in infidelibus videntur esse, non esse veras virtutes, sed apparentes, eo quod *veræ virtutes Deo seruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Deo seruiunt in Angelis, à quo donantur & Angelis*: ita in hæreticis eadem ratione nulla est vera virtus, neque pro actu veræ virtutis vitã exponũt, nec possunt exponere ex solis viribus naturæ. Quapropter, sicut dũ exponũt vitã pro suis hæresibus, ex pertinacia id faciũt, & ex super — S. August.


bia

bia, & vana ostentatione, atque appetitu vanæ gloriæ; ita si exponerent vitam pro alijs veritatibus diuinitus reuelatis, non eam exponerent pro actu veræ virtutis, sed ex vana præsumptione; nam credere quibusdam reuelatis à Deo, & non alijs, actus virtutis non est. Vnde Viguerius non ait absolute, hæreticum pro veritatibus, quas viribus naturæ credit, posse vitam exponere, sed addit, sicut est paratus mori *pro dogmatibus hæreticis*.

XX. Nota. Hoc vnũ in calce huius capitis obseruare debet pius lector circa omnes allegationes adductas, tam in hoc capite; quam etiam in cap. 7. & 9. huius libri, atque lib. 1. Responsionum cap. 1. num. 24. & sequentibus, & lib. 2. cap. 1. num 40. & sequent. quod vbicumque apud Doctores Catholicos reperiuntur aliquæ propositiones, quæ bonum, & malum sensum habere possunt, & illum in animis lectorum ingenerare: semper sunt accipiendæ, & explicandæ in sensu vero, & catholico nisi oppositum constet ex ipso contextu, vel ex alijs locis eiusdem Auctoris: id enim exigit Christiana charitas. Nam, (vt habet communis regula Theologorum) dubia semper sunt in meliorem partem interpretanda. Quare si vnus, aut alter minus cautè in hac materia loquutus est, satius fuisset illos pie interpraetari, & ad verum sensum reducere, quam eorum auctoritate sententias, quæ viris doctissimis non probantur, ac si essent probabiles, defendere.

His suppositis explicandum restat an: dilectio Dei super omnia simpliciter, in quantum est Auctor naturæ, & originale peccatum, vel mortale compatiantur simul, quod capite sequenti discutiendum est.

* * *



C A-

CAPVT XII.

Vtrum naturalis dilectio Dei super omnia simpliciter, & Originale peccatum esse simul possint in eodem subiecto.

I. Suarez.



ARTEM affirmatiuam defendit P. Suarez libro primo de gratia cap. 35. num. 5. & sequentibus, vbi nostram sententiã quam disp. 51. de Auxilijs num. 8. circa præsentem difficultatem statuimus, sequentibus argumentis impugnat.

Primo. Anima separata pueri decedentis sine remedio peccati originalis, potest diligere Deum, vt Auctorem naturæ super omnia; & tamen est in peccato originali, quod post hanc vitam non tollitur, maximè per actum merè naturalem: Ergo ibi manent simul peccatum originale, & dilectio Dei naturalis: non ergo sunt incompossibilia in eodem subiecto. Probat Antecedens ex D. Thoma in 2. d. 33. q. 2. art. 2. ad 5. vbi ait, pueros decedentes sine Baptismo, quamuis sint separati à Deo, quantum ad coniunctionem gloriæ (adde etiam gratiæ) non tamen esse penitus separatos; quia sunt coniuncti per participationem naturalium bonorum. Et ita (inquit) de illo gaudere poterunt naturali dilectione. Vnde plane concedit, quod in argumento sumpserat, illos pueros sicut naturalem cognitionem habebunt, ita posse Deum naturaliter diligere: vbi licet non addat particulam, super omnia; tamen loquitur de tota dilectione Dei per se possibili per vires naturæ. Et ita intellexit, & sequutus est Diuum Thomam Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 14. & Magister Medina 1. 2. quest. 109. articulo tertio in quarta conclusione de dilectione naturali. S. Thom.

II. Secundo. Naturalis ratio inclinat ad diligendum Deũ super omnia dilectione naturali, & in illis pueris cessat pondus carnis, & rebellio appetitus sensitiui contra rationem:

tionem : Ergo non debet denegari pueris illis dilectio Dei naturalis super omnia.

Confirmatur, & augetur vis huius argumenti. Hic actus dilectionis est possibilis per vires intrinsecas voluntatis, quæ in pueris illis integræ manent, & in eis nō est inordinata concupiscentia, nec futura est aliqua grauis tentatio, vt supponitur : Ergo possunt illi pueri integrè, & adæquatè exercere vires sui arbitrij diligendo Deum; nam sola culpa, seu priuatio gratiæ non potest impedire vsum facultatis naturalis.

Confirmatur secundo. Puer existens in solo originali post hanc vitam, vel anima eius, potest implere omnia alia præcepta naturalia viribus naturæ, propter rationem factam, quod ibi cessant impedimenta concupiscentiæ, & similia huius vitæ: Ergo, quo ad hoc, assimilatur ille status statui naturæ integræ gratia carentis: Ergo potest etiam diligere Deum super omnia; quia qui potest exequi suis viribus obseruantiam totius legis naturalis, potest etiam illam absolutè, & efficaciter proponere, quod solum desideratur in homine lapso, vt possit hunc actum dilectionis super omnia elicere.

Tertio. Actus, & habitus non opponuntur formaliter: Ergo simul esse possunt circa obiecta contraria. Sed peccatum originale est quasi habituale, sicut & persona le peccatū: quatenus reatus manet actu transacto: Ergo actus dilectionis naturalis non opponitur formaliter habituali peccato: Ergo ex hac parte non repugnat actū naturalis dilectionis Dei simul esse cum originali peccato, vel alio habituali.

Confirmatur. Nam etiam dilectio supernaturalis charitatis non excludit formaliter culpam habitualem, licet per illam expellatur talis culpa, quatenus disponendo proximè ad gratiam efficaciter impetrat remissionē culpæ : sed dilectio naturalis non disponit sufficienter ad gratiam, & remissionem peccati: Ergo nec isto modo repugnat cum habituali peccato.

III. Quarto. Conuersio illa, vel auersio originalis, vel habitualis peccati præter priuationem gratiæ habitualis non est aliquid physicum, sed morale : Ergo minorem habet repugnantiam cum actuali conuersione contra-

ria,& physica:ergo de potentia absoluta non repugnat, habitualem culpam simul esse cum actu charitatis.

Quinto. Auxilium præcisè necessarium ad habendũ hunc actum in natura lapsa est ordinis naturalis: Ergo non requiritur aliud auxilium supernaturalis ordinis ad eundem actum producendum. Antecedens probatur; nam auxilia suapte natura ordinis supernaturalis solũ sunt per se necessaria ad actus eiusdem ordinis, vt sunt actus virtutum infusarum,& donorum: at vero hic actus dilectionis non est ordinis supernaturalis, neque elicitur à virtute infusa charitatis: Ergo de se non requirit auxilium ordinis supernaturalis. Aliunde vero ad supplendum defectum ex naturæ corruptione contractum sufficiunt auxilia ordinis naturalis, quibus vel magis illustretur intellectus in naturalibus; vel voluntas in eodẽ ordine confortetur: Ergo. *Eod. cap. num. 21.*

Confirmatur, & declaratur amplius vis huius argumenti. Hoc auxilium non postulatur, tanquam principium per se necessarium talis actus; quia iam ostentum est, voluntatem habere sufficientes vires naturales, quibus sit principium proximum,& per se huiusmodi actus; nisi ex corruptione naturæ esset impedita. Postulatur ergo hoc auxilium solum ad tollenda impedimenta, vel ad augendam cognitionem naturalem, quatenus practicè potest excitare voluntatem, aut augendam ipsam inclinationem voluntatis per habitum aliquem per accidens inditum, vel per motionem proportionatam: hæc autem omnia pertinent ad ordinem naturalem & procurari possunt per prouidentiam gratuitam eiusdem ordinis: Ergo ad hunc effectum auxilium ordinis naturalis est sufficiens.

I V. Dilectio Dei super omnia, & originale peccatum, vel mortale esse non possunt simul.

NOS tamen impossibile reputamus, quod in homine ordinato ad finem supernaturalem detur simul cum originali peccato, vel actuali mortali, dilectio Dei super omnia simpliciter, etiam vt est finis naturalis; cum proposito absoluto nunquam peccandi. Hanc sententiam defendit Pater Vasquez 1. 2. q. 109. art. 3. cap. 3. vbi reputat, secundum potentiam Dei ordinatam esse impossibile per actum charitatis restitui alicui rectitudinem naturalem, permanente adhuc auersione à Deo

 fine

fine supernaturali,& statu peccati,& damnationis. Vnde eo ipso,quod peccator hoc modo diligit Deum,consequitur gratiam iustificantem: imò talis dilectio procedit effectiuè ab ipsa gratia sanante naturam,& ab habitu charitatis,quæ ad eamdem gratiam necessariò cōsequitur. Ita docet expresse Conradus artic. 3. huius quæstionis in fine corporis, vbi constituit differentiam inter hominem in statu naturæ lapsæ,& naturæ integræ, quantum ad hoc,quod in natura lapsa *homo sanatus per gratiam non diligit Deum naturaliter,sed gratuito amore: homo autem in natura integra diligit naturaliter, id est, ex natura tantum, exclusa gratia gratum faciente, Deum super omnia.*

V. Not. *Dilectio naturalis Dei super omnia in homine lapso qualiter dari non possit, absque dilectione supernaturali.*

Ad cuius euidentiam aduertere oportet, quod licet absolute loquendo, & ex natura rei dari possit dilectio Dei naturalis super omnia simpliciter cum proposito illi placendi in omnibus absque eo,quod diligatur Deus, in quantum est finis supernaturalis,vt patet in homine si esset conditus in puris naturalibus, iuxta ea,quæ cap. 5. dicta sunt: nihilominus ex suppositione quod per diuinam prouidentiam, vel prædestinationem est ordinatus ad beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, & ad illam tendit, vel tendere potest per fidem,& spem, est impossibile, quod detur vna dilectio sine altera; quin potius eo ipso,quod quis diligit super omnia simpliciter Deum, in quantum est finis supernaturalis, virtualiter etiam,ac consequenter diligit Deum, auctorem naturæ;eo quod idem prorsus Deus est auctor gratiæ,& naturæ, quāuis ratione ratiocinata distinguatur. Vnde qui offendit Deum, vt est auctor gratiæ, consequenter etiam offendit Deum, vt est auctor naturæ; quia natura supponitur ad gratiam,& illi subordinatur. Quod etiam confirmari potest; nam dilectio Dei supernaturalis includit in virtute obseruantiam omniū mandatorum, non solum supernaturalium, sed etiam naturalium, quæ in dilectione Dei, & proximi includuntur. Vt dicitur Rom. 13. Et ratio à posteriori id suadet;nam cum actu huius dilectionis non compatitur simul aliquod peccatum mortale contra legem naturæ, vel eius reatus, seù macula manens post actum peccati transacto actu.

Simi-

Similiter etiam ex eadem suppositione impossibile est, quod in natura lapsa diligat quis Deum super omnia simpliciter, in quantum est auctor naturæ, cum proposito absoluto illi placendi in omnibus, quin etiam in eadem dilectione virtualiter includatur propositum absolutum placendi Deo, & seruandi omnia eius mandata, quę pertinent ad ordinem gratiæ, qualia sunt præceptum fidei, & spei, & alia huiusmodi; nam in omnibus mandatis includuntur, tam naturalia, quam supernaturalia præcepta. Vnde qui peccaret mortaliter contra præceptum aliquod naturale, non solum maneret auersus à Deo, vt est finis naturalis, sed etiam vt est finis supernaturalis; alias cum aliquo peccato mortali simul esset compossibilis gratia iustificans, & charitas supernaturalis, quæ cum eadem gratia est intrinsecè concessa. Quæ omnia confirmari possunt ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. superius allegata, vbi inter propositiones Michaelis Baij damnatur 32. Videlicet, *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum*. Cum ergo quælibet dilectio Dei super omnia simpliciter cum proposito absoluto nunquam peccandi, qualis cap. 6. delineata est, sit plenitudo legis, relinquitur, quod iuxta determinationem illius Bullæ coniunctam habeat remissionem peccatorum, ac per consequens non possit simul esse cum originali peccato, vel mortali.

Dilectio Dei super omnia simpliciter includit propositũ seruandi omnia mãdata etiam supernaturalia.

VII. Not. 2. *Dilectio Dei super omnia qualis esse debeat.*

Secundo notandum de intrinseca ratione actus dilectionis esse, vt toto tempore, quo durat talis actus, aut virtus illius, includat virtualiter efficax propositum seruandi alia omnia mandata, non solum, quæ tunc occurrunt, sed etiam quæ occurrere possent pro eo tempore, quo durat talis dilectio absoluta, vel eius virtus. Ita enim debet hominem disponere, vt si vnum è duobus eligendum esset, videlicet facere aliquid contra præceptum obligans ad mortale, vel mortem pati; potius eligeret mori, quàm præceptum illud transgredi. Et ratio euidens est, nam alias dilectio illa non esset super omnia simpliciter, quia non esset supra dilectionem propriæ vitæ, quam præferret dilectioni Dei, & obseruantię

illius mandati, quod transgreditur, vel transgrederetur pro conseruatione vitæ, si in discrimine mortis esset constitutus.

Et si quis inquirat, quanto tempore duret virtus, & efficacia dilectionis Dei super omnia simpliciter Respondetur, non posse de hoc statui certam regulam: sed coniectari hoc potest ex intensione, & feruore actus dilectionis. In aliquibus enim diuturniori, in aliquibus autem breuiori durat tempore. Hoc tamen est certum, virtutem, & efficaciam illius dilectionis durare quo ad vsque per sequens peccatum mortale interrumpatur.

Dilectio absoluta Dei super omnia simpliciter semper est efficax.

Ex quo sequitur, quod talis dilectio semper est efficax pro aliquo tempore, etiamsi postmodum per subsequens peccatum mortale interrumpatur: alias dilectio Dei, etiam supernaturalis solum esset efficax in his, qui perseuerant in gratia vsque in finem; quod tamen admitti non potest.

VIII. S. Thom. His suppositis probatur nostra sententia auctoritate Sancti Thomæ, qui pluribus in locis eam expressè docet, sed præsertim prima 2. q. 100. art. 10. in corpore, vbi postquam retulit duplicem sententiam, quarum prima est eorum, qui dixerunt absolute, modum charitatis esse sub præcepto: secunda aliorum, qui dixerunt, modum charitatis non cadere sub præcepto, ait, quod si consideretur actus charitatis *secundum quod est quidam actus per se, hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet, Diliges dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum: Et quantum ad hoc primi verum dixerunt; non enim est impossibile hoc præceptum obseruare, quod est de actu charitatis, quia homo potest se disponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eã, potest ea vti.* Quibus verbis expressè docet, ad actum charitatis, quo diligitur Deus, & proximus, esse necessarium habitum charitatis, qui tamen sine gratia iustificante infundi non potest. Et in solutione ad tertium eiusdem articuli idem expressius docet. Argumentum autem erat huiusmodi: *Si modus charitatis non cadit sub præcepto: ergo aliquis potest implere*

præ-

præcepta legis, non habens charitatem: sed quod potest fieri sine charitate, potest fieri sine gratia, quæ semper adiuncta est charitati: ergo aliquis potest adimplere præcepta legis, sine gratia. Hoc est autem Pelagiani erroris, vt patet per Augustinum in libro de hæresibus: Ergo modus charitatis est in præcepto. Ad quod tamen argumentum sic respondit. *Ad tertium dicendum, quod obseruare omnia præcepta legis homo non potest, nisi impleat præceptum charitatis, quod non fit sine gratia. Et ideo impossibile est, quod Pelagius dixit, hominem implere legem sine gratia.* Ex quibus verbis desumitur argumentum. Actus charitatis includit intrinsecè obseruantiam omnium mandatorum toto tempore, quo talis actus, aut virtus illius durat; ita nimirum, vt si tempore, quo talis actus est in præcepto, occurreret tentatio vehementissima, qualis est comminatio mortis facta à Tyranno, si præceptum illud charitatis impleret, aut nisi committeret adulterium, tunc & eo casu virtute eiusdem charitatis paratus esset potius vitam amittere, quam Deum offendere, aut præceptum charitatis pro tunc obligans transgredi, & de facto pateretur mortem pro virtute conseruanda, sicut eam passi sunt Martyres. Hæc autem præparatio animi haberi non potest in natura lapsa absque gratia iustificante; alias posset quis ex solis viribus naturę pati martyrium, & vitam æternam consequi absque gratia Dei, quod est hæresis Pelagij, vt in verbis inductis docet S. Thomas: Ergo.

De hæresib. ad Quod vult Deum hæres. 83. Thom. 6.

IX. Secundus locus habetur 1. 2. q. 109. art. 3. in fine corporis, vbi constituit differentiam inter statum naturæ integræ, & corruptæ in hoc, quod *homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum mouentis: sed in statu naturę corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.* Et nomine auxilij gratiæ naturam sanantis intelligit etiam gratiam habitualem. Etenim solum auxilium præuenientis gratiæ non sanat naturam formaliter, sed solum initiatiuè: gratia vero habitualis est, quæ sanat formaliter. Vnde idem Sanctus Doctor articulo octauo eiusdẽ quæ-

Gratiæ sanantis nomine quid intelligat S. Thomas.

stionis

stionis in corpore explicat, quid intelligit per gratiam sanantem, dum ait: *In statu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino à peccato abstineat.* Vbi manifeste loquitur de gratia habituali, quam superius significauerat nomine auxilij gratiæ naturam sanantis.

X. *Suarez c. 35 allegato num 19.* Prima solutio. Respondet Auctor, verba Diui Thomæ art. 3. prælegato, si intelligantur de gratia habituali, & de sanitate à culpa, referenda esse non solum ad actum dilectionis: sed etiam ad executionem eius per obseruantiam diuturnam omnium præceptorum naturalium. Secundo respondet, Sanctum Thomam esse intelligendum in illo articulo tertio solum de Auxilio actuali præuenientis gratiæ, per quod initiatiuè sanatur anima. Et multoties datur peccatori absque gratia habituali, vt per illam se præparet remotè, vel proxime ad iustificationis gratiam consequendam.

Ad alium locum ex prima secundæ q. 100. art. 10. ad 3. fatetur quidem, S. Thomam in illa solutione ad 3. dixisse præceptum charitatis non impleri sine gratia, quod etiam de habituali verum est, nunquam tamen dixisse S. Thomam, præceptum illud, pro vt nascitur ex pura natura, non posse fieri in natura lapsa per actum naturalem, aut non posse obseruari sine modo charitatis infusæ.

Impugn. Sed contra hoc est efficax argumentum. Nam in dicta solutione ad 3. artic. 4. cum dixisset, præceptũ illud, secundum quod ex charitate impletur, non fieri ex solis viribus naturalibus, adiungit, vt ex supra dictis patet, idest, ex dictis in art. 3. et notatur in margine, vbi de puro actu dilectionis naturalis aperte loquitur. Respondet, hoc non obstare; quia fortasse non se refert ad articulum tertium, sed ad ea, quæ proximè dixit in corpore articuli, vbi docuerat, nullum præceptum impleri, quo ad modum charitatis, sine gratia. Vel si referatur articulus tertius, addẽdum est in solutione ad primum, vbi dixerat, charitatem eminentius diligere Deũ, quam natura diligat. Nam in corpore articuli nihil dixerat de modo charitatis: sed de solo actu dilectionis naturalis, & ad illum requirit auxilium gratiæ non propter modum charitatis: sic enim eadem esset ratio in

An-

Angelo, & in homine integro: sed propter naturæ lapsæ corruptionem.

Respondet secundo, quod si verba Sancti Thomæ intelligantur de modo charitatis, accipienda sunt, non quidem secundum adæquationem; sed secundum proportionem; quia sicut dilectio charitatis Dei est super omnia simpliciter: ita dilectio naturalis est super omnia in suo ordine. Sic autem ille modus non requirit gratiam ex se, & ex obiecto suo: sed tantum per accidens in lapsa natura propter debilitatem eius, quæ per auxilium sine habitu adiuuari potest. 2. Solutio.

Neutra tamen explicatio videtur congruere verbis S. Thomæ. Et contra primam, quæ adhibetur verbis inductis ex art. 3. est argumentum. Nam omnis dilectio absoluta, qua diligitur Deus super omnia simpliciter cũ proposito absoluto placendi eidem in omnibus, necessario fert secum pro eo instanti, vel tempore, quo durat virtus illius, exequutionem per obseruantiam omnium mandatorum, vt in 2. notabili ostensum est. Cum ergo solis viribus naturæ non possit homo in natura lapsa seruare omnia mandata, relinquitur, quod non possit solis viribus naturæ prædicto modo diligere Deũ. Solutio 1. Impugnatur.

Contra secundam explicationem est etiam argumentum. Dilectio Dei absoluta super omnia simpliciter procedens ex actuali auxilio præuenientis gratiæ est vltima dispositio ad iustificationis gratiam consequendam, vt ex Tridentino constat: Ergo cum tali dilectione compati non potest peccatum originale, nec reatus actualis peccati mortalis; alias compaterentur simul cum gratia iustificante. Etenim dispositio vltima ad gratiam iustificantem est simul tempore cum ipsa gratia iustificante. Imò vt dispu. 66. de Auxilijs ostensum est, & patebit amplius infra cap. 14. ipsa vltima dispositio ad habitum gratiæ, & charitatis procedit effectiuè ab habitu gratiæ, & charitatis, vel pœnitentiæ. 2. Solutio Impugnatur. Côc. Trid. XII.

Et licet auxilium actuale præuenientis gratiæ detur multoties ad alios actus singularium virtutum, vt ad aliquem actum spei, vel timoris Inferni, absq; eo, quod infundatur simul habitualis gratia, vt constat ex Concilio Tridentino Sessione 14. de pœnitent. cap. 4. nunquam

quam tamen datur huiusmodi auxilium actuale ad diligendum Deum super omnia simpliciter cum proposito absoluto in omnibus placendi ei, quin simul infundatur habitualis gratia. Et ratio discriminis est. Nam actus aliarum virtutum, etiam si procedant ex auxilio gratiæ, non sunt vltimæ dispositiones ad iustificationem; sed solum remotæ, quæ subinde compati possunt cum originali peccato, vel mortali, secundum reatum. Cæterum prædictus charitatis actus sicut, & contritio, sunt vltima dispositio ad gratiam habitualem, & propterea non possunt dari sine illa. Est & alia differentia; nam actus aliarum virtutum singularium non includunt etiam in virtute obseruantiam omnium mandatorum, nec per illos conuertitur peccator ad Deum, tanquam ad finem vltimum. Vnde esse possunt cum originali peccato, vel mortali. Actus autem charitatis includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum, vt dictum est, & per illum peccator auertitur à creatura, & conuertitur ad Deum, tanquam ad finem vltimum, & ideo cum eodem actu esse non potest originale peccatum, vel actua l.: alias simul esset homo auersus à Deo, tanquam à fine vltimo, & cōuersus in Deum, vt in finem vltimum, quod est impossibile. Et similiter homo esset auersus à creatura, tanquam ab vltimo fine, & conuersus in creaturam tanquam in vltimum finem, & ita simul, & semel haberet duos fines vltimos simpliciter, quod etiam est impossibile, vt prima 2. docent communiter Doctores.

XIII. Contritionis diffinitio.

Et augetur vis huius argumenti. Dilectio Dei super omnia procedens ex auxilio gratiæ mouet efficaciter ad actum contritionis, quo peccator detestatur super omne detestabile omnia peccata commissa, vt patet ex eius diffinitione. Est enim contritio dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Id quod expresse docet S. Thom. 1. 2. q. 113. artic. 8. in corpore: *Propter hoc* (inquit) *ille, qui iustificatur, detestatur peccatum; quia est contra Deum. Vnde motus liberi arbitrij in Deum pręcedit naturaliter motum liberi arbitrij in peccatum, cum sit causa, & ratio eius.* Huiusmodi autem contritio non compatitur cum peccato mortali, cum sit vltima dispositio,

cum

cum qua est infallibiliter connexa gratia habitualis. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 8. in argumento, Sed contra, ex eo probat, quod in iustificatione impij sit prior ordine naturę gratiæ infusio, quam motus liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, *Nam causa est prior naturaliter suo effectui; sed gratię infusio causa est omnium aliorum, quæ requiruntur ad iustificationem impij, vt supra dictum est. Ergo est naturaliter prior.* Et in corpore articuli id ipsum magis explicat; ait enim: *Inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij, tempore quidem sunt simul; quia iustificatio impij non est successiua, vt dictum est. Sed ordine naturæ vnum eorum est prior altero. Et inter ea naturali ordine, primum est gratiæ infusio; secundum motus liberi arbitrij in Deum. Tertium est motus liberi arbitrij in peccatum, quartum vero est remissio culpæ.* Art. 5.

Hæc omnia confirmantur ex his, quæ superius cap. 6. & duobus sequentibus dicta sunt, & disput. 51. de Auxilijs conclusione 2. vbi ostensum est, hominem, præsertim si existat in peccato mortali, non posse ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia simpliciter absoluta dilectione, etiam naturali, ad quam obligat primum præceptum Decalogi, nec habere absolutum propositum placendi illi in omnibus. Videantur etiam quæ dicta sunt disput. 54. de Auxilijs præsertim num. 18. & per hæc facile soluuntur argumenta facta à principio.

XIV. *Pueri decedentes cũ solo originali qualiter diligant Deum super omnia.*

AD primum Arg. respondetur primo, dilectionem illam Dei naturalem, quæ conceditur illis, pueris non esse dilectionem electiuã Dei super omnia simpliciter, nec cum proposito absoluto placendi illi in omnibus. Cum enim per originale peccatum sint natura filij iræ, vt ait Apostolus, & maneant in perpetuum inimici Dei; quomodo possunt placere illi in omnibus? inimicus enim alicuius, quandiu inimicus illius est, non placet illi in omnibus, nec diligit illum super omnia simpliciter: alias peccatum originale, ratione cuius inimicus Dei est, placeret Deo, quod non est dicendum.

Neque Doctores allegati pro prima sententia docent, animas illorum puerorum diligere Deum super

omnia simpliciter, vel habere propositum absolutum placendi illi in omnibus: sed solum tribuunt illis dilectionem quandam naturalem, qualis est possibilis in illo statu, sicut est dilectio, qua diligitur Deus, in quantum est bonum vniuersale, à quo in esse, & conseruari pendet intrinsecè quodlibet aliud bonum. Hac enim dilectione etiam Angeli mali diligunt Deũ, vt docet S. Tho. 1. par. q. 60. art. 5. ad 5. & tamen certum est, dæmones per actum illum dilectionis non conuerti in Deum, etiam tanquam in finem naturalem; neque habere propositum absolutum placendi illi in omnibus, cum in qua libet sua operatione libera peccent, saltem ex deprauato fine, ad quem operationem illam ordinant, vel ex defectu alterius debitæ circumstantiæ. Hanc ergo dilectionem naturalem tribuit S. Doctor pueris decedentibus cum originali peccato. Verba enim S. Thomæ loco prærallegato in solutione ad quintum sunt hæc: *Quãuis pueri non baptizati sint separati à Deo, quantum ad illam coniunctionem, quæ est per gloriam: non tamen ab eo penitus sunt separati: imò sibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum: & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione.* Ex quibus verbis solum colligitur, illos pueros diligere Deum ea dilectione naturali, quam idem Sanctus Doctor prima parte q. 60. art. 5. tribuit omnibus Angelis, etiam reprobis, vt supra dictum est. Eodem modo loquitur Magister Sotus, ait enim: *Addunt præterea permulti, quorum etiam est S. Thom. quod diligent Deũ, tanquam primum datorem bonorum naturalium, eo amore, qui possibilis est natura. Id quod non prorsus respuerim: cum naturalis ratio eo inclinet, neque sit tunc impedimento pondus carnis.* Vbi notanter inquit, eo amore, *qui possibilis per per naturã*, vt excluderet perfectã dilectionem Dei etiam naturalem, qua diligitur Deus super omnia simpliciter, tanquam vltimus finis naturalis, cum proposito absoluto placendi illi in omnibus. Hæc enim dilectio non est possibilis illis pueris, neque compossibilis cum originali peccato.

S. Thom.

Magister Sotus.

XV. Medina. In eodem sensu intelligitur Medina, vt ipsemet explicat se ipsum. Ex eo enim probat, quod possit dari dilectio

ctio naturalis in homine auerso à Deo, nam vt Sanctus Thomas prima parte quæst. 60. artic. 5. ad vltimum scribit, *Dæmones, & damnati diligunt Deum super omnia, quatenus est bonum vniuersale.* Præterea in principio eiusdem quartæ Conclusionis solum ait, quod homo constitutus in peccato originali potest *vtcumque* diligere Deum super omnia, vbi illa particula, *vtcumque*, est dictio diminuens, & limitans dilectionem Dei naturalem ad illam, quam ipsemet Magister Medina cum diuo Thoma 1. p. q. 60. artic. 5. ad 5. trubuit dæmonibus, & damnatis, quod etiam constat ex quinta eius Conclusione immediatè sequenti. Vbi sic ait: *Absolute, & simpliciter dicendum est, hominum in natura lapsa non posse ex viribus liberi arbitrij diligere Deum super omnia dilectione naturali.* S. Thom.

Secundo respondetur admisso disputationis gratia, etiamsi detur, quòd animæ puerorum decedentium cũ solo peccato originali diligant Deum super omnia ex solis viribus naturæ cum proposito absoluto placendi illi in omnibus, & seruandi omnia mandata naturalia, non esse tamen eandem rationem de illis, & de hominibus viatoribus existentibus in peccato mortali, vel originali. Et ratio discriminis est; nam anima separata existens in solo originali, nullum habet impedimentum corruptionis carnis, vel inclinationis deprauatæ appetitus sensitiui, quæ tamen impedimenta reperiũtur in viatoribus.

XVI. Est & alia differentia; nam illis pueris nunquam occurrent; neque occurrere possunt vehementes tentationes, quas vincere oporteat ad implenda omnia legis naturalis præcepta, vel ad habendam dilectionem Dei naturalem; imò deficiet illis materia multorum præceptorum naturalium, sicut est præceptum non furandi, & similia. Vnde etiam si concederetur, pueros decedentes cum solo originali diligere Deum super omnia simpliciter dilectione mere naturali cum proposito absoluto placendi illi in omnibus; ita nimirum, vt talis dilectio simul sit in illis cum originali peccato, non recte infertur, quod in hominibus viatoribus talis dilectio simul esse possit cum originali peccato, vel ex solis viribus na

turæ procedere absque speciali auxilio præuenientis gratiæ propter rationes superius assignatas. Dilectio autem Dei absoluta super omnia procedens ex auxilio speciali præuenientis gratiæ est in viatoribus existentibus in peccato mortali vltima dispositio ad gratiam iustificantem, vt capite tertio decimo, & quarto decimo patebit: Vnde talis dilectio non compatitur simul, cum originali peccato vel mortali; alias compaterentur simul cum gratia iustificante. Et per hæc patet solutio ad secundum argumentum cum suis confirmationibus.

XVII. *Actus virtutis, & habitus vitij qualiter opponantur.*

Ad tertium respondetur, quod licet actus, & habitus non habeant formalem, & immediatam oppositionem, opponuntur tamen virtualiter, & mediatè, præsertim quando habitus corrumpitur per vnum actum contrarium, sicut habitus charitatis, & fidei: actus autem dilectionis Dei super omnia ex auxilio speciali præuenientis gratiæ procedens opponitur virtualiter, & mediatè originali peccato, & maculæ cuiuscumque mortalis; nam inducit tanquam vltima dispositio gratiam iustificantem, quæ formaliter aufert maculam cuiscumque peccati præcedentis, siue sit originale, siue actuale mortale.

Ad confirmationem respondetur similiter, quòd dilectio supernaturalis virtualiter, & mediate excludit originale peccatum, & maculam præexistentem peccati mortalis, vt in præcedenti solutione dictum est. Dilectio autem naturalis, quæ remanet in pueris decedentibus cum solo peccato originali, non procedit ex auxilio speciali præuenientis gratię; non enim sunt capaces talis auxilij pro illo statu, quia sunt in termino; & ideo talis dilectio nullam habet oppositionem etiam virtualem, & mediatam cum originali peccato: ac subinde, potest compati cum illo.

Et si quis objiciat: Ergo ex natura rei non implicat, aliquem esse auersum à Deo, tanquam à fine vltimo supernaturali, & conuersum in Deum, tanquam in finem vltimum naturalem, quod tamen in nostra sententia reputabatur magnum inconueniens. Respondetur. Quidquid sit de pueris illis decedentibus cum sola culpa originali,

ginali,

ginali, in viatoribus id est magnum inconueniens, propter rationes superius adductas. Secundo respondetur, quod dilectio illa naturalis in pueris prædictis non est simpliciter absolutè dilectio electiua Dei super omnia, etiam naturalis, neque cum proposito absoluto placendi illi in omnibus; nam illi pueri sunt, & erunt in perpetuũ simpliciter inimici Dei. Vnde per illam dilectionem non referunt se, & omnia sua in Deum, tanquam in vltimum finem etiam naturalem, vt in solutione ad primum dictum est.

Ad Quartum argumentum respondetur, quod auersio à Deo, & priuatio gratiæ habitualis habent formalem, & physicam oppositionem cum ipsa gratia habituali, quæ est intrinsecè connexa cum dilectione Dei super omnia procedente ex auxilio actuali præuenientis gratię. Sicut enim priuatio visus excluditur formaliter per potentiam visiuam cæco restitutam: ita priuatio gratiæ habitualis excluditur formaliter per ipsam gratiam habitualem peccatori restitutam. XVIII.

Ad Quintum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod ab intrinseco, & ex natura rei auxilium actuale præuenientis gratiæ non est simpliciter necessarium ad actus ordinis naturalis; etenim in natura integra poterat homo absque tali auxilio operari totum bonum suæ naturæ proportionatum, & diligere Deum super omnia simpliciter, in quantum est auctor naturæ, & referre se, & omnia sua in Deum, tanquam in vltimum finem eiusdem ordinis. Cæterum supposita infirmitate, & debilitate naturæ humanæ per originale peccatum corruptæ, & à Deo fine vltimo auersæ, prædictum auxilium præuenientis gratiæ est simpliciter necessarium ad actum perfectissimum, etiam naturalem naturę integræ, qualis est dilectio Dei super omnia simpliciter cum proposito absoluto placendi illi in omnibus: sicut infirmus, debilitatus, & attenuatus viribus non potest exercere quemlibet actum hominis sani; nisi prius ab infirmitate liberetur & sanetur. Qualiter autem huiusmodi actus dilectionis sit supernaturalis in homine lapso, & procedat à gratia

 habi-

habituali, iam supra expositum est, & patebit amplius cap. 13. & 14.

Ad id vero, quod obijcitur, nam ad supplendum defectum ex naturæ corruptione contractum, sufficiunt auxilia ordinis naturalis; respondetur, quod per huiusmodi auxilia non sanatur, nec sanari potest, etiam initiatiuè, infirmitas naturæ, alias initium nostræ salutis esset ex natura, quod est Pelagianum. Vnde quamtumuis multiplicentur, semper manet natura corrupta impotens ad prædictum actum dilectionis eliciendum, donec adiuuetur, & sanetur per gratiam.


XIX. Ad Confirmationem respondetur, quod illud auxilium præuenientis gratiæ requiritur necessario in tali subiecto infirmo ad eliciendum talem actum dilectionis naturalis, excedentem vires hominis infirmi, & attenuati viribus, vt dictum est, & non solum ad tollenda impedimenta extrinseca; nam potissimum impedimentum est intrinsecum, videlicet infirmitas, & debilitas naturæ corruptæ, & à Deo vltimo fine auersæ, quæ, nisi per gratiam, tolli non potest.

Consequenter agendum est de viribus liberi arbitrij in receptione gratiæ, & explicandum à quo principio efficienter procedat vltima dispositio, qua ad receptionem gratiæ iustificantis præparatur, circa quod tria sunt consideranda.

Primo. Vtrum actus contritionis sit Physica dispositio vltima ad iustificantem gratiam.

Secundo. Vtrum eiusmodi contritio, seu dispositio vltima procedat effectiuè ab habitu gratiæ, & pęnitentię.

Tertio explicandum, quid senserit S. Thomas circa principium effectiuum à quo vltima dispositio ad gratiam iustificantem procedit.



CA-

CAPVT XIII.

Vtrum actus contritionis, & supernaturalis charitatis sint vltima dispositio ad gratiam iustificantem non solum moralis, sed etiam physica.



ATER Suarez libro 8. de gratia cap. 4. num. 19. tenet, solum esse dispositionem vltimam moralē, non autem physicam, & pro eadē sententia refert Medinam 1. 2. q. 112. art. 1. in fin. in solutione argumentorum, & Zumel ibi disput. 1. ad 4. quam probat sequentibus argumentis. I. Suarez. Medina. Zumel.

Primo. Illa dispositio formaliter considerata, idest, secundum influxum, quem habet in gratiam in ratione causæ disponentis, sub hac ratione non habet influxum physicum; quia nec est per se necessaria ad esse gratiæ, cum possit absque miraculo sine tali dispositione infundi, vt in pueris, & per sacramenta sine illa dispositione infunditur, & in omnibus iustis conseruatur. Ergo non habet per se, vt sit dispositio physica.

Secundo. Inter vltimam dispositionem physicam, & formam, ad quam disponit, est physica, & intrinseca cōnexio: sed inter illam dispositionem, & infusionem habitus gratię non est physica connexio, neque intrinseca: sed ex acceptatione, atque ordinatione diuina, vt colligitur ex Apostolo ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autē in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Rom. 4.

Tertio. Influxus illius dispositionis prærequisitus ad infusionem gratiæ habitualis consistit in hoc, quia videlicet remouet moralē obicē peccati, & etiam quia mouet Deum ad infusionē gratiæ, quasi impetrando illam, vt dixit Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. sed huiusmodi influxus est solum moralis, non autem physicus. Ergo. Concil. Trident.

Quarto

II. Quarto. Nam sequeretur ex opposita sententia, quod pœnitens, qui vt causa proxima, & principalis producit actum contritionis, esset causa physica infusionis gratiæ iustificantis: consequens est falsum: Ergo. Minor probatur. Nam qui est causa principalis physicæ dispositionis vltimæ ad aliquam formam, est causa principalis eiusdem formæ, siue introductionis illius in materiam, quam disposuit. Ergo si actus contritionis est vltima dispositio physica ad infusionem gratiæ, erit causa efficiens infusionis eiusdem gratiæ, quod tamen est contra illud Psalmi 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

Psalm. 83.

Quinto id ipsum probari potest alio argumēto, quod nonnulli reputant insolubile; quia nusquam inuenitur, quod actio sit dispositio ad aliquam formam, præsertim quando procedit effectiue ab illa forma: etenim lz. calor, vt octo, sit physica dispositio ad formam ignis, calefactio tamen procedens à forma ignis esse non potest vltima dispositio physica ad introductionem eiusdem formæ, & idem est de frigiditate aquæ: Ergo actus contritionis, & charitatis esse non potest vltima dispositio physica ad infusionem gratiæ habitualis; præsertim cum talis contritio, & dilectio procedat effectiue ab ipsa gratia habituali, cum sint actus meritorij vitæ æternæ, qui subinde necessario debent procedere à gratia iustificante, sine qua nullum esse potest meritum vitæ æternæ.

III. His tamen non obstantibus persistendum esse censeo in sententia, quam disput. 66. de Auxilijs conclusione prima præmisi, quod scilicet, actus charitatis supernaturalis, & contritionis perfectæ est propriè loquendo vltima dispositio ad gratiam habitualem, non solum moralis, sed etiam physica. Hæc est sine dubio sententia expressa Magistri Medinæ 1. 2. q. 113. art. 8. in responsione ad confirmationem secundi argumenti, vbi specialiter impugnat sententiam asserentium, solum esse dispositionem moralem. Sic enim ait: *Gratia infusio secum ducit consensum nostræ voluntatis, tāquam pedissequam, & habitus pœnitentiæ à Deo infusus secum etiam trahit actum pœnitentiæ, tanquam pedissequam, per quam ipsa voluntas ad susceptionem doni disponitur: quemadmodum forma ignis trahit secum calorem, & forma aquæ*

Contritionis actus est vltima dispositio ad gratiā non solum moralis, sed etiam physica.

Medina.

ducit

ducit secum frigiditatem; quod enim sit actio, non impedit, quo minus sit verè dispositio. Quamquam ego vidi hominem doctissimum, qui vt se ab argumenti difficultate liberaret, introducebat in scholam nouam, & inauditam sententiam, videlicet, quod motus liberi arbitrij per pœnitentiam, & charitatem non est præparatio ad gratiam, quemadmodum calor est dispositio ad ignem, & frigiditas ad aquam: sed dicitur dispositio ad gratiam in genere moris, quia requiritur consensus voluntatis, vt gratia infundatur: sed non est necesse, quod præcedat in genere causæ materialis, & præparatoriæ, quemadmodum præcedunt dispositiones in genere naturæ. Et infra. *Sed huius doctoris sententia mihi non probatur, neque cuiquã Theologo rem penitius consideranti probari potest: nam (vt prætermittam esse opinionem nouam domi suæ natam) existimo, quod aduersatur sententijs sanctarum scripturarum, & definitioni Concilij Tridentini, asserere, quod actus liberi arbitrij, qui sunt dispositiones ad gratiam, non sint priores ordine naturæ ipsa gratia, & quod non sint veræ, & propriæ dispositiones ad ipsam.* Concil. Trident.

Quo nihil clarius dici potuit pro nostra sententia. Respondet Auctor, opinionem, quam ibi refert, & impugnat Magister Medina, longe aliam esse ab illa, quæ nunc tractatur: sed hæc explicatio est contra expressa verba, & contextum inductum, vbi aperte loquitur de eademmet quæstione, quæ nunc controuertitur. Vnde quæ dixit Medina in illa quęstione 112. allegata, explicanda sunt, vel corrigenda per ea, quæ dicit inferius in quæst. 113. Præsertim cum illo art. 2. q. 112. id dixerit obiter adhibendo plures solutiones eidem argumento. Vnde in nulla earum videtur pedem figere: in art. vero 8. q. 113. quæstionem tractat ex professo. Vnde ijs, quæ ibi dixit, standum est. Solutio. Medina.

Eadem est sententia Sancti Thomæ 1. 2. q. 112. art. 2. citato in corpore. Vbi ex eo probat, quod ad gratiam habitualem requiratur aliqua præparatio, & dispositio ex parte hominis, quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita. & loquitur de forma perfecta in suo genere, qualis est gratia iustificans in ordine supernaturali. Imò & multi graues Doctores, inter quos est I V. S. Thom.

Sotus. Magister Soto in 4. dist. 15. quæst.2.art.1. & libro 2. de natura, & gratia cap. 16. absolutè docent, implicare contradictionem, quod peccatum mortale remittatur homini adulto per infusionem gratiæ absque aliqua præparatione, & motu liberi arbitrij. Quidquid autem sit de potentia Dei absoluta, in hoc omnes conueniunt, quod de potentia ordinaria remitti non potest absque præparatione, & motu liberi arbitrij, etiam cum iustificatur adultus cum Sacramento; nam ad illud dignè recipiendum, & fructum illius, necessario requiritur contritio imperfecta, quæ dicitur attritio ex motione Spiritus sancti procedens, qualis describitur à Concilio Tridentino sess.14. cap. 4. de Sacramento pœnitentiæ. Sed de hac difficultate agendum est prima secundæ, quæstione 112. artic. 2. in tractatu de gratia, quem iam elaboratum habeo.

Concil. Trident.

V. *Concilij. Trid. Doctrina circa vltimã Dispositionem ad gratiam discutitur.*

Præterea probatur nostra sententia ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. de Iustificat. & cap. 6. vbi docet Sancta Synodus, peccatorem se disponere ad iustificationem gratiæ excitanti, & adiuuanti liberè consentiendo, & cooperando. Et Can. 4. eiusdem sess. sic diffinitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet; nec posse dissentire, si velit. &c. Anathema sit* Quibus verbis Sacrum Concilium apertè loquitur de dispositione physica, & reali, quæ prærequiritur ad iustificationem.

Ad hæc argumenta respondet Suarez, quod solum probant, illam esse dispositionem veram, & realem, quod nemo negat; inde tamen non sequi, esse dispositionem physicam; nam esse causam, vel dispositionem veram, & realem, commune est causæ physicæ, & dispositioni morali. Ad cuius explicationem aduertit, quod dispositio potest dupliciter considerari. Primo modo materialiter secundum suam entitatem, quæ dici potest physica, quatenus est res vera, & suam quasi naturalem essentiam habet, & in hoc sensu tantum probant argumenta, illam dispositionem esse physicam. Secundo modo potest considerari illa dispositio formaliter, idest,

secun-

secundum influxum, quem habet in gratiam in ratione causæ disponentis, & sic non habet influxum physicum, quia non est per se necessaria ad esse gratiæ, cum possit absque miraculo sine tali dispositione infundi.

Sed hæc solutio non satisfacit; nam dispositio physica absolute sumpta, & absque vllo additamento semper accipitur formaliter pro dispositione, secundum quod dicit habitudinem ad formam, ad quam disponit. Sub hac enim ratione habet, quod sit causa materialis eiusdem formæ, eo quod causæ sunt sibi causæ in diuersis generibus causarum. Vnde nomen physicæ dispositionis non erat accipiendum materialiter pro dispositione, vt est præcisè quædam entitas realis. Nec Sanctus Thomas, & Sacrum Concilium poterant vti nomine dispositionis in hoc sensu. Dices: Potest contingere, quod aliqua actio sit physica, & realis, & nihilominus solum sit causa moralis, non autem physica comparatione alicuius effectus. Sicut verbi gratia suasio, qua quis suadet alteri, vt det eleemosynam pauperi, est in se ipsa physica, & realis secundum istam suam entitatem, nam consistit in verbis, quæ dum proferuntur sunt aliquid reale, & tamen non causant in alio effectum illum, nisi solum moraliter: Ergo similiter in præsenti dicendum est de reali dispositione, quæ requiritur ad infusionem gratiæ. Respondetur, negando consequentiam; & ratio discriminis est, nam suasio non habet physicè effectum in alio, sed solum in genere causæ moralis, eo quod ad illam suasionem non sequitur infallibiliter effectus: multoties enim contingit, quod adsit suasio perfectissima secundum omnes regulas oratoris, & nihilominus non vincat, nec inducat effectum, quem intendit. Suasio enim non cogit inuitum, vt dicit Augustinus, & cum illo Sanctus Thomas. Cæterum ad contritionem perfectam, quæ ex dilectione Dei supernaturali procedit, necessario sequitur necessitate infallibilitatis infusio gratiæ iustificantis, non solum ex acceptatione diuina; sed etiam ex natura rei, vt patebit infra. Vnde non est simile.

VI.

Obiectio.

Solutio.

Aug. lib. 83. quæst. q. 4. S. Tho. q 3 de malo art. 3. in corp.

Confirmatur. Nam verba Conciliorum intelligi debent, & saluari in sensu formali, & secundum proprieta-

Conciliorũ verba intelligi debent in sermonis proprietate.

tem verborum ; alias facile posset quis eorum diffinitiones eludere, accipiendo eorum verba materialiter, quod cederet in magnam perniciem totius Reipublicæ Christianæ. Eneruarentur enim argumenta potissima, quibus Doctores Catholici vtuntur ad conuincendos hæreticos. Ergo nomen dispositionis, quo vtitur Sacrum Concilium Tridentinum attribuendo illud contritioni pœnitentis, non debet accipi materialiter pro actu contritionis, vt est quædam entitas physica, sed formaliter pro dispositione, vt dicit habitudinem ad gratiam iustificantem, comparatione cuius est dispositio.

VII.

Contritio, vt est vltima dispositio ad gratiam iustificantem, quem influxum habeat in illam.

Præterea probatur destruẽdo potissimum fundamentum sententiæ contrariæ. Ex eo enim probat, dispositionem illam formaliter sumptam in ratione dispositionis non esse dispositionem physicam, sed solum moralem, quia non habet aliquem influxum physicum, sed solum moralem in ipsam gratiam, ad quam disponit: sed hoc fundamentum est falsum : Ergo. Minor probatur. Cõtritio illa, vt procedit à Spiritu Sancto mouente, habet aliquem influxum physicum, seu realem in ipsam gratiam iustificantem in genere causæ materialis: etenim secundum maiorem vel minorem intensionem illius dispositionis infunditur magis vel minus intensa gratia habitualis, vt expressè docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 1. vbi explicans illud Matthæi 25. *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem*, ait, *quod illa virtus, secundum quam sua dona Deus dat vnicuique, est dispositio vel præparatio præcedens, siue conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem, vel conatum præuenit Spiritus sanctus mouens mentem hominis vel plus, vel minus, secundum suam voluntatem vnde, & Apostolus dicit ad Colos. 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Et in solutione ad 2. ait, *quod forma non excedit materiæ proportionem: sed sunt eiusdem generis*. Et ex hoc probat, quod gloria futura est maior, vel minor secundum quantitatem gratiæ ; quia gratia est dispositio ad gloriam, & quędam illius inchoatio. Quod etiam postmodum expresse docuit sacrum Concilium Trident. sess. 6. de iustificatione capit. 7. vbi explicans connexionem, quam illa di-

S. Tom. Matth. 25

Colos. 1.

dispositio, seu præparatio habet cum iustificatione, & qualiter gratia habitualis, quæ infunditur, mensuretur iuxta quantitatem illius dispositionis, ait: *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur.* Et infra docet, quod per eandem iustificationem *vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisq; suam secundam mensuram quam spiritus Sāctus partitur singulis, pro vt vult, & secundū propriā cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Hic autem effectus prouenire non potest ab illa contritione, etiam in genere causæ materialis, & dispositiuæ, si solum esset dispositio in genere causæ moralis; nam sola causa moralis non determinat neque quantificat intensionem formæ, comparatione cuius est dispositio: Ergo secundum mentem Concilij contritio est etiam dispositio in genere causæ physicæ ad iustificantem gratiam.

Concil. Trident.

1 Corinth. 11.

VIII.

Præterea probatur. Actus charitatis supernaturalis, qui est vltima dispositio ad gratiam, habet intrinsecè connexum habitum charitatis, à quo necessario dependet: habitus autē charitatis habet etiam intrinsecam connexionem cū gratia iustificante, sicut & alij habitus per se infusi; nam procedunt ab illa ad modum propriæ passionis, vt 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. dicit S. Tho. Ergo de primo ad vltimum actus charitatis, à quo procedit contritio, habet ex natura rei intrinsecam connexionē cum gratia iustificante, ac per consequens erit dispositio non solum moralis; sed etiam physica comparatione eiusdem gratiæ iustificantis.

Charitatis actus supernaturalis habet necessariā connexionem cum gratia iustificante

S. Thom.

Vltimo probatur. Nam pœnitentia expellit effectiue peccatum, vt dicit S. Thom. 3. par. q. 85. art. 2. ad 3. quod quidem intelligi non potest, nec debet de sola causalitate morali; nam sola causa moralis non est vera causa efficiens, cum non sequatur infallibiliter ad illam effectus, vt supra dictum est: causa enim (vt dicit Aristoteles) est, ad quam sequitur effectus: Ergo similiter infusio gratiæ, & iustificatio impij sequitur ad illam vltimam dispositionem, non solum in genere causæ moralis, sed etiam in genere causæ physicæ dispositiuæ, seu materialis: sicut forma ignis sequitur in ligno ad vltimam dispositionem eiusdem formæ.

S. Thom.

Pœnitentia excludit effectiuè peccatum.

Ad

IX. AD primum argumentum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd illa dispositio est simpliciter necessaria in adultis, qui propria voluntate peccando mortaliter se auerterunt à bono incõmutabili, & ad bonum commutabile se conuerterunt. Vnde, vt gratiam iustificantem consequantur, necessarium est, quod per actum contritionis charitate informatum se auertant à bono commutabili, & ad bonum incommutabile, quod est Deus, se conuertant tanquam ad vltimũ finẽ. In pueris vero qui per sacramentum baptismi iustificantur, contritio non est illis possibilis pro illo statu, cum vsu rationis careant: tum etiam, quia se non auerterunt per proprium actum à Deo, tanquam fine vltimo, nec se conuerterunt ad creaturam. Vnde sicut efficiuntur filij iræ per originale peccatum à primo parente per seminalem propagationem contractum absque actu voluntatis proprię: ita efficiuntur filij Dei per iustitiam, & gratiam sibi inhærentem à secundo Adam, hoc est, à Christo per regenerationem baptismalem illis communicatam absque propria illorum dispositione, secundum illud Apostoli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et: sicut vnius delicto peccatores constituti sunt multi; ita & vnius iustitia iusti constituentur multi.* In adultis vero, qui per sacramenta iustificantur, etiam prærequiritur necessariò cõtritio, saltem imperfecta, quæ alias dicitur attritio, procedens ex impulsu Spiritus sancti, tanquam dispositio ad iustificationem necessaria: merita enim Christi per susceptionem sacramenti applicata supplent vicem cõtritionis perfectæ. Vnde virtute eiusdem sacramenti fit homo ex attrito contritus.

Dispositio ad iustificationem quare in adultis sit necessaria, & non in paruulis.

i. Corinth. 15.

Rom. 5.

X. Ad secundum Argumentum negatur minor, cuius falsitas constat tum ex præmissis, tum etiam ex dictis disputatione 59. de Auxilijs num. septimo. Vbi ostensum est, actum contritionis, & charitatis, qui est vltima dispositio ad gratiam habitualem, habere intrinsecam connexionem cum eadem gratia, non solũ ex acceptatione diuina, sed etiam ex natura rei. Et ad probationem ex verbis inductis Apostoli respondetur, quod ex illis solum colligitur, nihil eorum, quæ iustificationem

ante-

antecedunt, ipsam iustificationis gratiam promereri, vt explicat Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificat. cap.8. non autem intendit Apostolus excludere physicam dispositionem, per quam peccator se disponit, ac præparat ad iustificationis gratiam consequendam: sicut eam non excludit idem Concilium, sed potius præ-requirit, vt peccator iustificetur. Concil. Trident.

Ad Tertium respondetur, quod vltima dispositio ad gratiam, scilicet contritio perfecta, præter influxus tactos in argumento, habet alium in genere causæ materialis physicę, videlicet quod iuxta maiorem, vel minorem intensionem illius, quæ physica est, & realis, infundatur magis, vel minus intensa gratia habitualis, vt supra dictum est. Et ad locum adductum ex Concilio Tridentino sess. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap.4. vbi dicitur, ***Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius***, respondetur, quod per illud verbum, ad impetrandam veniam, non excluditur, sed potius includitur physica dispositio, per quam obtinetur venia peccatorum, quæ formaliter datur per gratiam iustificantem. Illa enim impetratio est longe diuersa ab illa, qua homo iustus suis orationibus impetrat alteri iustificantem gratiam: sicut oratio Stephani impetrauit conuersionem Pauli, iuxta illud, quod ait Augustinus, si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum Apostolum non habuisset. Hæc enim impetratio, & conuersio Pauli, solum in genere causę moralis meritoriæ fuit effectus orationis Stephani pendens ex acceptatione diuina. Cęterum peccatorum venia, quam per actum contritionis charitate formatum impetrat sibi homo, non est huiusmodi. Vnde non innititur in sola acceptatione diuina, sed in connexione superius explicata, quam habet gratia iustificans cum illa vltima dispositione.

Gratia iustificans infunditur maior, vel minor iuxta dispositionem suscipientis. Concil. Trident. S. August. *Stephani oratio impetrauit cõuersionem Pauli.*

XI. *Dispositionem vltimam ad infusionem gratiæ iustif. quare non sit causa efficiens gratiæ?*

Ad Quartum respondetur. Qui virtute propria, & sibi connaturali causat effectiuè vltimam dispositionem, producit etiam efficienter formam, quæ ad illam dispositionem sequitur; non autem, quando producit illam dispositionem virtute agentis superioris ordinis: & quoniam liberum arbitrium non producit vltimam dispositionem

spositionem ad gratiam iustificantem virtute sibi propria, & connaturali, sed virtute motionis Spiritus sancti, qui est auctor gratiæ; ideo soli Deo tribuenda est, vt causæ efficienti, infusio gratiæ, cui tribuitur dispositio illa, in quantum dispositio est; nam ad idem agens pertinet dispositio materiæ, cui tribuitur introductio formæ in eadem materia.


Actio instantanea, & immanens procedens ab aliqua forma, esse potest vltima dispositio ad illam.

Ad quintum responsum est disput. 66. de Auxilijs nu. 9. & nunc breuiter dicimus, quod quando actio procedens ab aliquo agente est successiua, & transiens in exteriorem materiam, sicut est calefactio, tunc impossibile est, quod actio illa sit vltima dispositio ad formam eiusdem agentis, à qua procedit talis actio; non autem quando actio est immanens, & instantanea, sicut est actus cõtritionis, & charitatis; idque propter rationem adductam disputat. 66. de Auxilijs præallegata, quod etiam patebit amplius cap. sequenti.

CAPVT XIV.

Vtrum actus contritionis, seu charitatis supernaturalis, qui est vltima dispositio ad infusionem habitualis gratiæ, & charitatis, seu pœnitentiæ, procedat effectiuè ab ipso habitu gratiæ, & charitatis, vel pęnitentiæ.

I. Suarez.



PARTEM negatiuam defendit P. Suarez lib. 8. de gratia cap. 12. & 13. & in fauorem illius adducit quamplurimos Doctores, quorum testimonia inferius adducenda sũt, & examinanda. Probat autem suam sententiam sequentibus argumentis.

Primo argumentatur in hunc modum. Prima gratia habitualis, seu charitatis habitus infunditur homini, quia est contritus, vel quia toto corde per dilectionem super omnia in Deum conuertitur.

tur. Ergo talis contritio, vel dilectio non potest esse ab ipso habitu gratiæ, vel charitatis, tanquam à principio efficiente proxime, seu eliciente talem actum. Antecedens constat ex superioribus: *Ostensum est enim, contritionem, & dilectionem super omnia ita esse vltimam dispositionem ad iustitiam habitualem, vt sit vera causa illius: Ergo in illo genere causæ non potest hæc propositio causalis negari, Homini infunditur habitualis gratia, quia est contritus. Consequentia vero probatur primo; quia si contritio eliceretur ab habitu gratiæ, sequeretur manifeste, hanc causalē esse veram, Homini infunditur habitus gratiæ, vt conteratur: hoc repugnat priori propositioni causali: ergo admitti non potest: Sequela probatur, quia si actus elicitur ab habitu, habitus est, qui dat vires proximas & principales voluntati ad eliciendum talem actum: ergo infunditur talis habitus voluntati, vt per illum tales actus elicere valeat, sicut datur animæ beatæ lumen gloriæ, vt videre Deum possit, vel sicut datur homini visus, vt videat.*

Confirmatur. *Nam lumen gloriẹ eo ipso, quod datur animẹ, vt videre possit, non potest illi infundi, quia videt, idemque est de visu corporeo; nam quia datur homini, vt videre possit, non potest ei dari, quia videt: & in vniuersum nulla potentia fit in subiecto, eo quod eliciat actum eius, solum quia datur, vt possit subiectum eum actum elicere: ergo, si habitus gratiæ infunditur, vt homo eliciat primum actum charitatis, vel contritionis, fieri nō potest, vt homini infundatur habitus, quia eius actum elicit.*

Secundo idem probat exemplo de primo auxilio excitante, seu prima vocatione. Illa enim datur homini, vt conuertatur, & non ideo datur, quia conuertitur, neque ipsa conuersio, quæ est effectus vocationis, potest esse dispositio ex parte hominis ad ipsam vocationem: Idem ergo esset de habitu gratiæ, si daretur homini, vt principium, quo possit conuerti, seu conuertatur, vel è contrario si habitus datur homini, vt conuertatur, & nihilominus per conuersionem disponitur ad habitum, eadem ratione poterit homo se disponere ad vocationem per conuersionem, quæ ab illa procedit. 11.

S. Hieron. S. August. Ephes. 1. Tertio idem probat ex modo argumentandi Sanctorum Hieronymi ad Ephes. 1. & Augustini lib. 1. de prædestinat. Sanctorum cap. 17. Nam ex eo, quod Apostolus in dicto loco ad Ephes. 1. ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*, inferunt non elegisse nos Deum, quia eramus Sancti. nimirum quia illæ duæ causales non possunt simul in eundem actum conuenire. Et eodem modo Concilium Arausicanum Can. 25. ex eo, quod Paulus de se dicit 1. Corin. 7. *Tanquam misericordiam consequutus à Domino, vt sim fidelis*, ponderat, & colligit, non esse misericordiam consequutum, quia fidelis erat, sentiens illas duas causales repugnare eidem actioni, seu respectu eiusdem effectus: Ergo si peccatori infunditur habitus pœnitentiæ, & gratiæ, vt conteratur, non ei infunditur, quia contritus est. Probatur consequentia, quia particula, vt, denotat causam finalem, quæ in intentione est prior, & in executione posterior, & solet esse effectus in genere causæ efficientis illius habitus, vel potẽtiæ, quæ propter talem finem datur. Particula autem, quia, denotat causam priorem in ordine executionis, quæ sit aliquo modo medium, seu principium respectu talis effectus, siue per modum dispositionis, siue per modum principij efficientis, vel physicè, vel moraliter, siue impetrando, siue aliquo modo merendo: nullo autem ex his modis fieri potest, vt medium sit effectus finis: si ergo contritio est medium ad obtinendum habitum gratiæ, non est finis, propter quem gratia infunditur, & consequenter neque habitus gratiæ est principium, quod ad eliciendam cõtritionem infunditur.

Concil. Arausic. 1. Corint. 7.

III. Concil. Trident. Quarto argumentatur ex doctrina Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. Vbi docet, initium iustificationis in adultis sumi à vocatione, seu præueniente gratia, *vt per excitantem, atque adiuuantem gratiam ad iustificationẽ suam disponantur*. Et iterum cap. 6. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, &c.* Vbi loquitur Concilium de iustitia habituali; ad illam enim se homo disponit, non per illammet, Sed per aliam gratiam excitantem, & adiuuantem. Et ideo cap. 7. subiungit: *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur,*

quitur, de qua iustificatione dicit, esse renouationem *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, vtiq; habitualium, vt supra declaratum est. Et Canon. 4. duo tantum principia requirit, vt homo se præparet, sicut oportet, ad gratiam iustificationis, scilicet præuenientē Spiritus sancti inspirationem, & eius adiutorium. Et idem colligitur ex cap. 7. eiusdem Concilij, dum ait: *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur*. Ergo secundum doctrinam Sacri Concilij, actus contritionis, & charitatis, qui est vltima dispositio ad gratiam habitualem, vel ad habitum charitatis, vel pœnitentiæ, non procedit effectiue ab illis habitibus infusis, sed à solo libero arbitrio excitato, & adiuto per auxilium speciale præuenientis gratiæ. Concil. Trident.

Quinto. Deus infundit gratiam intuitu dispositionū ad illam: Ergo non potest ille actus, qui est dispositio, esse ab eadem gratia, vt à principio efficiente. Probatur consequentia, quia Deus intuetur illum actum, vt factū à libero arbitrio, cum ratione illius vult infundere gratiam: non videt autem, vt factum à solo libero arbitrio, sed vt adiuto aliquo principio gratiæ; quod non potest esse habitus, cum nondum intelligatur Deus volens illum infundere.

Sexto. Idem probat exemplo augmenti habitus charitatis per actus ipso habitu intensiores; nam habitus, qui fit intensior per actum intensiorem, non concurrit effectiuè ad actum intensiorem per illos gradus intensionis, & augmenti, quos per ipsummet actum acquirit: Ergo nec habitus, vt primo infusus, ratione actus potest talem actum effectiue producere. Consequentia videtur euidens à paritate rationis; nam actus intensior non aliter est causa intensionis habitus, quam dispositiue, & meritoriè; & hoc satis est, vt intensio habitus non possit esse principium effectiuum intensionis habitus: sed primus actus est etiam dispositio ad primam infusionem habitus, & suo modo meritum eius: Ergo est eadem vtriusque ratio. Nam quod meritum augmenti habitus per intensiorem actum sit perfectum, & de condigno; meritum autem infusionis primæ gratiæ per dispositionem proximè ad illam sit imperfectum, seu im- IV.

petratorium, hoc (inquam) discrimen vim illationis non minuit, quia vtrumque meritum suum principium præsupponit, & ideo in vtroque merito, & in impetratione æque verum est, præmium meriti non posse esse principium eiusdem meriti, nec dari actioni valorem ad merendum, vel impetrandum se ipsum.

Septimo idem confirmat, & declarat exemplo habituum acquisitorum, quia fieri non potest, vt actus, per quem habitus acquiritur, effectiuè sit ab ipso habitu: Ergo nec actus supernaturalis, ratione cuius infunditur habitus, sit effectiuè ab ipso habitu.

V. Octauo idem probat ex generali, & phylosophica ratione. Quia effectus causæ efficientis non potest esse realis causa suæ causæ, neque in genere efficientis causæ, quæ existentiam realem ad causandum in ipsa causa requirat, sed solum in genere causæ finalis, quæ ad causalitatem suam non requirit existentiam in re, sed tantum in apprehensione. At vero actus primæ contritionis, vel dilectionis est talis causa habitualis gratiæ, vt ad causandum requirat existentiam realem priorem suo effectu. Ergo impossibile est, hanc eandem dispositionem esse effectum eiusdem gratiæ habitualis in genere efficientis: seu è conuerso impossibile est, habitũ gratiæ esse causam efficientem actus disponentis proximè subiectum ad infusionem eiusdem gratię. Maior videtur per se nota ex terminis, quia causa efficiens ideo non potest immediatè efficere, quia vt efficiat, supponitur actu, & simpliciter existens, agit enim in quantum est in actu: Ergo eadem ratione non potest efficere aliquam causam realem sui esse, quæ debeat supponi realiter existens. Patet consequentia, tum quia si non potest efficere suum esse, quia supponit illud, multo minus potest efficere esse suæ causæ, quod in illa ante suum proprium esse supponit; tum etiam, quia alias, saltem mediatè, esset causa realis sui esse. Nam efficiendo verbi gratia dispositionem necessariam ad suum esse, effectiuè pararet viam ad sui productionem, quod non minorem repugnantiam inuoluit.

Confirmatur alio exemplo, quia non minus repugnat, aliquem generare patrem, aut auum suum, quam

imme-

immediate generare se ipsum: ergo similiter non magis repugnat, formam inducere seipsam in materiam, quam effectiue disponere, & præparare materiam ad sui receptionem. Nam quod in illa causa media mutetur causalitas efficiens in dispositiuam, parum refert; cũ in causa etiam disponente prærequiratur existentia, quæ dicitur esse effectiue ab ipsa forma.

Si dicatur, actum illum contritionis, & charitatis, qui est vltima dispositio ad gratiam, non procedere effectiue à gratia iustificante: sed ab habitibus charitatis, & pœnitentiæ, qui cum eadem gratia simul infunduntur. Contra hoc est

Nonum argumentum. Habitus charitatis, & pœnitentiæ, qui maxime possent vltimam dispositionem ad gratiam efficere, illi sunt veluti proprietates consequentes gratiam, tanquam essentialem formam, vt in superioribus ostensum est cum D. Thoma 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. & 2. & ideo actus, qui sunt vltima dispositio ad infusionẽ gratię habitualis, à fortiori sunt præuiæ dispositiones habitus illarũ virtutũ; nã dispositio vltima ad formã cõsequẽter disponit ad proprietates cõsequẽtes formã. V I. S. Thom.

Confirmatur. Gratia prius natura infunditur homini, quam charitas, verbi gratia: ergo dispositio, quæ ordine naturæ antecedit gratiam in ratione præuiæ dispositionis, multo magis antecedit charitatem, præparatque voluntatem ad illius infusionem, & receptionem: Ergo sicut non potest gratia antecedere actum disponentem ad illam, ita multo maiori ratione non potest antecedere charitas, vt principiũ efficiens illam dispositionẽ.

Decimo est argumentum. Omnes rationes, quæ probant, vltimam dispositionem ad gratiam iustificantem nõ procedere effectiue ab ipsa gratia, sed solũ ab auxilio actuali præueniẽtis gratiæ, id ipsũ concludũt de habitibus infusis charitatis, & pęnitẽtiæ, ad quos etiã disponit.

Contraria sententia est sine dubio sancti Thomæ, & communis inter eius discipulos, vt patebit infra, quam pro viribus defendere curaui disput. 66. de Auxilijs, & nunc etiam prædictis obiectionibus non obstantibus defendenda est, & explicanda, ac demum occurrẽdum propositis argumentis. Ad cuius euidentiam.

Notan-

VII. Not. 1. Aristot. 2. Phys. tex. 30. *Causæ sunt sibi causæ in diuerso genere causandi.*

Notandum Primo, & supponendum illud commune Axioma ex Aristotele 2. Physicorum text. 30. desumptũ, Causæ sunt sibi causæ in diuersis generibus causarum, quod quidem non solum verificari debet in causis efficientibus, & finalibus, vt contendit Auctor præallegatus, sed etiam in quibuscumque alijs causis; nam illa indefinita propositio, cum doctrinalis sit, æquiualet vniuersali, ac si diceretur, quælibet causa, siue sit efficiens, siue finalis, siue formalis, siue materialis, semper habet aliquam rationem causalitatis, & consequenter prioritatis secundum ordinem naturæ, comparatione aliarum causarum. Cuius ratio est; nam causa, in quantum causa, est prior natura suo effectu: Ergo quælibet causa in suo genere debet antecedere secundum ordinem naturæ alias causas, & earum influxum in effectum. Non enim potest dici, quod forma in genere causæ materialis sit prior, quam materia, in qua recipitur forma; nam hæc causalitas est propria ipsius materiæ nulli alteri causæ conueniens, & idem est proportionabiliter de causa formali, efficiente, & finali. Quælibet enim in suo genere est prior natura alijs causis, etiam si omnes in eodem instanti temporis concurrant ad eundem effectum producendum. Vnde Sanctus Thomas quæst. 9. de veritate articul. 3. ad 6. ait, *quod sicut forma est quodammodo causa materiæ, in quantum dat ei esse actu, quodam vero modo materia est causa formæ, in quantum sustentat ipsam: ita etiam quodammodo ea, quæ sunt ex parte formæ, sunt priora his, quæ sunt ex parte materiæ, quędam vero è conuerso: & quia priuatio se tenet ex parte materiæ, ideo remotio priuationis est prior introductione formæ naturaliter secundum ordinem, quo materia est prior forma, qui dicitur ordo generationis: sed introductio formę est prior illo ordine, quo forma est prior materia, qui est ordo perfectionis, & eadem ratio est de ordine illuminationis, & perfectionis.* Et vt patet quæst. 28. de veritate artic. 7. in corpore illud axioma intelligit vniuersaliter de quocumque genere causæ. Ait enim, *quod in quocumque genere causæ causa naturalis est prior causato; contingit autem secundum diuersa genera causarum idem respectu eiusdem esse causam,*

S. Thom.

&

& causatum, sicut purgatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis; sanitas vero est causa purgationis secundum genus causę finalis: similiter materia causa est formæ aliquo modo, in quantum sustinet formam, & forma est aliquo modo causa materię, in quantum dat materiæ esse actu, & ideo nihil prohibet, aliquid altero esse prius. & ex hoc principio concludit in corpore articuli: *Sic ergo patet, quod simpliciter loquendo secundum ordinem naturæ prior est gratiæ infusio, quam culpę remissio: sed secundum ordinem causę materialis est è conuerso.* Et idem dicit in solutione ad secundum. Et 2. Physic. lectione Quinta littera C. explicans illud Aristot. eodem lib. tex. 30. & 32. *Causę sunt sibi causę*, docet esse intelligendum in quolibet genere causæ. Sic enim ait: *Quædam sunt sibi inuicem causę, secundum diuersam speciem causę, sicut laborare est causa efficiens bonæ habitudinis, bona habitudo est causa finalis laboris. Nihil .n. prohibet aliquid esse prius, & posterius altero, secundum diuersas rationes: finis enim est prius secũdum rationem, sed posterius in esse; agens autem è contra: & similiter forma est prior materia secundum rationem complementi: materia autem est prius quam forma generatione, & tempore in omni eo, quod mouetur de potentia in actum.* Aristot.

VIII. Sotus.

Secundo supponendum est, quod, vt notaui disput. *66.* de Auxilijs num. 8. & obseruauit Magister Sotus 2. physicorum, quæst. 3. hæc est differentia inter causam efficientem, & alias causas, præsertim materialem, quod causa efficiens necessario debet habere actualem existentiam, vt causet; materialis vero prius intelligitur causare, & exercere munus causæ materialis, quam intelligatur esse. Et ratio discriminis est; nam causa efficiens operatur, in quantum est actu; causa vero materialis causat, in quantum est in potentia. Vnde, vt causet, non est necessarium in illo priori naturæ, in quo intelligitur causare, quod præintelligatur, vel intelligatur actu existens, quamuis in eodem instanti temporis simul existat cum causa formali, & existentia totius compositi. Hoc fundamentum auctor præallegatus ait esse falsum etiam in causa materiali maximè propria, quæ est materia; nam etiam illa non potest intelligi

Causa materialis, & formalis, quare possint causare, antequã intelligantur esse.

Suarez cl 12. alleg. num. 30.

cau-

causans, nisi intelligatur existens, & producta ab aliqua efficiente causa; nam licet dicatur causare, vt est in potentia ad formam, non tamen potest causare, nisi, vt est actus secundum actum, quem entitatiuum vocant.

IX. *Materia prima non habet propriam existentiam.*

Sed protectò hæc sententia est contra bonam philosophiam, nam in rebus naturalibus materia; & forma, quæ in esse, & conseruari dependet à materia, nullam habent actualem existentiam propriam, sed existunt formaliter per existentiam totius compositi: Ergo causalitas vtriusque causæ est via ad illud esse, per quod existunt, videlicet ad esse actuale totius compositi: Ergo in illo priori, in quo intelliguntur causare, nondum intelliguntur actu existere. Alias earundem causarum existentia non penderet ab existentia totius compositi, neque existerent formaliter per illam, & consequenter dissoluto composito, materia, & forma retinerent idem esse existentiæ, quod habebant in illo priori, antequam vnirentur, quod tamen est contra principia Philosophiæ.

Materia prima secundum se nullum habet actum entitatiuū, sed est pura potentia

Illud vero, quod ait de actu entitatiuo materiæ, non habet fundamentum; nam id vel intelligitur de actu entitatiuo essentiæ materiæ primæ, quod explicatur per propriam diffinitionem, & hoc non est ad propositum; nam præterquamquod essentiæ rerum creatarum nullam habent existentiam sibi essentialem, & intrinsecam, eo quod habere esse per essentiam est proprietas solius Dei puris creaturis incommunicabilis, essentia propria, & diffinitio materiæ primæ est esse puram potentiam: Ergo secundum suam essentiam nullum includit actum, etiam entitatiuum; alias non esset pura potentia. Si vero intelligatur de actu entitatiuo existentiæ, sicut videtur auctor intelligere, id efficaciter impugnatur argumento facto; nam causalitas materiæ primæ est via ad eius existentiam.

X.

Aliter ergo impugnat auctor nostrum fundamentum; nam quidquid sit de pura, & materiali causa, de dispositione tamen reali est euidentissimum, debere actu existere, antequam causet: nam licet dispositio dicatur reduci ad propriam causam materialem, quatenus præparat subiectum, & ex parte illius se tenet, in re tamen ip-

sa

sa disponit subiectum actuando illud, & dando illi aliquod esse, sicut calor, verbi gratia, disponit lignum calc faciendo illud formaliter: disponit ergo actuando in suo genere: ergo non potest intelligi causa sic disponẽs, nisi intelligatur existens, & consequenter producta, seu iam educta de potentia subiecti.

Hæc tamen obiectio fundamentum positum non euertit; quia solum probat, dispositionem vltimam ad formam, & formam ipsam, ad quam disponit, debere simul existere in eodem instanti temporis: non autem concludit, quod talis dispositio debeat præintelligi cum actuali existentia pro illo priori naturæ, in quo intelligitur causare, seu disponere subiectum ad formam recipiendam; nam prioritas naturæ non est prioritas, in quo res fit, sed prioritas, à quo, id est, prioritas causalitatis in genere causæ materialis, vel formalis, iuxta conditionem causæ.

Notandum tertio, quod dum peccator conteritur de commissis delictis propter Deum summè dilectum, non intercedit ibi duplex actus entitatiuè distinctus: sed vnicus dumtaxat; quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum. Propter quod actus voluntatis, quo quis eligit medium propter finem, est vnicus simplex actus voluntatis, qui formaliter est electio, & virtualiter intensio, vt 1. 2. disp. 42. & quæst. 12. dub. 1. ostensum est. Vnde actus contritionis, quo quis dolet de peccatis propter Deum summe dilectum, est formaliter actus elicitus pœnitentiæ, & virtualiter est actus charitatis, ex qua procedit, quod homo doleat de peccatis suis, vt sunt contra Deum summe dilectum. His suppositis sit *Cõtritio an includat duplicem actum.*

PRima Conclusio. Actus cõtritionis, & charitatis, qui est vltima dispositio ad gratiã iustificantẽ, est vere, & propriè meritorius vitæ æternæ de condigno. Conclusio est expressa Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 112. artic. 2. ad 1. vbi dicit, *quod præparatio hominis ad gratiam habendam, quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ, & talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ iam habetur: sed gloriæ, quæ nondum habetur.* Et ratio id suadet; nam alias sequeretur, quod aliquis adultus iustificatus extra sacramentum, consequeretur vitam XI. *Dispositio vltima ad gratiam iustificantem est meritoria gloriæ de condigno.* S. Thom.

æternam absque proprio merito, per solum meritum Christi, sicut eam consequuntur paruuli, qui cum baptismate ante vsum rationis decedunt, vt si, verbi gratia, ille homo, qui per actum contritionis, & charitatis iustificatus est, moriatur immediatè post instans iustificationis, antequam exerceat aliquem alium actum meritorium. Consequens autem non est admittendum, quia iustificatis extra sacramentum conceditur quidem gloria ratione gratiæ iustificantis, sed mediante opere meritorio. Quod videtur colligi ex Concilio Tridentino sess. 6. de iustificatione Canone 32. vbi diffinitur, hominem iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum fiunt, vere mereri vitam æternam: Ergo.

XII. Hoc argumentum tribus solutionibus conatur dissoluere Auctor preallegatus, quibus fundamentum positũ euertere conatur. Respondet primo, incertum esse, an homo cum iustificatur per vltimam dispositionem ad gratiam, in eodem momento mereatur de condigno gloriam; nam multi id negant, quorum sententia non caret probabilitate. Et ad probationem in contrariũ respondet, esse inefficacem; nam in primis ex illa sententia non sequitur, posse adultum consequi gloriam sine merito; quia cum homo moriatur per vltimum sui esse, necesse est, vt post instans iustificationis aliqua mora temporis viuat, licet breuissima, & tunc per continuationẽ actus poterit mereri de condigno gloriam; etiam si in momento iustificationis illam non mereatur.

Suarez lib. 8. de gratia c. 13. nu. 7.

Respondet Secundo. Etiam si admittatur sequela, nullum est inconueniens, posse aliquem adultum iustificatum sine sacramento consequi gloriam sine merito illius de condigno. Vnde enim probatur hoc esse impossibile? aut esse magis falsum de homine iustificato extra sacramentum, quam in sacramento? Nam Concilium Tridentinum ibi in probationem allegatum, eo quod dicat, hominem iustificatum per bona opera mereri gloriam, non loquitur de homine iustificato extra sacramentum, sed simpliciter de iustificato; & definitio illa non minus in homine iustificato per Sacramentum vera est, quam in alio, vt per se notum est. Et nihilominus,

nus certum est, posse hominem iustificatum per sacramentum consequi gloriam sine merito, vt patet in homine attrito, & bene disposito, qui baptizatur dormiens, si statim occidatur: Ergo idem esse poterit in iustificato sine sacramento, quantum est ex doctrina Concilij. Addit etiam definitionem Concilij non esse de personis: sed de operibus bonis iustificatorum, & illa definit esse meritoria gloriæ. An vero omnes iustificati, qui saluantur, prius habeant talia opera, Concilium non definit. Potest autem quis dicere, contritionem primam, vt sic, non esse bonum opus hominis iustificati, sed hominis ad iustificationem tendentis, & ideo non esse meritoriam gloriæ; nam ipsum Concilium declarat, bona opera iustificati hominis esse, quæ ab ipso, vt viuo Christi membro, per Dei gratiam fiunt, quod propriè videtur conuenire solis operibus, quæ consequuntur iustificationem, & fructus iustitiæ dicuntur.

Tertio respondet admittendo, primam cōtritionem esse meritoriam de condigno gloriæ in eodem temporis momento, non tamen in primo signo naturæ, in quo disponit ad gratiam, & adhuc informis intelligitur: sed in posteriori signo, in quo formata per gratiam intelligitur, etiam si non sit per eandem gratiam effecta: hæc enim duo diuersa sunt, & vt actus ille per gratiam formetur, non est necesse, vt à gratia, tanquam à principio efficiente procedat, sed satis est, vt sit in homine grato; nam ex dignitate personæ statim moralem quandam dignitatem consequitur, ratione cuius formata esse dicitur. Neque D. Thomas in loco ibi allegato, neque in aliquo alio dixit, actum meritorium de condigno debere elici ab habituali gratia, tanquam à physico efficienti principio: sed tantum dixit, debere esse à gratia, tanquam à principio merendi, quod esse potest per solam moralem informationem sine physica efficientia. XIII.

XIV. *Adultus extra Sacramentum iustificatus nunquam gloriam consequitur, nisi per proprium actum meritorium.*

Sed priores duæ solutiones facile impugnantur. Prima quidem, quia nullus cōsequitur gloriam, nisi per proprium meritum, aut per solum meritum Christi domini per aliquod Sacramentum sibi applicatum, sicut eam cōsequuntur paruuli decedentes cum solo baptismo: sed ille homo in casu posito non cōsequitur gloriam per so-

lum meritum Christi sibi applicatum per aliquod sacramentum; quia (vt supponitur) nullum sacramentum in re suscepit, cuius virtute iustificaretur, & immediate post instans iustificationis mortuus est: Ergo consequitur gloriam per meritum proprium: Ergo contritio, quæ fuit vltima dispositio ad gratiam iustificantem, fuit meritoria vitæ æternæ. Probatur consequentia; quia (vt supponimus) nullum alium habuit actum meritorium, post iustificationem. Nec satis est respondere, quod per continuationem eiusdem actus contritionis, qui non potest durare solum per instans, potuit ille homo vitam æternam mereri; nam si ille actus contritionis pro eo instanti temporis, in quo est gratia iustificãs, non est meritorius vitæ æternæ, per solam continuationem non efficitur meritorius, quia meritum, quod fundatur in continuatione alicuius actus, supponit necessario, actum illum fuisse meritorium in primo instanti tẽporis, in quo elicitur; nam continuatio sola non addit actui aliquid, per quod primo incipiat esse meritorius. Accedit quod homo non desinit esse per vltimum sui esse, vt arguens supponit, sed per primum non esse, vt probat S. Tho. 1. 2. q. 113. ar. 7. ad 5. Ergo in ipso instanti mortis verum est dicere, Nunc non est homo, & immediate ante fuit: sed illud immediate ante fuit primum instans intrinsecum iustificationis, nam gratia incipit esse in anima per primum sui esse, vt loco allegato dicit S. Thomas: Ergo potuit contingere, quod homo per vnicum tantum instans intrinsecum fuerit in gratia: sed actus charitatis, & contritionis existens in eodẽ instanti est meritorius vitæ æternæ, vt supra ostẽsum est: Ergo ille homo iustificatus extra Sacramentũ consequitur gloriam per proprium meritum. Si dicatur, hominem mori per vltimum sui esse, vt auctor supponit, quod tamen vera philosophia non admittit: Ergo potuit esse in gratia per vnicum solum instans intrinsecum eidem gratiæ, & contritioni; nam gratia incipit esse in anima per primum sui esse, vt dictum est: Ergo vltimum esse intrinsecum vitæ hominis erit etiam primũ esse ipsius gratiæ. Cum ergo post mortem nullus actus hominis iusti sit meritorius, relinquitur, quod in casu po-

Homo an moriatur per vltimũ sui esse.

sito

sito ille homo nullum habuerit proprium actum meritorium, nisi actum contritionis, pro vt extitit in primo instanti iustificationis.

XV.

Secunda etiam solutio videtur minus sufficiens; nam Sanctus Thomas loco superius allegato expresse loquitur de contritione, quæ est vltima dispositio ad gratiam; pro vt existit in eodem instanti iustificationis. Et similiter sacrum Concilium Tridentinum verificari debet de ipsa contritione, per quam peccator disponitur ad infusionem gratię; quia re vera talis contritio est actus elicitus ex auxilio gratiæ ab homine iusto; nam cum primum infunditur illi gratia habitualis, efficitur ex peccatore iustus, & ex filio iræ filius Dei, vt dicit sacrum Concilium Tridentinum: Ergo actus contritionis, qui elicitur in eodem instanti iustificationis, est verè, & propriè opus bonum hominis iusti: Ergo secundum Concilium idem opus est meritorium vitę æternę: Ergo qui iustificatur per contritionem extra sacramentum, si immediate post iustificationem moriatur, cōsequitur gloriam per meritum proprium Nec obstat id, quod obijcitur de homine, qui iustificatur per sacramentum cum sola attritione; nam attritio illa non fuit opus hominis iusti, sed peccatoris, cum antecesserit tempore instans iustificationis. Et cum arguitur, illam contritionem esse hominis ad iustificationem tendentis, & ideo non esse hominis iustificati, nec meritoriam gloriæ; respondetur, quod dupliciter homo impius potest ad iustificationem tendere. Primo per opera pietatis tempore antecedentia instans iustificationis; & huiusmodi opera non sunt hominis iustificati, nec meritoria vitæ æternæ. Secundo potest dici aliquo modo tendere ad iustificationem, per opus pium, quo vltimate disponitur ad iustificationem, quod quidem opus est in eodem instanti temporis, quo infunditur gratia iustificans; & huiusmodi opus est verè hominis iusti, & licet in genere causæ materialis sit opus tendentis ad iustificationem, seu disponentis se vltimate ad eandem iustificationem, in genere tamen causæ formalis, & efficientis sequitur ipsam iustificationem.

Occurritur obiectioni.

Obiectio.

Solutio.

Vnde

Vnde secundum quod in genere causæ formalis, & efficientis sequitur iustificationem ipsam, est cum omni proprietate meritorium vitæ æternæ; quia sub hac ratione informatur gratia, & charitate. Quamuis enim gratia iustificans immediatè per se ipsam non sit causa efficiens actus contritionis, vel charitatis, nihilominus mediantibus habitibus, qui simul cum illa infunduntur, est causa efficiens eorundem actuum; sicut in naturalibus essentia operatur mediantibus potentijs sibi connaturalibus.

XVI. Tertia solutio confirmat nostram sententiam. Hoc enim ipsum est, quod intendimus, videlicet, contritionem illam, quatenus in genere causæ formalis, & efficientis sequitur ad infusionem habitualis gratiæ, & charitatis, esse meritoriam vitæ æternæ; quamuis sub illa præcisa ratione, qua in genere causæ materialis antecedit ordine naturæ infusionem eiusdem gratiæ, & charitatis, non sit meritoria vitæ æternæ.

Dispositio vltima ad gratiam habitualem procedit effectiuè ab eadem gratia. Caietan. Conrad. Medina. Ferrariens. Sotus. Canus. P. Vasquez. P. Valentia.

Secunda Conclusio. Actus contritionis, qui est vltima dispositio ad iustificantem gratiam, procedit efficienter ab ipsa gratia, & charitate habituali, & ab habitu infuso pœnitentiæ. Hanc Conclusionem pluribus rationibus probaui disputat. 66. de Auxilijs, quam etiam defendunt multi graues Doctores, inter quos est Caietanus, Conradus, & Medina 1. 2. q. 113. art. 6. & 8. Ferrariensis tertio contra Gentes cap. 153. num. 12. Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 18. & in 4. sententiarum distinct. 14. q. 2. & distinct. 17. q. 2. art. 5. Canus in relect. de pœnitent. part. 1. §. Ad secundum: & inter recentiores Theologos, illam sequuntur P. Vasquez 1. 2. disput. 211. per totam, & P. Valentia in secundo Tomo, disput. 8. q. 3. & 5. punct. 4. Et probatur ex fundamentis positis. Illa contritio est meritoria vitæ æternæ, vt in tertio fundamento ostensum est: sed non esset meritoria, nisi procederet à gratia, & charitate, vt constat ex dicto fundamento: Ergo procedit ab habituali gratia, & charitate, atque ab habitu pœnitentiæ per se infusæ.

XVII. S. Thom. Secundo probatur, vt docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 113. art. 8. in corpore, & q. 29. de veritate art. 7. cap.

Quam

Quamuis illa quatuor ad iustificationem requisita, videlicet infusio gratiæ, motus liberi arbitrij in Deum per actum dilectionis, & motus liberi arbitrij in peccatum, & remissio culpæ, *tempore quidem sint simul*, & se inuicem præcedant ordine naturæ secundum diuersum genus causæ; nihilominus infusio gratiæ est simpliciter, & absolute prior ordine naturæ, nam tenet se ex parte agentis: *in quolibet autem motu naturaliter primum est motio ipsius mouentis, secundum autem est dispositio materiæ, siue motus ipsius mobilis, vltimum vero est finis, vel terminus motus, ad quem terminatur motio mouentis.* Sed motio Dei mouentis est gratiæ infusio, vt docet idem Sanctus Doctor art. 6. eiusdem quæstionis, ad quem se remittit. Motus autem, vel dispositio mobilis est motus liberi arbitrij in Deum per dilectionem, & in peccatum per detestationem: terminus autem, vel finis motus est remissio culpæ. Ergo inter hæc omnia simpliciter, & absolute prior est gratiæ infusio (gratiæ, inquam, habitualis, & charitatis, de hac enim loquitur Sanctus Thomas) quam sit actus contritionis, & charitatis: Ergo talis contritio procedit effectiuè à gratia habituali, & ab habitu pœnitentiæ seu charitatis infusæ: omnes enim hi habitus infunduntur simul cum gratia.

Actus pręrequisiti ad iustificantē gratiam qualiter se inuicem pręcedant.

XVIII. Confirmatur hoc argumentum ex illo 1. Ioan. 4. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, quibus verbis significatur, Deū causare in nobis gratiam, & charitatem, per quam nos diligamus Deum prius, quam nos ipsum diligamus. Est enim maximè notanda differentia, quam tradit Sanctus Thomas inter amorem Dei, & amorem creaturæ; quod amor Dei non supponit in nobis, sed potius causat bonum, quod amat, & per quod creatura constituitur obiectum dilectionis diuinæ. Cæterum Creatura supponit in obiecto bonum verum, vel apparens, quod amat. Ex qua differentia tale desumitur argumentum. Per solam gratiam, & charitatem habitualem efficitur homo simpliciter, & absolute obiectum diuinæ dilectionis supernaturalis; etenim etiam si habeat fidem, & alia dona, quæ remanent in peccatore sine gratia, & charitate, non potest dici simpliciter, & absolute

1. Ioan. 4.

S. Thom. 1. par. q. 20. art 2. in corp.

Amor Dei, non præsupponit bonitatē in creaturis, sicut noster amor, sed illam causat.

solute obiectum diuinæ dilectionis supernaturalis, neque affirmari, quod Deus illum diligat simpliciter, & absolute amore supernaturali, sed solum secundum quid: nam talis amor non compatitur simul cum odio, quo Deus prosequitur peccatorem, quandiù est in peccato mortali: Ergo prius est ordine naturæ, quod Deus diligat hominem infundendo illi gratiam, & charitatem habitualem, quam quod homo diligat Deum, & detestetur peccatum propter Deum.

Prima explicatio

Respondet, tripliciter explicando testimonium Ioannis. Prima explicatio est, quod non intelligitur de dilectione, qua nos diligit Deus gratiæ habitum infundendo, sed ad literam loquitur Ioannes de illa maxima dilectione, & charitate Dei erga nos, quæ in hoc apparuit (vt inquit) quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Quæ charitas inde maior ostenditur, quod non fuit ex meritis nostris, sed ex pura Dei benignitate. Et hoc est, quod ait, *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum*, vtique, & propterea nobis filium suum vnigenitum dederit, sed quoniam prior ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

Ioannis testimonium, ipse prior dilexit nos, expenditur. 1 Ioann 4 Ioann. 3.

Secunda explicatio

Secunda explicatio est, posse etiam verba illa ad dilectionem prædestinationis, & dilectionis, qua prius nos dilexit, quam illum dilexerimus, applicari.

Tertia explicatio

Tertia explicatio est, quod licet applicentur verba illa ad iustificationis ordinem, non oportet intelligi de dilectione Dei per infusionem gratiæ habitualis, sed de dilectione, qua nos congruè vocat, & præuenit, vt ad illum conuertamur. Hæc enim est prima dilectio Dei erga peccatorem in ordine executionis, vt sic dicam, & ex illa sequitur, vt homo diligat Deum conuertendo se ad ipsum, & inde subsequitur conuersio Dei ad hominem per dilectionem. Et in hoc sensu allegat Augustinus locum illum in libro de gratia Christi cap. 26. & sæpe alias, & Prosper Epistola ad Ruffinum.

Augustin. Prosper.

XIX. Sed tamen nulla explicatio ex prædictis satisfacit argumento nostro, quod quidem non solum probat, Deum prius nos dilexisse, eo quod filium suum vnigenitum misit in mundum, aut quod electos suos prædestinauit,

nauit, priusquam nos diligeremus Deum; nec ex ea solum ratione, quia tribuit ex mera misericordia absque nostro merito præuenientem vocationem congruam, quam ipsi appellant efficacem, vt ad illum conuertamur: sed etiam quoniam absque nostro merito, priusquam nos diligeremus illum, infundit nobis gratiam iustificantem, & charitatem habitualem. Quin imò in hoc relucet maxime dilectio Dei supernaturalis circa peccatores, quoniam ex inimicis effecit illos amicos suos, & vasa iræ in vasa misericordiæ conuertit. Non enim dicitur Deus diligere hominē simpliciter, & absolute supernaturali amore, saltem secundum Præsentem iustitiam, nisi gratiam iustificantem, & charitatem in illo causet. Quod aperte colligitur ex differentia, quæ reperitur inter voluntatem Dei, & nostram, & inter amorem vtriusque. Nam, vt 1. p. q. 20. art. 2. in corpore ait Sanctus Thomas, cum amare nihil aliud sit, quam velle bonum alicui, manifestum est, quod Deus omnia, quæ sunt, amat: non tamen eo modo, sicut nos. Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea mouetur, sicut ab obiecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius: sed è conuerso bonitas eius, vel vera, vel æstimata prouocat amorem, quo ei volumus & bonum conseruari quod habet, & addi quod non habet; & ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens, & creans bonitatem in rebus. Ergo amor, quo Deus nos diligit, causando in nobis gratiam, & charitatem habitualem, per quam efficimur obiectum diuinæ dilectionis supernaturalis, non præsupponit actum dilectionis, quo nos prius dilexerimus Deum: sed potius per eandem gratiam, & charitatem causat in nobis, & per nostrum liberum arbitrium gratia informatum eandem dilectionem, & contritionem ex illa procedentem, quæ est vltima dispositio ad gratiam. Licet enim electos semper amet Deus, secundum æternam prædestinationem, quæ immutabilis est: nihilominus, quandiù sunt in peccato mortali, non eos diligit simpliciter amore supernaturali, secundum præsentem iustitiam, quantumuis causet in illis fidem, & alia auxilia, quæ cum peccato mortali compatiuntur

Prima. & secunda explicatio reijcitur.

Tertia explicatio impugn.

S. Thom.

simul:sed potius eos odio habet, quamuis secundũ quid eos diligat amore supernaturali, quatenus causet in illis fidem,& alia auxilia, quæ cum peccato mortali compatiuntur.

XX. Concil. Arausic. Tertio probatur conclusio ex Concilio Arausicano secundo, Canone 18. vbi sic dicitur: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Quę verba necessario intelligenda sunt de gratia iustificante, sine qua opera esse non possent meritoria. Etenim, vt merces debeatur bonis operibus, non sufficit, quod procedant ex actuali auxilio præuenientis gratię; alias opera, quibus remotè disponitur peccator ad iustificationem, & similiter contritio sub ea ratione, qua in genere causæ materialis pręcedit infusionem gratiæ iustificantis, essent meritoria vitę æternę, quod & contra veritatem est, & contra doctrinam auctoris. Et Canone 25. in principio ex eo probat, dilectionem esse donum Dei, quia ipse dedit nobis, vt eum diligeremus, qui charitatem diffudit in cordibus nostris. Rom. 5. Quæ verba, cum loquantur de proprio merito de condigno, cui propria merces respondet, vt Auctor admittit, etiam de charitate habituali, quę simul cum gratia iustificante infunditur, intelligenda sunt.

Alia Euasio. Nec satisfacit solutio illa auctoris asserentis, si verba illa intelligantur de proprio merito de condigno, vnum de duobus dicendum esse, videlicet, quod tale meritum in prima contritione non inuenitur, vel si aliquod ei tribuitur, non conuenit illi, vt est dispositio ad gratiam, sed vt in eodem instanti per gratiam informatur, quę informatio non est per efficientiam, sed per solam habitudinem ad personam gratam, quæ in alio actu in posteriori signo naturæ resultat ex sola sanctificatione personæ. Impugn. Hęc enim solutio partim impugnata est supra: partim consentit cum nostra sententia: partim ab illa differt. Et quidem, quod illa vltima dispositio ad gratiam sit meritoria vitæ æternæ, iam in tertio fundamẽto probatum est, & ostensum, id negari non posse, vt cõuincunt rationes ibi adductæ. Quod vero ait, contritionem illam, vt ordine naturæ antecedit gratiam iustificantem, quatenus est dispositio ad illam, sub hac præcisa

cisa ratione meritoriam non esse vitę æternæ: sed vt in eodem instanti temporis per gratiam iustificantem informatur, conuenit cum nostra sententia, hoc enim & nos fatemur, vt dictum est supra. Sed in hoc est differentia inter nos, & illum, quia in nostra sententia illa informatio esse non potest, nisi talis contritio procedat efficienter à gratia iustificante mediantibus habitibus infusis charitatis, seu pœnitentiæ; nam talis informatio saluari non potest per solam habitudinem ad personam iustam, absque eo quod gratia, & charitas habeant aliquem influxum in eandem contritionem, qui necessario debet esse influxus causæ efficientis. Quod ex eo patet, nam sola concomitantia charitatis, & gratiæ habitualis non sufficit, vt actus elicitus ab homine iusto sit meritorius vitæ æternæ: sed necessario requiritur, quod formaliter, aut virtualiter referatur in Deum, tanquam in vltimum finem supernaturalem, vt docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 4. & quæst. 2. de malo art. 5. ad 7. & 11. & in primo sententiarum dist. 40. quæst. 1. art. 3. ad 6. & Caietanus 1. 2. quæst. 63. art. 6. Et ratio id suadet; nam absque tali relatione actus, quantumuis aliàs ex obiecto sit bonus, dicitur, & est informis, sicut & fides, quæ manet in peccatore. Et confirmari potest; nam alias si homo iustus solis viribus naturæ ex sola pietate naturali det paruam eleemosynam pauperi petenti, talis actus esset meritorius vitæ æternæ, etiam si per charitatem non ordinetur formaliter, aut virtualiter in finem supernaturalem. Probatur hoc; nam est actus hominis iusti, & alias bonus ex obiecto: consequens autem est falsum, nam actus meritorius vitæ æternæ procedere non potest ex solis viribus naturæ.

S.Thom.

Caietan.

XXI. Quarto probatur ex illo communi principio Philosophiæ superius in primo fundaměto stabilito, Causæ sunt sibi causæ in diuersis generibus causarum: Ergo calor vt octo, & forma ignis, verbi gratia, possunt sibi inuicě esse causæ in diuerso genere causandi; ita nimirum, vt calor sit causa formæ ignis in genere causę materialis, seu dispositiuæ, & consequenter prior ordine naturæ in hoc genere causandi; forma vero ignis sit causa caloris

in genere causæ efficientis, & consequenter in hoc genere causæ, imò & simpliciter loquendo, sit prior quàm idem calor, quod expresse docet Sanctus Thomas 3. par. quæst. 7. art. 13. in solutione ad 2. argumentum. Vbi ait, *quod sicut dispositio in via generationis praecedit perfectionem, ad quam disponit in his, quæ successiuè perficiuntur: ita naturaliter perfectionem sequitur, quã aliquis consecutus est. Sicut calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam praexistentis.* Ergo idem proportionabiliter dicendum est in præsenti de gratia, & charitate habituali, & contritione, quæ est vltima dispositio ad eiusdem gratiæ, & charitatis infusionem. Respondet Auctor, Diuum Thomam ibi non loqui de eodem numero calore, sed de duobus, qui propter immediatam successionem per modum vnius nominatur; & ita vnus est calor, qui fuit dispositio præuia, & non procedit effectiuè à forma ignis, & alius calor est dimanans ex forma ignis, qui simpliciter est posterior natura, & nullo modo forma prior. Hæc tamen explicatio, præterquam quod est contra contextum Sancti Thomæ, tum in eodem loco, tũ etiam in alijs allegatis superius, vbi illud Axioma Philosophi exemplificat in omnibus quatuor generibus causarum, nulla ratione probat alium esse numero calorem, vt octo, qui est vltima dispositio ad formam ignis, alium vero esse calorem, qui effectiuè procedit à forma ignis. Etenim si hoc esset verum, assignanda esset causa, quæ corrumperet calorem illum, qui est vltima dispositio ad formam ignis; nam duo calores solum numero differentes non possunt simul esse in eodem subiecto: sed nulla potest assignari causa, per quam corrumpatur calor ille, qui est vltima dispositio: eius enim corruptionis esse non potest causa forma ignis, quæ introducitur; quia nullam habet contrarietatem cum calore illo, vt octo: sed potius ille calor, vt octo, est connaturalis formæ ignis: nec etiam potest corrumpi, vel expelli à calore, vt octo, qui procedit effectiuè à forma ignis propter eandem rationem, quia simile non agit in sibi simile, nec illud corrumpit, sed potius fouet, nam corruptio, vel expulsio vnius formæ fieri non potest, nisi ab agente indu-

S. Thom.

Suarez eod. c. 13. num. 12.

Calor, vt octo, qui est vltima dispositio ad formam ignis permanet in ipso igne.

inducente formam contrariam: Ergo impossibile est, quod calor disponẽs vltimo materiam ad formam ignis, & calor, qui effectiuè procedit à forma ignis, sint duo calores numero differentes: Est ergo vnus numero, & idem calor, qui in genere causæ materialis, & dispositiuæ est prior ordine naturæ, quam forma ignis: in genere vero causæ efficientis, vel formalis est posterior ipsa forma, quæ introducitur. Idem ergo proportionabiliter dicendum est de vltima dispositione ad gratiam habitualem, & de ipsa gratia, quæ infunditur; quod nimirũ cõtritio illa in genere causæ materialis est prior, quam gratia iustificans; sed in genere causæ efficientis, vel formalis gratia ipsa est prior secundum ordinem naturæ, quamuis simul sint in eodem instanti temporis. Hæc autem omnia patebunt amplius ex solutionibus argumentorum.

XXII.

AD primum argumentũ respondetur, quod in diuerso genere causæ vtraq; causalis vera est. Si enim illa causalis importet genus causæ materialis, & dispositiuæ, illa propositio est vera: Quia peccator est contritus, infunditur illi gratia habitualis, & charitas. Si vero importet genus causę formalis, vel efficientis, illa causalis est vera: Quia Deus infũdit homini gratiam habitualẽ, & charitatem, ideo elicitit actũ contritionis; nam Deus infundendo habitum gratiæ, & charitatis, mouet simul liberum arbitrium in Deum per actum amoris, & in peccatum per actum detestationis, & contritionis, vt supra dictum est.

Causalis ista: Deus infundit gratiam peccatori; quia conteritur: in quo sensu vera sit.

Ad Confirmationẽ respondetur, quod visio beatifica non est dispositio præuia, nec vltima, vt infundatur beato lumen gloriæ; nã ad infusionẽ eiusdẽ luminis præparatur homo in via per gratiã inchoatã, & per merita propria, aut vero Christi Domini sibi applicata per aliquod Sacramentum cum perseuerantia in eadẽ gratia vsque in finẽ. Gratia vero iustificans prærequirit contritionẽ tanquam dispositionẽ vltimam ad infusionẽ eiusdẽ gratiæ. Vnde non est simile. Est & alia differentia; nam per gratiam iustificantem remittitur peccatum mortale, quodcumque illud sit, vnde ad infusionem illius necesse est, vt homo per actum charitatis auertatur à creatura,

Visio beatifica non est dispositiuo ad infusionem luminis gloriæ, & quare.

tura, & conuertatur in Deum, tanquam in finem vltimum, & per contritionem doleat de peccatis propter Deum summè dilectum; quia sicut per proprium actum voluntarium se auertit à Deo, tanquam ab vltimo fine, & conuertit ad bonum commutabile: ita oportet, vt per liberum actum proprium se auertat à bono commutabili, & conuertat in Deum dolendo de peccatis commissis propter Deum summe dilectum, & per hos actus disponitur proxime ad infusionem iustificantis gratiæ, & sub ratione dispositionis præcedunt gratiam in genere causæ materialis: sed in quantum sunt meritorij vitæ æternæ procedunt à gratia, & charitate infusa, & sub hac ratione gratia iustificans est prior, vt supra dictum est: hæc autem locum non habent in exemplo posito de actu visionis beatificæ, & infusione luminis gloriæ, & in alijs exemplis consimilibus.

XXIII. Ad secundum argumentum respondetur, exemplum illud de primo auxilio excitanti, aut prima vocatione non habere similitudinem cum re, de qua procedit disputatio, sed esse longe diuersum; nam ad primam vocationē nulla prerequirit præparatio, sed dispositio tenēs ex parte liberi arbitrij: nam talis dispositio non potest procedere ex solis viribus naturæ alias; initium primæ gratiæ actualis, & primæ vocationis constitueretur in natura, quod est Pelagianum. Nec etiam potest procedere ex auxilio præuenientis gratiæ; nam ante primam vocationem nullum aliud præsupponitur auxilium præuenientis gratię; alias daretur processus in infinitum, & illa vocatio, quæ dicitur prima, non esset simpliciter prima; nam ante illam daretur alia eiusdem ordinis: cæterum ante infusionem gratiæ iustificantis præsupponuntur alia plura auxilia prçuenientis gratiæ actualis, quibus tum remotè, tum etiam proximè potest peccator disponere se ad infusionem gratię iustificantis. Vnde non est simile. Est & alia differentia; nam gratia habitualis est forma perfecta, & permanens, per quam eleuatur homo ad esse supernaturale, & ideo subiectatur immediatè in essentia animæ. Vnde exigit præuias dispositiones, vt recipiatur in subiecto. Cęterum prima vocatio non est hoc modo forma perfecta,

Ad vocationem primam nulla præsupponitur preparatio ex parte arbitrij creati.

cta, & permanens; transit enim cum ipso actu, ad quem excitat. Vnde nullam aliam prærequirit dispositionem: sicut etiam in naturalibus forma substantialis ignis præsupponit in materia præuias dispositiones, vt introducatur in illam, quia est forma perfecta: dispositiones autem præuiæ, non requirunt alias dispositiones. Calor enim, qui est dispositio ad formam ignis, non prærequirit aliam dispositionem, vt disponat materiam ad formam ignis; alias daretur processus in infinitum.

Ad Tertium respondetur similiter, Argumentum illud, quod ex testimonio Apostoli, Sancti Augustini, & aliorum patrum deducunt, non procedere in gratia iustificante, & vltima dispositione propter differentiam in solutione præcedenti assignatam; etenim cum diuina electio, & prædestinatio sit æterna, & omnino gratuita, & non subiectetur in creatura prædestinata, sed solum sit in Deo prædestinante, fieri non potest, vt ex parte creaturæ præsupponatur aliquid, ratione cuius prædestinetur à Deo ad finem supernaturalem, præsertim cũ omnia auxilia, & dona, per quæ ad eundem finem perducitur, pendeant ex ipsa prædestinatione, tanquam ex prima causa efficiente. Vnde ex illa propositione Apostoli: *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*, rectè infert Sanctus Augustinus contra Palagium, istam causalem esse falsam: Elegit nos Deus ante mundi constitutionem, quia futuri eramus sancti, vel quia præuidit nos esse futuros sanctos per liberæ voluntatis arbitrium; nam ex hac propositione sequitur, prædestinationem ad gloriam pendere ex præuisis meritis naturæ, quod est hæresis Pelagij. At vero gratia habitualis est forma perfecta inhærens homini iusto, cum per illam formaliter efficiatur iustus, vt ex Tridentino constat, & Deus infundendo gratiam habitualem, simul in eodem instanti disponit subiectum ad eius receptionem mouendo liberum arbitrium ad actũ contritionis, vt dictum est. Vnde in diuerso genere causæ contritio, & gratia iustificans se inuicem præcedunt, vt ex præmissis constat. Quare illud exemplum non videtur ad propositum nostræ disputationis. Et ad probationem consequentiæ respondetur, quod particula, vt, multoties

[Margin notes: XXIV. S.August. — *Ad prædestinationẽ æternam nulla præ intelligitur, nec præsupponitur præparatio ex parte nostra.* — Ephes. 1. — Concil. Trident.]

tem intelligi non potest, vt supra ostensum est.

Ad Quintum respondetur, quod Deus infundit gratiam iustificantem intuitu contritionis, in quantum est vltima dispositio ad gratiam, & sub hac ratione præcisa procedit à libero arbitrio à Deo excitato, & adiuto per auxilium actuale præuenientis gratiæ: sed sub alia ratione eadẽ numero contritio, vt meritoria vitæ ęternæ, procedit à gratia, & charitate, à qua informatur, vt dictum est.

Gratiam iustificantẽ qualiter infundat Deus intuitu cõtritionis

XXVI.

Intensio maior act. charitatis supra habitum præexistentem non procedit effectiuè ab habitu augmentato.

Ad Sextum negatur consequentia, & ratio discriminis est. Nam augmẽtum habitus præexistentis est terminus meriti intensioris actus, per quem homo disponitur ad augmentum habitus; nam per actum intensiorem meretur homo augmentum habitus præexistentis. Vnde illa maior intensio actus supra habitum præexistentem non potest procedere effectiue ab augmento eiusdem habitus. Implicat enim, quod idem respectu eiusdem simul sit principium effectiuum meriti, & terminus meriti. Vnde actus ille intensus procedit effectiue ab habitu remisso præexistente, & auxilio actuali præuenientis gratiæ ita intenso, sicut est habitus post illud augmentum. Verbi gratia habens habitum charitatis, vt quatuor, prorumpit in actum charitatis intensum, vt octo, per quem meretur, vt habitus præexistens fiat intensus, vt octo: in hoc casu actus intensus, vt octo, procedit efficienter à libero arbitrio adiuto per habitum præexistentem intensum, vt quatuor, & simul ab auxilio actuali intenso, vt octo, quod quidem auxilium supplet vicem habitus intensi, vt octo. Cæterum prima gratia, & charitas iustificans non est terminus meriti ipsius contritionis. Nam per contritionem non meretur homo, præsertim de condigno, gratiam iustificantem, quæ vtique gratis datur. Vnde eadem contritio potest procedere effectiue ab ipsa gratia iustificante, ad quam disponit.

XXVII.

Actus virtutis acquisitæ, per quos generatur habitus, non procedunt effectiuè ab ipso habitu.

Ad Septimum negatur consequentia. Nam actus virtutis acquisitę producunt effectiue habitus acquisitos per eosdem actus. Vnde procedere non possunt ab eisdem habitibus effectiuè, nam est impossibile, quod idem respectu eiusdem sit causa, & effectus in eodem genere causæ:

causæ: veruntamen per actum contritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam iustificantem, non producitur effectiuè gratia ipsa iustificans. Hæc enim solum pendet effectiuè à Deo, sicut & alij habitus supernaturales: sed solum per eandem contritionem disponitur homo ad ipsam gratiam iustificantem. Vnde ex eo quod procedat effectiue ab eadem gratia, & charitate iustificante, non sequitur, quod idem respectu eiusdem simul sit causa, & effectus in eodem genere causæ, sed solum in diuerso genere, vt dictum est. Vnde non est simile.

Ad causã solam efficientẽ prærequiritur, quod existat antequã causet.

Ad Octauum respondetur ex dictis in secundo fundamento, ad solam causam efficientem esse necessarium, quod existat, antequam causet; ad causam autem materialem, & formalem non est necessarium, quod intelligantur existere in illo priori naturæ, in quo causant; nã prioritas naturæ non est prioritas in quo, sed à quo. Vnde sufficit, quod existant in eodem instanti temporis, vt in eodem fundamento expositum est.

Ad Confirmationem respondetur, quod filius producitur effectiuè à proprio patre, & auo, & ideo non potest esse causa efficiens patris, vel aui propter rationem iam factam, quia idem respectu eiusdem non potest simul esse causa, & effectus in eodem genere causæ. Contritio autem, & gratia iustificans non sunt sibi inuicem causæ in eodem genere causæ, sed in diuerso, vt dictum est. Vnde non est simile.

Ad Nonum respondetur, actum contritionis perfectæ radicaliter quidem procedere à gratia habituali, proximè vero à potentijs eleuatis per habitus infusos charitatis, & pœnitentiæ, sicut in naturalibus operationes procedunt radicaliter ab essentia, proxime vero à potentijs operatiuis. Nam essentia non operatur, nisi medijs potentijs. Ad impugnationem concedimus libenter, actum contritionis, & charitatis esse vltimam dispositionem, non solum ad infusionem gratiæ iustificantis, sed etiam consequenter ad infusionem habitus charitatis, & pœnitentiæ, vt argumentum probat: sed ex hoc male infertur, quod non procedat efficienter ab ipsis habitibus infusis, nam in diuerso genere causæ possunt se inuicem præcedere, vt superius dictum est de cõ-

tritione

tritione, & gratia habituali. Et per hæc patet ad confirmationem. Et similiter dicendum ad decimum argumentum. Videatur Medina 1. 2. quæst. 113. art. 8. §. Ad 2. vbi etiam optimè explicat qualiter actus contritionis sit effectus habitus pœnitentię, & vltima dispositio ad infusionem eiusdem habitus. Medina.

CAPVT XV.

Ostenditur iuxta sententiam Sancti Thomæ, & legitimum eius sensum, vltimam dispositionem ad infusionem gratiæ habitualis effectiuè procedere ab ipsa gratia.



Auctor capite præcedenti pro prima sententia allegatus pro comperto habet, Sanctum Thomam nunquam docuisse contritionẽ, quæ est vltima dispositio ad gratiam habitualem, effectiue procedere ab eadem gratia: sed potius contrarium tenuisse, & miratur discipulos Sancti Thomæ mẽtem illius assequutos non fuisse. Probat suam sententiam multis locis Sancti Thomæ.

I. Suarez lib. 8. de gratia cap. 14. num. 1. & sequent.

Primus locus habetur prima secundę quęstione 109. articulo sexto, vbi tractans de dispositione, qua anima proxime præparatur ad bene operandum, hac distinctione vtitur; quia duplex (inquit) est præparatio voluntatis: Vna, qua præparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendum, & talis præparatio voluntatis non potest fieri, nisi per habitum, qui sit principium bene operandi. Alia vero pręparatio voluntatis est ad consequendum ipsum habitualis gratiæ donum, & ad hoc non oportet supponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet supponere aliquod speciale Dei auxilium mouentis animam ad bonum.] Quibus verbis aperte docet,

huiusmodi præparationem non esse ab habitu, sed ab auxilio.

S. Thom. Secundus locus habetur 1. par. quæst. 62. art. 2. vbi tradens eandem doctrinam, cum in corpore docuisset, Angelos indiguisse auxilio gratiæ ad primam conuersionem in Deum, in solutione ad tertium declarans quale sit hoc auxilium, ait: Tertia conuersio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia: sed operatio Dei ad se animam conuertentis.]

S. Thom. Tertius locus & notandus est in 3. par. q. 85. artic. 1. ad 2. vbi sic inquit: Actus primus pœnitentis se habet vt vltima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio; alij vero sequentes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia, & virtutibus.] In qua partitione vniuersalis propositio exceptiua virtute continetur, scilicet, Omnes actus pœnitentiæ hominis iusti procedunt à gratia, & virtutibus præter actum primum, qui est vltima dispositio ad gratiam: Ergo ex sententia D. Thomæ ille actus primus non est ex gratia, ac subinde non fit ab illa effectiuè. Vnde infert, Sanctum Thomam ex eo, quod ille actus primus est vltima dispositio ad gratiam consequendam, tacitè inferre, illum non esse ex gratia, quia ante illam, ac subinde sine illa factus, & existens supponitur. Nam propterea de solis sequentibus actibus docet, à gratia, quam iam supponunt, procedere.

11. S. Thom. Quartus est satis apertus locus habetur 2. 2. q. 24. art. 3. vbi D. Thomas quærit, an charitas infundatur secundum capacitatem naturalem, & partem affirmatiuam suadet in primo argumento, quia infunditur secundum propriam virtutem, & ante charitatem non præcedit, nisi virtus naturalis. Respondet autem per interemptionem Minoris. *Quia virtus* (inquit) *secundum quam Deus dat sua dona vnicuique, est dispositio, seu præparatio præcedens, siue conatus gratiam accipientis: sed hanc etiam dispositionem præuenit Spiritus sanctus mouens mentem hominis plus, vel minus, secũdum suam voluntatem.* Vbi aperte docet, principium illius dispositionis non esse virtutem ipsam, seu gratiam

tiam

tiam habitualem, sed Spiritus sancti motionem præuiam.

Quintus locus desumitur ex prima secundæ quæstione 112. articulo secundo, vbi quęrit, an requiratur præparatio ad gratiam ex parte hominis? & distinguendo respondet: *Quandoque gratia dicitur ipsum habituale donum, quandoque auxilium Dei mouentis animã ad bonũ. Primo igitur modo accipiendo gratiam, praexigitur ad gratiã aliqua gratia præparatio, quia nulla forma introducit, nisi in materia disposita. Sed loquẽdo de gratia, secũdum quod significat auxilium Dei mouentis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi pręueniens diuinum auxilium; sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum.* In quibus verbis habemus expressum à D. Thoma, dispositionem ad gratiam esse ex auxilio, vtique quod sit sufficiens principium illius sine habitu. S. Thom.

Ex his omnibus testimonijs Sancti Thom. desumitur argumentum, quod reputatur efficax à paritate rationis. Nam ideo ad auxilium nulla est dispositio, quia ipsum auxilium est principium dispositionis: Ergo si habitus esset principium illius actus, non posset ille actus esse dispositio ad habitum: Ergo in illa Doctrina apertè supponit D. Thomas, actum non posse disponere, seu pręparare subiectum ad suum principium, seu (quod perinde est) principium alicuius actus non posse illum vt dispositionem supponere.

Idem confirmat ex Doctrina eiusdem articuli ad secundum, vbi distinguit D. Thomas duplicem conuersionem peccatoris, vnam, quæ fit successiuè, in qua pręparatio perfecta gratiam præcedit; aliam, quam Deus facit, subito mouendo hominem ad conuersionem perfectam. Et talem dicit fuisse conuersionem Pauli, quia *cum esset in progressu peccati subito,* (ait) *cor eius perfectè motum est à Deo audiendo, & addiscendo, & veniendo, & ideo subito est gratiam consecutus.* Vbi solum pondera causalem illam. Quia Paulus subito ex motione Dei conuersus est, ideo gratiam est consecutus; nam ex illa euidenter sequitur, & motionem illam fuisse distin- S. Thom.

stinctam ab infusione gratiæ habitualis, & gratiam habitualem esse datam Paulo, quia se conuerterat, non vt se conuerteret, ac subinde non esse datam, vt principium illius conuersionis.

III. Hæc tamen sententia aliena est à mente, & legitimo sensu Doctoris Sancti, vt constat ex dictis capite præcedenti, & ex his quæ inferius dicenda sunt: neque in locis inductis sibi est, aut nobis contrarius, quod sic ostenditur. Primo; nam Sanctus Thomas locis capite præcedenti in secundo fundamento allegatis expresse docet illud Axioma Aristotelis, Causæ sunt sibi causæ in diuersis generibus causarum, non solum esse verum in causa efficienti, & finali; sed etiam in causa materiali, & formali, cuius contrarium docet Auctor; nam restringit illud Axioma ad solam causam efficientem, & finalem, in quo aduersatur doctrinæ Sancti Thomę. Præterea probatur alijs testimonijs apertissimis eiusdem Sancti Doctoris.

S. Thom. Dispositionem vltimã ad gratiam effectiuè procedere ab ipsa gratia probatur esse de mente S. Thom.

Primum testimonium habetur 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 1. quod adduxi, & ponderaui capite præcedenti in secundo fundamento. Ait enim, quod vltima præparatio ad gratiam est meritoria gloriæ: sed non esset meritoria gloriæ, nisi informaretur à gratia iustificante, & procederet ab illa, sine qua nullum est meritum vitæ æternæ, quod esse debet de condigno. Sentit ergo Sanctus Thomas, vltimam dispositionem ad gratiam effectiue procedere à gratia, tanquam à prima radice, & causa efficiente.

IV. S. Thom.

Secundum testimonium est in eadem 1. 2. quæst. 113. art. 8. vbi expresse docet, quod absolute loquendo, & simpliciter in iustificatione impij prior est ordine naturæ *gratiæ infusio. Secundum est motus liberi arbitrij in Deum. Tertium est motus liberi arbitrij in peccatum. Quartum vero, & vltimum est remissio culpæ.* Sentit ergo, vtrumque motum liberi arbitrij, videlicet in Deũ per actum charitatis, & in peccatum per actum detestationis effectiue procedere à gratia habituali. Non enim esset prior ordine naturæ gratiæ habitualis infusio, quam actus dilectionis, & contritionis, nisi esset causa eorundem actuum in genere causę efficientis;

nam

nam id quod est prius natura, necessario debet esse prius causalitate in eodem genere causę, in quo est prius.

Hoc testimonium adeo premit Auctorem, vt non aliter respondeat, nisi dicendo, per infusionem gratiæ non intelligere D. Thomam productionem gratiæ habitualis; sed infusionem diuini auxilij, quo Deus voluntatem peccatoris ad se conuertit, quod probat: nam in alijs locis citatis distinguit S. Thomas auxilium Dei in habituale, & actuale, quod etiam dicitur à Deo infundi.

Contextus tamen literæ Sancti Thomæ hanc expositionem non patitur; nam in toto illo articulo octauo loquitur etiam expressè de infusione gratiæ, per quam formaliter culpa mortalis remittitur, & ex impio fit homo iustus, vt patet ex solutione ad primum. Vbi ait, quod infusio gratiæ, & remissio culpæ dicuntur ex parte Dei iustificantis: ideo ordine naturæ prior est gratiæ infusio, quam culpæ remissio. Manifestum est autem, quod infusio gratiæ, qua formaliter culpa remittitur, non est sola infusio actualis auxilij præuenientis gratiæ; nam per solum illud auxilium non efficitur homo formaliter iustus, nec per illud solum remittitur culpa, sed per gratiam habitualem, qua formaliter ex impio fit iustus, vt ex Tridentino constat: Ergo nomine infusionis gratiæ intelligit Sanctus Thomas principaliter gratiam habitualem, dum ait esse priorem ordine naturæ inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij; alias Sanctus Doctor Doctrinam diminutam valde tradidisset in illo articulo, si inter illa, quæ ad talem iustificationem requiruntur, omisisset causam formalem eiusdem iustificationis, quæ est gratia habitualis. Et Confirmatur hoc ex his, quæ docet art. 2. eiusdem quæstionis, in quo quærit, vtrum ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio impij requiratur gratiæ infusio, vbi nomine infusionis gratiæ intelligit gratiam habitualem à Deo infusam, vt patet ex argumento, Sed contra, vbi adducit illud Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, & expressius in fine corporis articuli id intelligit de gratia habituali. Ait enim: *Effectus autem diuinæ dilectio-*

Concil. Trident.

S. Thom.

Rom. 3.

S. Thom.

nis

nis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna, à qua peccatum mortale excludit; Et ideo non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ. Est ergo euidens in his articulis nomine infusionis gratię intelligere Sanctum Thomam, non solum infusionem actualis gratię, quam habet homo ad actum charitatis, & pœnitentię, in quantum est vltima dispositio ad gratiam: sed etiam infusionem habitualis gratię, per quam formaliter peccatori remittitur culpa, & iustificatur, & à qua eadem contritio habet, quod sit meritoria vitæ æternæ, quatenus in genere causæ efficientis procedit etiam ab eadē gratia, & charitate, & per illam informatur.

V. Contra istum sensum manifestum literæ sancti Thomæ instat primo. Nam Sanctus Doctor illam infusionē gratiæ, de qua loquitur, ita dicit esse primam ordine naturæ, vt ad illam nulla præcedat dispositio, sed ab illa procedat dispositio. Sic enim in sua ratione dicit: *Quia in quolibet motu naturali primum est motio ipsius mouentis, secundum est dispositio materiæ, siue motus ipsius mobilis, &c.* Certum est autem, in motionibus naturalibus ante primam motionem mouentis nullam posse intelligi præuiam dispositionem introductam per actionem eiusdem agentis, vt in productione ignis ex ligno prima motio ignis generantis est calefactio, ad quam nulla supponi potest dispositio ab eodem generante inducta. Hanc vero generalem doctrinam accommodat D. Thomas ad iustificationem, dicens, infusionem gratiæ esse primam Dei motionem, ad quam sequitur motus peccatoris, qui est dispositio; non quidem ad illam primam infusionem, sed ad remissionem peccati: Ergo sentit, ad illam primam infusionem nullam præcedere ex parte passi dispositionem: non est ergo infusio gratiæ habitualis, sed auxilij.

S. Thom.

Instat secundo. Nam inter illam primam infusionē gratiæ, & remissionem peccati dicit D. Thomas, interponi duo instantia naturæ per duos motus voluntatis in Deum, & contra peccatum: hoc autem impossibile est intelligi, aut verum esse de infusione gratiæ habitualis; quia vel sunt omnino idem, vt multi putant, vel inter se

S. Thom.

ter se non seruant ordinem naturæ fundatum in causalitate reali, vel saltem si illum seruant, est omnino immediatus, neque inter infusionem gratiæ habitualis media re potest aliqua dispositio. Nam eadem dispositio, quæ est necessaria ad infusionem gratię habitualis, est etiam ad remissionem peccati, & quæ ad priorē sufficit, etiam ad posteriorem satis est, & è conuerso. Et similiter talis dispositio eodem modo antecedit gratiæ habitualis infusionem, quo remissionem peccati: nullo ergo modo potest inter illas intercedere, & esse prior, quam remissio peccati, & posterior, quam infusio habitus: Ergo per infusionem gratię non potuit D. Thomas infusionem gratiæ habitualis intelligere.

Neutra tamen instantia concludit aliquid contra nostram sententiam. Non prima, quia tantū probat contritionem, seu dispositionem vltimam ad gratiam procedere iuxta doctrinam Sancti Thomæ ex actuali auxilio præuenientis gratiæ, quod non negatur: sed non concludit etiam, quod non procedat effectiuè ex gratia, & charitate habituali, si consideretur eadem contritio, in quantum est actus meritorius vitæ æternæ, vt capite præcedenti conclusione prima dictum est. Sicut enim actus charitatis supernaturalis, & contritionis post instans iustificationis elicitus procedit effectiue ab habitu gratiæ, tanquam à prima radice, & causa efficienti, & simul etiam ab auxilio actuali gratiæ adiuuantis, per quod Deus efficit, vt ille habitus ad actum secundum reducatur per liberam cooperationem arbitrij: ita etiam in ipso instanti iustificationis vtrūque Deus efficit; nam & infundit gratiam, & charitatem habitualem, & simul etiam actuali auxilio præuenientis gratiæ mouet liberum arbitrium, & efficit, vt habitus infusus charitatis, & pœnitentię ad actum secundum reducatur, eliciendo cōtritionem, quæ in genere causę materialis est vltima dispositio ad gratiam, & illam præcedit ordine naturæ, & sub alia ratione est effectus eiusdem gratiæ, & charitatis, & sequitur ad illam, quatenus videlicet de condigno est meritoria vitæ æternę. VI.

Secunda etiam instantia nihil probat, nam procedit ex falso fundamento, quod scilicet actus contritionis,

& charitatis, qui in eodem instanti iustificationis intercedunt, sint duo actus entitatiuè distincti, quod tamen est falsum, vt in tertio notabili capitis præcedētis ostensum est. Vnde non est necesse iuxta doctrinam sancti Thomæ ponere duo instantia naturæ inter duos motus voluntatis in Deum, & contra peccatum. Fatemur ergo eandē dispositionē vltimam, quæ est necessaria ad infusionem gratiæ habitualis, esse quoque necessariam, & sufficere ad remissionem culpæ mortalis: sed ex hoc nō infertur, illam dispositionem non procedere à gratia, & charitate habituali, vt sępius dictum est.

VIII. S. Thom. Secundum testimonium habetur quæst. 28. de veritate articulo octauo in corpore, vbi magis explicat suam sententiam, & nostram confirmat. Nam in titulo articuli quærit, vtrum in impij iustificatione motus liberi arbitrij gratiæ infusionem pręcedat: in corpore verò articuli postquam retulit, & confutauit quasdam opiniones Doctorum, sic concludit in fine corporis. *Oportet igitur dicere secundum aliam opinionem, quod prædicti motus eodem ordine se habeant ad vtrumque, vt quodammodo pręcedant, quodammodo sequantur ordine naturę. Nam si ordo naturę attendatur, secundum rationem causę materialis, sic motus liberi arbitrij præcedit naturaliter gratiæ infusionem, sicut dispositio materialis formam. Si autem attendatur secundum rationem causę formalis, est è conuerso. Et est simile in rebus naturalibus de dispositione, quę est necessitas ad formam, qua quodam modo præcedit formam substantialem, scilicet, secundum rationem causę materialis. Dispositio enim materialis ex parte materię se tenet: sed alio modo, scilicet ex parte causa formalis forma substantialis est prior, in quantum perficit, & materiam, & accidentia materialia.* Et in solutione ad tertium ait, *quod contritio ab attritione præcedenti non differt solum secundum intensionem doloris, sed secundum informationem gratię; & ita contritio habet aliquem ordinem posterioritatis ad gratiam, quod non habet attritio.* Et in primo argumento, Sed contra, ex eo probat, quod gratia sit causa contritionis; nam contritio est actus meritorius, actus autem non est meritorius, nisi à gratia, quod etiam confirmat

firmat in responsione ad idem argumētum, vbi ait, quod *contritio est à gratia, sicut ab informante, & ita sequitur, quod in ratione causæ formalis gratia sit prior.* Et in solutione ad tertium ait, quod *contritio, secundum quod est à gratia, comparatur vt actus secundus ad gratiam.*

VIII. *Cap. 14. al legam. 15.*

Hoc testimonio Sancti Thomæ conuictus Auctor sententiæ contrariæ fatetur quidem, illo in loco Sanctum Thomam loqui de gratia habituali, & sanctificante, nō tamen illam considerare, vt causam efficientem contritionis, quæ est dispositio ad illam: sed vt causam formalem perficientem illam, quæ duo confundunt Thomistę, cum tamen sint valde distincta, & ideo similia testimonia non recte allegari. Sed contra hoc est. Nam Sanctus Thomas in illo articulo præsertim in solutione ad tertium ait, quod contritio secundum quod est à gratia (& loquitur de gratia iustificante, vt Auctor fatetur) comparatur, vt actus secundus ad gratiam. Manifestum est autem, quod actus secundus procedit efficienter ab actu primo. Ergo negari non potest, S. Thom. in illo considerasse gratiam iustificantem, vt causam efficientem contritionis, quæ est vltima dispositio ad infusionem illius: de hac enim contritione loquitur in eodem articulo. Nec obstat, quod sit causa formalis, seu informans ipsam contritionem; nam vtrumque propriè conuenit eidem gratię habituali, & quod sit causa formalis iustificationis, & quod sit causa efficiens actus eiusdem contritionis, & charitatis, non quidem immediatè, & per se ipsam; nam gratia illa, cum subiectetur immediate in essentia animæ, non est operatiua immediate per se ipsam: sed per habitus charitatis, & pœnitētiæ, qui simul cum illa infunduntur. Sicut etiam in naturalibus forma substantialis ignis est causa formalis constituens ignem in sua specie, sed ex hoc consequitur, quod etiam sit causa efficiens caloris proprij, & calefactionis, quam mediante calore, producit in materia exteriori, præsertim cum calor, vt octo per simplicē emanationem procedat à forma ignis, quæ quidem emanatio pertinet ad genus causæ efficientis saltem redductiuè.

IX. S. Thom. Testimonia.

Per hæc facilis est responsio ad alia loca Sancti Thomæ inducta in contrarium. Et ad primum locum ex 1. 2. q. 109. art. 6. respõdetur quod expressè docet nostram sententiam, dum ait, quod *præparatio voluntatis ad bene operandum, & ad Deo fruendum non potest fieri, nisi per habitum, qui sit principium bene operandi.* Cum ergo iuxta sententiam Sancti Thomæ illa contritio sit præparatio voluntatis ad fruendum Deo, nam est de condigno meritoria vitæ æternæ, vt expressè docet 1. 2. quæst. 112. artic. 2. ad 1. superius allegato: relinquitur ex loco illo Sancti Thomæ potius colligi, quod talis contritio fieri non possit, nisi per habitum: Habitus autem est verè, & propriè simul cum potentia causa efficiens actus: Ergo locus ille à nobis est. Quod verò subdit eodem loco, quod alia præparatio voluntatis est ad consequendum ipsum habitualis gratiæ donum, & quod ad hoc non oportet supponere aliquod aliud donum habituale in anima, verissimum est, nec contra dicit verbis antecedentibus; quia non dicit Sanctus Thomas, quod non præsupponat in aliquo genere causæ ipsum donum habituale, à quo procedit effectiuè; nam oppositum alijs pluribus in locis superius allegatis docuerat: sed quod non supponit aliquod aliud donum habituale in anima; quia daretur processus in infinitum, quod quidem verissimum est. Sicut etiam est verum, quod supponat auxilium Dei mouentis. Sed tunc solum considerauit Sanctus Thomas eandem præparationem, quatenus ordine naturæ præcedit gratiam iustificantem in genere causæ materialis, & dispositiuæ, sub qua ratione non informatur gratia, nec est meritoria vitæ æternæ; nihilominus, quatenus est meritoria de condigno vitæ æternæ, informatur gratia eadem, & est posterior illa, proceditque ab illa in genere causæ efficientis, vt alijs in locis superius inductis docuerat.

X. Ad Secundum locum ex prima parte quęst. 62. art. 2. respondetur ex dictis, quod in illis verbis solum considerauit Sanctus Thomas vltimam præparationem ad gratiam habitualem, quatenus præcedit illam in genere causæ materialis, sub qua ratione non præsupponit gratiam ipsam habitualem, ad quam disponit; nam sub

hac

hac ratione præcedit illam ordine naturæ in genere causæ materialis, vt iam dictum est.

Ad tertium locum adductũ ex 3. p. respondetur, quod in illa quæst. 85. art. 1. ad 2 nõ habent illa verba S. Tho. nec æquiualentia: sed facile hic error potuit cõtingere ex incuria scriptoris, vel Typographi: habentur autẽ in q. 89. eiusdẽ 3. par. art. 1. ad 2. Sed ex contextu eiusdẽ solutionis facilis est respõsio. Ibi enim solum intendit S. Doctor differentiam cõstituere inter actũ primũ pœnitentiæ, qui est cõtritio, & alios actus pœnitẽtię post instans iustificationis sequutos; nam primus actus pœnitẽtiæ est vltima dispositio ad gratiã iustificãtem, & propterea in quantũ ordine naturæ præcedit gratiam iustificantẽ in genere causæ materialis, non procedit ab illa effectiuè: alij vero actus pœnitentiæ subsequentes post instans iustificationis non sunt vltima dispositio ad infusionẽ gratię habitualis. & habitus infusi pœnitentię, & ideo secundũ omnẽ rationem, quam habent, procedunt effectiuè à gratia, & virtute infusa pęnitentiæ. Itaq; primus actus pœnitentiæ secundum mentem Sancti Thomę, & est vltima dispositio ad gratiam habitualẽ, & procedit ab eadẽ gratia in genere causę efficientis medio habitu pœnitentię infusæ simul cũ gratia, reliqui vero actus pœnitentiæ solum procedunt effectiuè à gratia iustificante, & habitu pœnitentiæ, non tamen sunt dispositio ad infusionem eiusdem habitus, eo quod talis habitus fuerat prius tempore iam infusus. S. Thom. *Pœnitentię primus actus & alij qui postmodũ sequuntur qualiter differant.*

Ad locũ Quartũ ex 2. 2. respondet, solũ probare, quod præparatio ad gratiã, quatenus in genere causæ materialis antecedit ordine naturæ, procedat ex motione Spiritus Sancti, quod nos fatemur: sed nõ dicit ibi S. Th. neq; alibi, quod eadẽ præparatio, secundũ quod est meritoria vitæ æternæ, non procedat à gratia, & habitu pœnitẽtiæ infuso; quin potius dicit oppositũ locis superius allegatis. XI. S. Thom.

Ad vltimum locum ex 1. 2. q. 112. respondetur, quod ex illis verbis solum habetur, vltimam dispositionem ad gratiam iustificantem formaliter loquẽdo, quatenus est dispositio, & secundum quod ordine naturæ in genere causæ materialis præcedit gratiam iustificantẽ, non procedere effectiuè ab ipsa gratia iustificante, sed à libero S. Thom.

arbi-

arbitrio excitato, & adiuto per auxilium actuale præuenientis gratiæ, quod non est contra nostram sententiam: solum enim contendimus, quod illa dispositio, in quantum est meritoria de condigno vitæ æternæ, procedat effectiuè à gratia iustificante, à qua tanquam ex prima radice, & causa habet, quod sit condigna vitæ æternæ.

Ad primũ auxilium gratiæ quare nulla prærequiratur præparatio ex parte arbitrij.

Et ad argumentum desumptum ex alijs verbis Sancti Thomę respondetur, rationem, propter quam ad primum auxilium gratię nulla pręrequiritur dispositio, non esse illam, quæ in argumento assignatur; quia videlicet ipsum auxilium actuale est principium dispositionis; sed alia longe diuersa, quam in capite præcedenti assignaui: quia scilicet datur per modum dispositionis transeuntis, & pręterea nã ante vocationẽ primam simpliciter non potest pręintelligi alia vocatio pręcedens; alias illa prima vocatio non esset prima simpliciter. Vnde si ad primam vocationem deberet pręsupponi aliqua præparatio, illa deberet procedere ex solis viribus naturę, ac per consequens primum initium, & inchoatio nostrę salutis esset ex natura, & non ex gratia: ex quo rursus sequeretur, gratiam secundum merita nostra dari, quod in Pelagianis damnatum est.

Reliqua vero, quę ad vires liberi arbitrij pertinent post receptionem gratiæ, comparatione cuiuscumque alterius actus, quo remote ad gratiam iustificantem pręparatur, vel comparatione aliorum actuum, quibus meretur vitam æternam, & qualiter ad eos concurrat, explicatum est in secundo libro Responsionum, & duobus sequentibus: iterumq; de his omnibus agendum est 1. 2. in tractatu de gratia, qui Deo auxiliante propediem in lucem prodibit.

Vltimo loco agendum est de viribus, quas post receptionem gratiæ iustificantis habet liberum arbitrium ad merendum, & consequendum augmentum eiusdem gratiæ, præsertim iuxta sententiam S. Thomæ, quod in duobus sequentibus Capitulis discutiendum est.

CA-

CAPVT XVI.

Vtrum per actus æquales, vel minus intensos, quam sit habitus gratia, & charitatis præexistens, mereatur homo augmentum habitus statim conferendum.



Anc difficultatem pertractaui disputat. 60. de Auxilijs. In cuius resolutione dixi primo, sententiā Gabrielis, & Maioris, & aliorum Nominalium asserentium, quolibet actu charitatis, quantumlibet remisso, statim augeri gratiam, & charitatem, non solum in esse gratia, sed etiam in esse physico, & entitatiuo secundum totam latitudinem actus, esse omnino improbabilem, sicut eam improbabilem reputat Magister Bannes 2. 2. quæst. 24. art. 6. dub. 2. Supposita vero distinctione gratiæ, & charitatis in esse habitus, seu qualitatis, & in esse gratiæ, quatenus per illam medijs bonis operibus meritorijs acceptatur iustus ad vitam æternam, quam quidem distinctionem tradit expressè Sanctus Thomas 3. par. quæst. 7. art. 11. I.

Dixi secundo in conclusione quarta, quòd gratia in esse gratiæ, & charitas in esse charitatis, etiam per actus æquales, & remissos statim augetur secundum totam latitudinem actus supra habitum: ita nimirum, vt si habens gratiam, & charitatem intensam, vt quatuor, operetur actum intensum, vt duo, gratia, & charitas præexistens efficitur, vt sex, in esse gratiæ, & charitatis; nam per illam statim habet homo ius ad gloriam intensam, vt sex, & idem contingit proportionabiliter, si producat alios actus æquales, vel minus intensos, quam sit habitus præexistens.

Dixi Tertio in quinta Conclusione, quod si gratia, & charitas considerentur in esse habitus, & qualitatis, non augentur statim per actus æquales, vel minus intensos: sed solum quando per actum feruentiorem, se disposuerit homo ad augmentum habitus.

Dixi

Dixi Quarto, quod augmentum illud gratiæ & charitatis in esse habitus, & qualitatis, quod iustus meruit per actus remissos, vel æquales, dabitur illi in primo instanti visionis beatificæ, si decedat in gratia, vt saluetur ibi proportio inter gratiam, & charitatem in esse habitus seu qualitatis, & in esse gratiæ, & charitatis, quatenus videlicet per illam habuit ius ad tantam gloriam. Itaq; si habens habitum gratiæ intensum, vt quatuor, prorumpat in actum charitatis intensum, vt sex, gratia in esse habitus fiet statim intensa, vt sex, secundum excessum actus supra habitum præexistentem: cæterum in esse gratiæ erit, vt decem, quoniam per illam habet homo ius ad gloriam intensam, vt decem. Quod si homo ille moriatur, antequam producat alium actum meritorium augmenti habitus gratiæ, & charitatis, qui in viatore solum erat intensus, vt quatuor, in esse physico habitus seu qualitatis, augebitur in primo instanti visionis beatificæ & fiet intensus, vt decem, in esse habitus, iuxta meritum quod præcessit in via.

II. *Suarez lib. 9 de gratia cap. 3. per totum.* Prællegatam disputationem, quam in libro septimo de Auxilijs inserui, vidit quidam grauis Doctor, & multis argumentis, quæ superius allata sunt, impugnat. Necessarium duxi ea in medium producere, vt ex eorũ solutione nostra sententia lucidior appareat.

S. Thom. Bañes. Objicit Primo, quod sola auctoritate Sancti Thomæ 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. & Magistri Bannes 2. 2. quæst. 24. asseruimus, sentẽtiam prædictam Gabrielis, & Maioris esse omnino improbabilem. Et vt ostendat esse probabilem, vltra dictos Auctores allegat pro illa Almain tractat. 2 moralium c. 11. & 22. & quo ad gratiam refert pro ea Magistrum à Victoria in relectione de augmento charitatis, & Vegam lib. 7. super Concilium Tridentinum, & lib. 15. cap. 9. vbi absolute docet, per omnia opera bona proficere iustos in gratia, vt probabilius est inter scholasticos.] Allegat etiam Sotum in 4 dist. 14. & lib. 2. de natura, & gratia c. 17. in fine, Zumel 1. 2. q. 114. art. 8. d. 3. Vasquez eadem 1. 2. d. 220. c. 5. & Lorca d. 51. de gratia, dubio vltimo. Isti autem Doctores, cum sint graues, sufficiunt ad faciendam opinionem probabilem: Ergo absq; vllo titulo asseritur, esse improbabilem.

Almain. Victoria. Vega. Sotus. Zumel. Vasquez.

Objicit

Obijcit secundo contra quartum dictum;nam in primo instanti glorificationis non datur augmentum habitus gratię, vel charitatis per dispositionem propriam recipientis: Ergo falsum est dicere, tunc dari, quando homo ipse se disponit per actum æqualem in intensione omnibus meritis. Probatur Minor; quia talis actus amoris in instanti glorificationis, non est nisi actus fruitionis, seu dilectionis beatæ: ille autem actus non est dispositio ad augmentum gratiæ:sed simpliciter, & omni modo supponit gratiam perfectè consumatam in sua intensione, & simili modo supponit intensionem habitus charitatis: Ergo in illo instanti nullus est actus in beato,qui sit dispositio ad intensionem habitus. Maior certa est;quia in illo instanti beatus habet amorem beatificum,& non potest simul habere alium actum amoris Dei supernaturalis,vel saltem non est necesse, vt illum semper habeat;multoque minus est necessarium,vt habeat alium æquè perfectum, & tam intensum, quantus omnibus meritis simul sumptis correspondere potest. Hoc enim ad summum desiderari potest in illo amore, qui ad præmium ipsum pertinet, qualis est beatificus: alium ergo postulare,voluntarium,& fictitium est. III.

Confirmatur;quia talis amor supponit visionem beatam, tum quia est amor necessarius, tum etiam quia non est in beato alia supernaturalis cognitio, in qua talis amor fundetur. At visio beata supponit lumen gloriæ tam intensum, quam potest omnibus meritis simul sumptis correspondere.At intensum lumen supponit gratiam proportionaliter intensam; tum quia comparatur ad illam sicut potentia ad essentiam;tum etiam quia visio supponit hominem perfectè Sanctum,& Deificatum intrinsece, cum proportione ad talem visionē; tū denique quia si ex parte visionis beatus recipit præmium adæquatum omnibus suis meritis sine præuia dispositione,quæ pro illo instāti in beato intelligi queat, cur non recipiet etiam adæquatum præmium ex parte gratiæ sine tali dispositione, cum gratia natura sua sit prior,quam visio beatifica?

Tertio. In beatis infunditur lumen gloriæ absque præuia dispositione tam intensum, quanta est beatifica

visio, quam meruit iustus per quoslibet actus meritorios, etiam remissos: Ergo etiam absque alia dispositione consumatur augmentum habitus gratiæ, & charitatis. Probatur consequentia; nam ad intensionem luminis gloriæ, & gratiæ consumatæ consequitur quasi per emanationem augmentum habitus charitatis: Ergo non potest homo disponi in patria per actum feruētiorem, vt conferatur ibi augmentum habitus in esse qualitatis, secundum merita, quæ præcesserunt in via.

IV. Quarto. Habitus charitatis sic intensus necessario prorumpit in patria in actum eiusdem intensionis sicut est illic habitus. Ergo non disponitur beatus ad intēsionem habitus per actum intensum: sed potius intenditur habitus charitatis, vt ab illo procedat actus eiusdē intensionis.

Quinto. In illo statu beatifico non proceditur ab imperfecto ad perfectum, sed actus ipse charitatis perfectissimo modo, & maxime connaturali fit, & ideo non præintelligitur ibi actus intensior factus ab habitu remisso cum auxilio, vt per illum augeatur habitus, sicut fit in via: sed potius intensio habitus datur in præmium præcedentium meritorum, vel eliciendo actum perfectum, vt perfecto modo consumetur præmium.

Sexto idem probat argumentando ad hominem; nam auctor, quem impugnat, concedit disponi iustum ad visionē beatificam per lumen gloriæ, vtique quia per hoc lumen datur vis, & potestas eliciendi visionem, & pari ratione per tantum lumen disponitur ad tantam visionem. Ergo eadem proportione per tantam charitatem habitualem disponitur ad tam intensum amorē; quia et per habitum charitatis intensum datur vis, & potestas ad tantam actus intensionem; quia sicut visio non fit nisi modo maxime connaturali, & à principio intrinseco, & adæquato: ita neque actus amoris: Ergo non potest è contrario intensio illius actus disponere ad intensionem habitus, ne sint sibi inuicem causæ in eodem genere.

Septimo. Est impossibile actum disponere ad habitum, à quo elicitur; nam propter hanc rationem Auctor sententiæ contrariæ concessit contra Bannes, actū inten-

intensiorem habitu in via, quia est ratio intendendi illum, non posse procedere ab illo habitu secundum gradum intensionis, in quo habitum excedit: Ergo è contrario, cum in gloria actus intensi beatifici amoris eliciatur ab habitu cum maxima perfectione, & connaturalitate, non minus in primo instanti beatitudinis, quam per totam æternitatem, non potest actus intensior esse dispositio ad intensionem habitus, neque vllo modo ratio, vel causa illius, sed tantum effectus productus ab habitu.

Octauo. Nam verba illa Sancti Thomæ 1. 2. q. 24. art. 6. ad 1. quod scilicet tunc charitatis augmentum, quod meruit per actus remissos, recipit, quando se dispo suerit per actum feruentiorem ad illud augmentum recipiendum, quibus innititur contraria sententia, necessario intelligenda sunt de dispositione, quæ habetur in via, non autem de illa, quæ per dilectionem beatificam habetur in patria, quod ex eo cõstat; nam idem Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. absolute dicit, *Augeri habitum per actus remissos non statim, sed quando voluntas conatur ad huiusmodi augmentum.* Quæ verba proprie loquendo solum verificantur de conatu, qui habetur in via. Quod etiam confirmatur ex eodem S. Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 6. ad 3. vbi ait, quod *sicut vita ęterna non statim redditur, sed suo tempore: ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.*

V. S. Thom. S. Thom. S. Thom.

Nono idem probat alijs argumentis, quibus conuellere nititur fundamenta sententiæ contrariæ, quæ tamen proponenda sunt infra, & dissoluenda, cum eadem fundamenta stabilienda erunt.

HÆc tñ argumenta, & alia consimilia, quæ adducenda sunt infra facile soluuntur per illam distinctionẽ gratiæ, in esse gratiæ, & in esse habitus, seu qualitatis, quam 3. parte quæst. 7. artic. 11. & 12. tradit S. Thomas. Pro cuius explicatione notandum, quod gratia tunc consideratur in esse habitus, & qualitatis, quando sumitur in esse physico, & entitatiuo, quod habet secundum quod in prędicamento reali qualitatis cõstituitur. Cæterum in esse gratiæ sumitur, dum consideratur secundum

VI. S. Thom. *Gratia in esse gratię, & in esse qualitatis qualiter distinguãtur secundum S. Thom.*

cundum quod est principium operis meritorij, & quatenus per illam habet homo ius ad tantam gloriam medijs operibus meritorijs, & secundum quod per illam acceptatur ad eandem gloriam, quæ consideratio gratiæ non est in esse physico, sed in esse morali. Hæc distinctio est expressa Sancti Thomæ 3. par. quæst. 7. art. 11. in corpore. Vbi ait, quod *gratia habitualis potest dupliciter considerari. Vno modo secundum quod est quoddam ens, & sic necesse est, quod sit ens finitum, &c. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiæ, & sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur; quia scilicet habet, quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ.* Et in articulo duo decimo eadem distinctione vtitur præsertim in solutione ad tertium.

S. Thom.

Sed quoniam Auctor præallegatus præuidebat, hanc distinctionem sibi esse vehementer contrariam, & non modicum fauere nostræ sententiæ: ideo conatur Sanctũ Thomam ad suam sententiam pertrahere. Ait enim, aliud esse loqui de gratia in ordine ad proprios, & intrinsecos effectus formales gratiæ, & aliud loqui de illa secundum ordinem ad effectum illi extrinsecum, vel ad aliquam moralem dignitatem illi moraliter superadditam. Hoc posteriori modo vsus est Sanctus Thomas illa diuisione, & nunquam illam tradidit, nisi de gratia Christi habituali, quæ in sua specie fuit eiusdem rationis cum nostra, & in sua intensione finita, & per ordinẽ ad vnionem hypostaticam habuit quandam moralem dignitatem infinitam; quia fuit ordinata ad vnionem hypostaticam, & per illam est coniuncta personæ infinitæ, & inde habet esse principium meriti infiniti, & sub hac consideratione vocauit illam D. Thomas gratiam secundum formalem rationem gratiæ, &c. At vero in ordine ad effectus intrinsecos gratiæ nunquam D. Thomas distinxit inter gratiam in esse habitus, & in esse gratiæ; quia illos effectus æque confert per suam entitatem in esse qualitatis, ac in esse gratiæ, neque potest illi, vt formæ maior effectus attribui, nisi in sua entitate maior fiat. Quare si homo per actus meritorios procedentes à gratia acceptaretur ad maius meritum sine aug-

Euasio. Suarez.

Gratiæ distinctionẽ in esse gratiæ, & in esse qualitatis quidã impugnant

augmento reali habitus gratiæ, re vera non acceptaretur per illam, vt per intrinsecam formam, sed ad summum, vt per extrinsecum principium talium actuum, à quibus ipsa perfectior effecta non est. Nec propter actus præteritos dici potest, quod nũc intrinsecè reddat subiectum proportionatum maiori gloriæ, atque adeò neque auctam esse in esse gratiæ: vt ergo augeatur verè in esse gratiæ, necesse est, vt in entitate sua augeatur.

Hæc explicatio distinctionis Sancti Thomæ potius confirmat nostram sententiam, quam illi aduersetur. Hoc enim & nos dicimus, quod, scilicet, gratia habitualis in esse entis, & in ordine ad effectus intrinsecos qui ei competunt secundum suam physicam entitatem, tũc consideratur secundum Sanctum Thomam in esse habitus, seu qualitatis inhærentis animæ. Cæterum in ordine ad vitam æternam, quam meretur homo de condigno medijs bonis operibus ab eadem gratia, & charitate procedentibus, tunc consideratur in esse gratię morali, secundum quod homo per gratiam illam, & bona opera acceptatur ad gloriam maiorem, vel minorem suo tempore conferẽdam iuxta qualitatem, & quantitatem ipsorum operum; & similiter per eadem opera disponitur homo remote ad augmentum gratiæ in esse physico, & entitatiuo habitus tunc conferendum, quando fuerit proximè sufficienter dispositus, quæ quidem dispositio secundum Sanctum Thomam nunquam fit, nisi quando prorumpit in feruentiorem seu magis intẽsum actũ, quam sit habitus præexistens, & tunc habitus gratiæ in esse entitatiuo habitus augetur secundum excessũ actus super habitum, & non secundum totam latitudinẽ actus, vt supra expositum est. VII.

Gratia habitualis in esse entitatiuo non augetur statim per actus remissos

S. Thom.

Hanc autem esse mentem expressam Sancti Thomæ, constat ex testimonijs supra inductis. Etenim 1.2. quæst. 114. art. octauo ad 3. ait, quod *quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consumationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore: ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.* VIII.

S. Thom.

Circa augmentum habitus charitatis quæ fuerit sententia sancti Thom.

In quibus verbis expendenda est similitudo, quam ibi explicat Sanctus Thomas quod non quolibet actu meritorio charitatis consequitur homo statim augmentum habitus. Nam sicut quolibet actu charitatis meretur homo vitam æternam, quæ tamen non statim redditur, sed suo tempore: ita quolibet actu charitatis quantumuis remisso meretur homo augmentum habitus, quod tamen augmentum non fit statim, sed suo tempore, videlicet quando fuerit homo sufficienter dispositus per actum feruentiorem. Idem confirmat Sanctus Doctor 2.2. q.24. art.6. in corpore, vbi quæstionem proponit in terminis *Vtrum quolibet actu charitatis charitas augeatur*. Et in corpore articuli respondet, quod sicut motus augmentationis in corporalibus nō est motus continuus: *sed per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum, & nihil augens actu: & post modum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantam in actu: ita etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur: sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem: & habilitate crescente homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum: & tunc charitas augetur in actu*. Et in solutione ad primum subdit, *quod quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidē statim exhibendam, sed suo tempore: similiter etiam quilibet actus charitatis, meretur charitatis augmentum: nō tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum*. Et idem docet in solutione ad 2 & 3. Loquitur autem Sanctus Thomas de augmento gratiæ, & charitatis in esse physico, seu entitatiuo: Ergo negari non potest, hanc esse doctrinam expressam Sancti Thomæ. Omitto alia plura testimonia eiusdem Sancti Doctoris, cuius verba refert, & expendit magister Bannes 2. 2. allegata dub. 2. in titulo, qui incipit, Documenta Diui Thomæ: sed præsertim videndus est Sanctus Doctor in 2. sententiarum distinct. 27. quæst. 1. artic. 5. ad 2. Et super primam Epistolam ad Corint. cap. 3. lect. 2. in illa verba: *Vnusquisque propriam mercedem*

S. Thom. (margin)

S. Thom. (margin)

1. Cor. 3. (margin)

eadem accipiet secundum suum laborem. Ex quibus Magister Bañes colligit, esse Diui Thomæ sententiam, quam ipse docet circa gratiæ, & charitatis augmentum, quod scilicet si iustus non se disponat in hac vita per actum feruentiorem habitu præexistente, nunquam recipiat augmentum habitus in esse physico, nec maiorẽ gloriam essentialem ab ea, quam meruerat per actum intensiorem: sed eandem nouo titulo, & similiter habebit maiorem gloriam accidentalem. Sed quidquid sit de hac sententia, certissimum est, in locis præallegatis, & alijs, quæ adducit Bannes, Diuum Thomam sentire, quod nõ quolibet actu charitatis detur statim augmentum charitatis, quod meruit homo per actus remissos, sed suo tempore, scilicet, quando fuerit sufficienter dispositus per actum feruentiorem.

IX. *Charitatis actus remissi non sũt vltima dispositio ad augmẽti habitus.*

Præterea probatur hæc sententia, quoniam actus remissi charitatis non sunt vltima dispositio ad augmentum habitus; quia non sunt eidem augmento adæquatè proportionati: sed solum sunt dispositiones remotæ. Manifestum est autem, quod formæ præsupponens dispositionem in subiecto nunquam introducitur, neque augetur, nisi quando subiectum est vltimatè dispositum, vt patet in exemplis, quibus vtitur Sanctus Thomas de formis corporabilibus, & pluribus guttis cauantibus lapidem, quarum vltima disponit vltimatè subiectum in virtute præcedentium: Ergo.

Gratia infunditur secundum quãtitatem vltimæ dispositionis. Concil. Trident.

Secundo probatur. In prima iustificatione, cum ex impio fit homo iustus, infunditur illi à Deo habitualis gratia, & charitas magis, vel minus intensa, iuxta quantitatem dispositionis, qua se præparauit ad receptionẽ eiusdem gratiæ; ita vt si dispositio vltima est intensa vt quatuor, habitus gratiæ & charitatis infundatur in eadẽ intensione: Ergo similiter augmentum eiusdem gratiæ, & charitatis in esse physico fiet à Deo secundum quantitatem dispositionis, qua ad recipiendum idem augmentum disponitur. Antecedens est Sacri Concilij Tridentini sessione sexta de iustificatione capite septimo vbi ait, quod formalis causa iustificationis est *iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu men-*

ti, nostræ, & non modo reparamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, pro vt vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. Quod etiam

S. Thom. expresse docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 1. vbi ait, quod *illa virtus, secundum quam sua dona Deus dat vnicuique, est dispositio, vel præparatio præcedens, siue conatus gratiam accipientis: sed hanc etiam dispositionem, vel conatum præuenit Spiritus sanctus mouens mentem hominis, vel plus, vel minus secundum suã voluntatem. Vnde & Apostolus dicit ad Colos. 1. Qui*

Colos. 1. *dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Consequentia vero probatur. Nam eadem proportio seruari debet inter vltimam dispositionem, & augmentum habitus gratiæ, & charitatis, quę seruatur in prima eius infusione. Sicut enim solus Deus est causa efficiens primæ infusionis gratiæ: ita etiam ille solus est causa efficiens augmenti eiusdem gratiæ, & charitatis: Ergo sicut Deus non infundit primam gratiam, nisi subiecto sufficienter disposito: ita etiam non auget eandem gratiam, nisi homo sit ad recipiendum illud augmentum sufficienter dispositus. Manifestum est autem, quod habens habitum gratiæ, & charitatis intensum, vt quatuor, verbi gratia, non disponitur sufficienter per actum intensum, vt duo, ad recipiendum augmentum gratiæ, vt sex; nam actus intensus, vt duo, non habet proportionem cum habitu intenso, vt sex, & idem est de alijs actibus remissis, quantumuis multiplicentur; quia tantum sunt dispositiones remotæ, & non vltima ad tale augmentum. Ergo per eosdem actus non consequitur homo statim augmentum habitus præexistentis: sed solũ quando fuerit dispositus per actum feruentiorem, & magis intensum eodem habitu.

X. Respondent, quod tam in prima iustificatione, quam

Idem eod. cap. 3. nu. 44. & 45. in augmento gratiæ iustificantis actus ille præuisus non requiritur, vt physicè disponat subiectum, sed moraliter; quia verò cæteris paribus eò melius disponit moraliter, quo actus ipse perfectior est physicè: ideo physica etiam proportio consideratur, vel secundum æqualitatem

tem, vel secundum proportionem iuxta diuinam dispositionem. At in secunda iustificatione æqualis actus physicus ex ea parte moraliter disponit ad tot gradus gratiæ; & quod præsupponat gratiam in aliquo gradu, non minuit, imò auget valorem eius, tam in ratione dispositionis moralis, quam in ratione meriti: Ergo sub vtraque ratione magis conferet ad recipiendos statim æquales gradus gratiæ, quam prior dispositio. Addunt non obstare, quod per hos posteriores gradus gratiæ fiat gratia auctior, quàm sit actus, quod in prima dispositione non inuenitur: tum quia subiectum non erat prius æque dispositum, & causa tam moralis, quam physica magis operatur in subiectum melius dispositum: tum etiam quia, licet secundus actus physice sit equalis, moraliter est longe dignior, & potentior propter operantis dignitatem; & ita est simpliciter melior dispositio moralis, & causa in suo genere operans, secundum proportionem maioris inæqualitatis: tum denique quia, vt seruetur proportio, debet fieri recta comparatio; & ita intẽsio gratiæ, vt quatuor, vsque ad gradum, vt octo, non est maior gratia, quam sit collatio gratiæ, vt quatuor, respectu eius, qui nullam habebat: ideoque moraliter loquendo, æquè bene, vel melius se disponit iustus, vt quatuor, ad recipiendum augmentum, secundum totam latitudinem actus, vt quatuor, ac se disponit peccator per similem actum ad tot gradus gratiæ recipiendos. Quod si hoc verum est in actu æquali, cum proportione habet locum in quolibet minori actu, secundum proportionem, non intensionis, sed meriti, & bonitatis actus in ordine ad Dei amicitiam, & placitum eius, in quo maxime ratio dispositionis moralis posita est.

In hac tamen solutione multa inuoluuntur, quæ non modicam difficultatem habent. Et in primis id, quod asseritur, videlicet, actum contritionis, & charitatis non esse physicam dispositionem, sed solum moralem ad primam infusionem gratiæ, & charitatis, iam superius improbatum est. Nam Concilium Tridentinum loco citato absolutè docet, illam esse proprie loquendo dispositionem, ad cuius mensuram infundit Deus primam gratiam magis, vel minus intensam. Sola autem dispo- XI. *Actus contritionis est vltima dispositio physica ad gratiam.*

 sitio

sitio moralis non quantificat formam, quæ introducitur. Accedit quod ad suauem dispositionem Dei, & eius prouidentiam pertinet seruare in formis spiritualibus,& supernaturalibus eundem modum, quem seruat in corporalibus:sed in corporalibus nunquam introducitur forma in materiam, neque augetur, nisi prius fuerit sufficienter disposita physica dispositione: Ergo similiter in spiritualibus non infundit habitum gratiæ,& charitatis, neque illum auget, nisi præcedat dispositio physicè disponens subiectum ad primam infusionem, vel augmentum eiusdem habitus.

Differentia vero, quæ in eadem solutione assignatur inter dispositionem ad primam infusionem gratiæ, & ad eius augmentum,non videtur satisfacere. Arguitur enim contra illam. Primo nam in prima infusione gratiæ subiectum eliciens dispositionem intensam, vt quatuor,est æque dispositum in ordine ad primam gratiam intensam,vt quatuor. At si actus eiusdem intensionis eliceret post primam iustificationem, per nullum actum ex illis disponeretur sufficienter ad augmentũ gratiæ,vt octo, sed solum remanebit cum habitu intenso,vt quatuor: sicut quando applicatur calefactiuum,vt quatuor,subiecto habenti calorem,vt quatuor, per talẽ applicationem non fiet calidum,vt octo,sed remanebit semper calidum,vt quatuor,eo quod simile non agit in sibi simile. Ergo seruata proportione habitus gratiæ & charitatis intensus,vt quatuor,non fiet intensior per hoc,quod producat postmodum alios actus intensos, vt quatuor:sed remanebit semper cum eadem intensione, quam prius habebat quousque subiectũ disponatur per actum feruentiorem: & idem erit dicendum à fortiori, quando actus subsequentes sunt magis remissi,quam habitus præexistens.

Neque est admittendum,quod æque bene, vel melius se disponat iustus,vt quatuor,per actum æqualem ad recipiendum augmentum secundum totam latitudinem actus super habitum, quàm se disposuit peccator per similem actum intensum, vt quatuor, ad tot gradus in prima iustificatione recipiendos; quia neuter habet dispositionem sufficientem ad gratiam magis intensam,

quam

quam sit gratia, vt quatuor, vt ex præmissis constat. Licet enim per secundum actum charitatis acquiret homo ius ad maiorem gloriam, quam alius, qui solum produxit vnum actum meritorium intensum, vt quatuor, & quantum ad hoc sit disparitas inter illos; nihilominus semper remanent pares, quantum ad intensionem physicam habitus, quo ad vsque alter illorum prorumpat in actum feruentiorem, & magis intensum habitu præexistente, quo ad augmentum eiusdem habitus vltimate disponatur.

Tertio probatur. Nam sequeret ex opposita sentẽtia, quod simpliciter, & absolutè ille, qui per triginta annos exercuit se in actibus charitatis remissis, vt duo, verbi gratia, vel tria, habeat multo magis intẽsum habitum gratiæ, & charitatis, quam alter qui per mensem feruẽtissime operatur, & frequenter vsque ad exponendam vitam, & passionem sustinẽdam Martyrij pro dilectione Christi. Consequens est falsum: Ergo. Sequela probatur. Nam contingere potest, vt tota collectio actuum illius, qui operatur remisse per triginta annos, excedat notabiliter, & quasi incomparabiliter totam collectionẽ actuum alterius hominis, qui per vnum mensem operatur feruenter: ergo si quolibet actu charitatis, quantumuis remisso augeatur statim habitus præexistens secundum totam latitudinem cuiuslibet actus, sequitur quod qui operatur remissè per annos triginta, habeat magis intensum habitum gratiæ, & charitatis, quam alter, qui per vnicum mensem operatus est valdè intẽsè. Falsitas vero consequentis probatur. Nam quo habitus est magis intensus, eo magis inclinat subiectum ad producendum similes actus secundum intensionem; nam habitus dantur propter actus sibi proportionatos. Sed ille qui per mensem operatur valde intensè, est magis inclinatus ad producendos actus eiusdem intensionis, quam sit inclinatus alter, qui per triginta annos operatus est remisse, vt experientia ipsa testatur: Ergo ille in fine mensis habebit habitum gratiæ, & charitatis magis intensum, quam iste, qui per annos triginta operatus est remissè.

2 Confirmatur. Nam hac ratione Sanctus Thomas 2.2.

S. Thom. quæst. 24. art. 6. in argumento; Sed contra, probat, quod charitas non augeatur per quemlibet actum, etiam remissum. *Nam effectus (inquit) non excedit virtutem causæ: sed quandoque aliquis actus charitatis cum aliquo torpore, vel remissione committitur. Non ergo perducit ad excellentiorem charitatem, sed magis disponit ad minorem.*

XIII. *Idem eod cap. nu. 47.* Respondent concedendo, posse vnum actum intensum plus valere, quam plures remissos, etiam si contingat, numerum graduum æqualem esse in pluribus actibus remissis simul sumptis, ac in vno intenso, quia difficilius est operari simul vnum perfectum actum, quam paulatim plures remissos. Et eadem ratione non dubitant, quin meritum plurium annorum possit diligentia vnius anni compensari, & expleri, iuxta illud Sapient. quart. *Consumatus in breui expleuit tempora multa.* Nihilominus tamen etiam est certum, posse è contrario longitudine temporis diligentiam parui temporis compensari, & per multitudinem actuum remissorum æquari præmium, & meritum cuiuscumque actus intensioris, & plurium, etiam si frequenter fiant, & per nobilissimum Martyrium terminentur. Et ad illud quod obijcitur de Martyrio, respondent, quod quando bonæ vitæ, licet breui, adiungitur Martyrium, est specialis ratio, tum augmenti ex perfectione, & priuilegio Martyrij, tum maioris securitatis, & certitudinis in consecutione præmij, quia per Martyrium certissimè impletur illa conditio, si in gratia decesserit. Sed per hanc solutionem vis argumenti non euacuatur, quia non procedit de augmento gratiæ in esse gratiæ, quatenus per illam medijs operibus bonis habet ius ad gloriam, & maiorem gloriam, secundum quod actus charitatis etiam remissi multiplicantur: de hoc. n. non est inter nos contentio: sed argumentum procedit de augmento gratiæ, & charitatis in esse entitatiuo habitus, seu qualitatis. Et contendimus probare, illum, qui per mensem feruenter, & frequenter produxit actus valde intensos charitatis, consequi statim per eosdem actus eorundem habi-

(margin: Sapient. 4.; Impugn.)

tuum

tuum intensionem secundum excessum actus super habitus præexistentes. Solutio autem tantum procedit de augmento gratiæ in esse gratiæ,& charitatis, modo superius explicato. Relinquitur ergo,augmentum gratiæ,& charitatis in esse physico non fieri,quousque prorumpat homo in actum feruentiorem.

AD Primum argumentum ex factis à principio respõdetur,quod sententia Nominalium eo modo intellecta,quo illam refert,& impugnat Magister Bannes, nõ est,nec fuit vnquam mihi probabilis; tum propter argumenta facta pro mea sententia; tum etiam propter inconuenientia,quæ infert magister Bannes ex sententia Nominalium. Quod si aliquibus modernis Theologis placet illa sententia, illis forsitan erit probabilis, sed tenentur argumentis adductis in contrarium satisfacere.

Illi vero Doctores, quos Auctor pro sententia Nominalium adducit, non omnes illam sequuntur, sed aliqui expressè defendunt nostram sententiam, quantum ad hoc, quod per actus remissos non augetur statim habitus præexistens,sed cum homo per actum feruentiorem fuerit ad illud augmentum sufficienter dispositus. Etenim Magister à Victoria, qui fuit primus inter Thomistas nostri seculi,qui in Vniuersitate Salmathicensi verã intelligentiam doctrinæ Sancti Thomæ introduxit, non ait in illa relectione,quòd per actus remissos augeatur statim gratia in esse habitus, seu qualitatis, sed solum concedit,quod augetur in esse gratiæ; nam ad quæstionem his duabus respondet Conclusionibus Prima Conclusio. *Per quemlibet actum charitatis, quantumuis remissum, meretur quis, & habebit maiorem gloriam.* Quam probat *ex Sancto Thoma prima secundæ quæstione 52. articulo tertio, & secunda secundæ quæstione vigesima quarta articulo sexto, licet fortasis super sententias aliter senserit.* Postmodum inquirens, An per actus remissos augeatur habitus, nec ne? respondet per subsequentem Conclusionem secundam. *Quolibet tali actu augetur gratia.* Quã probat,quia *si pro illo debet ei maior gloria: Ergo talis est dignus maiori gloria, & per consequens est gratior. Nihil enim aliud videtur esse gratius,*

quam

XIV.

Magister à Victoria

M. à Victoria sententia circa augmentũ gratiæ.

S. Thom.

quam dignius, & magis acceptum ad vitam ęternam: Ergo qui prius erat gratus, vt decem, si pro actu, vt duo, debentur ei duo gradus glorię, iam est gratior, vt duodecim. Quibus verbis non obscure indicat, se loqui de gratia in quantum per illam medijs operibus meritorijs acceptatur homo ad vitam æternam, quod & nos fatemur. Verum est, quod idem Magister à Victoria in eadem relectione valde obscurè loquitur, & nunc in vnā sententiam, & nunc in aliam inclinare videtur. Vnde in fine illius relectionis sic concludit: *Verum in hac materia facilius esset mihi dicere, quod est falsum, quam quod est verum.* Eodem modo sunt intelligenda quæ dicit Andreas de Vega. Verba autem illa, quæ adducuntur ex Magistro Soto in 4. distinct. 14. q. 2. art. 2. illo in loco non habentur: sed in distinct. 15. quæst. 2. art. 2. vbi expressè tenet nostram sententiam. Nam pertractans illam quæstionem: *Vtrum ad remissionem venialium requiratur gratiæ infusio?* respondet, *non posse fieri huiusmodi remissionem sine augmento gratię in genere gratiæ. Et ratio est, quia non potest fieri sine actu charitatis. Omnis autem huiusmodi actus est meritorius. Ergo & per ipsum acceptatur homo ad maiorem gloriam: per gratiam vero formaliter acceptatur homo ad gloriam: Ergo fit tunc maior acceptatio, atque adeo maior gratia in genere gratię.* Et in §. Scotus, subdit, quod *licet peccatum veniale non minuat habitum gratię, nihilominus, quia remissio eius non fit, nisi per actum meritorium, tunc augetur in genere gratiæ. Quod addiderim, quia forsan qualitas illa, quę est gratia in genere qualitatis, non augebitur per remissiones actus vsque ad ingressum glorię: quando tam habitus charitatis, quam gratia per modum pręmij donabuntur æquales meritis, & gloriæ,* quo nihil clarius dici potuit pro nostra sententia. Addidit tamen illam particulam, *forte*, propter diuersas opiniones, quæ in hac difficili quæstione versantur. Vnde immerito allegatur pro sententia contraria. Eodem modo explicandus est, & intelligendus lib. 2. de natura, & gratia cap. 17. in fine, præsertim cum de hac quæstione ibi non agat ex professo: sed de alia multum diuersa, verum videlicet habitus gratię, & charitatis sit

XV. Vega. Ad Mag. Soto.

vnus,

vnus, & idem habitus. Et ad probandum contra Scotum realiter distingui, sic argumentatur. *Quoniam non eadem proportione augentur, quocumque enim remississimo actu charitatis statim crescit gratia; quoniam cuicumque merito correspondet certus gradus gloriæ, ad quã statim acceptatur homo: & cum per gratiam acceptemur ad gloriam, fit, vt statim augeatur gratia. Charitas verò per actus remissiores ipsa non confestim augetur, vt Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 24. & Theologorum plurimi confitentur. Quoniam habitus operatiui potius dum remissè operantur, remittuntur. Quare quantitas gratiæ non sequitur in via quantitatem habitus, sed actuum charitatis.* Cum ergo ait, quod quantitas gratiæ non sequitur in via quantitatem habitus, sed actum charitatis, indicat, quod in patria erit æqualitas, quantum ad intensionem physicam inter habitum gratiæ, & charitatis consumatæ. Quod si vnus, aut alter ex modernis Theologis sentiunt, quolibet actu charitatis, quantumuis remisso statim augeri gratiam, & charitatem in esse physico habitus, contra illum militant cum S. Thoma alij Doctores quamplurimi, quos pro sua sententia refert Bañes. Hi sunt Conradus, & Caietanus 1. 2. quæst. 114. art. 8. Capreolus in 4. distinct. 14. q. 2. ad argumenta Scoti contra secundam Conclusionem. Paludanus eadem dist. q. 1. art. 2. Alexander Alensis 4. parte quæst. 57. memb. 5. ad. 7. Sanctus Bonauentura in 4. distinct. 14. quæst. vltima. Sanctus Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum in quodam sermone Septuagesimæ, qui omnes valde fauent nostræ sententiæ, quatenus asserunt, quod non quolibet actu charitatis augetur statim habitus gratiæ, & charitatis, sed solum per actus intensiores: quamuis aliqui eorum dicant, quod actibus remissis nulla correspondet maior gloria essentialis, sed eadem nouo titulo, dabitur tamen propter eosdem actus specialis gloria accidentalis. Sed an hoc ita sit, nec ne, ad institutum præsentis disputationis non pertinet.

S. Thom. 2. 2. q. 24.

Conrad. Caietan. Capreol. Paludan. Alexand. Alensis. S. Bonau. S. Vincét. Ferrer.

XVI. Ad secundum argumentum posset aliquis respondere, quod sicut in prima infusione gratiæ habitualis idem actus contritionis est in genere causæ materialis dispositio

sitio ad gratiam habitualem, & charitatem, & in alio genere causæ est eff. ctus illius, videlicet in genere causæ formalis, vel efficientis, vt cap. 13. & 14. ostensum est: ita proportionabiliter in patria actus intensus charitatis consumatæ correspondens secundum intensionem omnibus meritis viæ, quantumuis remissis, in genere causæ efficientis procedit à gratia, & charitate consumata, & in genere causæ materialis, seu dispositiuę antecedit illud augmentum secundum prioritatem naturæ; nam in hoc nulla esset ibi maior repugnantia, quã sit in via, quando sufficienter homo disponitur ad primam infusionem gratiæ, & charitatis, vel ad augmentum illius.

Sed hæc solutio non est necessaria, & forte non habet solidum fundamentum, quia non est eadem ratio de agumento gratiæ, & charitatis, quod confertur in via in esse physico, & de illo, quod datur in patria propter merita, quæ pręcesserunt in via, vt patebit statim.

Secundo ergo respondetur ad argumentum, & melius, quod in via requiritur dispositio per actum feruentiorẽ, vt à Deo habitus gratiæ, & charitatis augeatur physicè, non autem requiritur, vt augeatur in patria, & sic est intelligendus sanctus Thomas. Et ratio discriminis est, nã in via meretur homo illud augmentum, quamuis non statim conferatur. Vnde per actum illũ meritoriũ disponitur, & moraliter, & physicè ad augumentum habitus, sed non confertur illi, donec per actum feruentiorem ad illud augmentum se disponat. Cæterum in patria nullum est tale meritum; nam post mortem nullum est meritum, eo quod in vita præsenti comparatur omne meritum, vel demeritum: sed post mortem recipitur pœna, vel præmium secundum opera, quæ gessit anima, dum erat in corpore. Vnde in patria nulla requiritur alia dispositio physica, vt Deus augeat habitus illos; sed sufficit dispositio moralis, quæ præcessit in via, dum per quemlibet actum charitatis etiam remissum meruit homo, quod Deus augeret habitum gratiæ, & charitatis in patria iuxta quantitatem meritorum: sicut etiam meruit, quod detur illi lumen gloriæ intensum iuxta quantitatem eorundem meritorum absque eo, quod ad

Lumẽ gloriæ qualiter infundatur absq; præuia hominis dispositione physica.

recceptio-

receptionem eiusdem luminis prerequiratur aliqua alia dispositio. Et per hæc patet solutio ad Confirmationē & similiter dicendum ad tertium, ad quartum, & quintum argumentum.

XVII.

Ad Sextum respondetur, quod (vt in tractatu de visione beatifica, qui, vt existimo, iam est sub prælo, adnotaui) per lumen gloriæ disponitur intellectus ad beatificam visionem, quatenus per idem lumen intellectus creatus fit capax ad recipiendam essentiam diuinam in ratione speciei intelligibilis, eo quod per idem lumen eleuatur intellectus, & constituitur in ratione potentiæ supernaturalis ad videndum Deum. Vnde sicut species visibilis recipi non pôt, nisi in potentia visiua: ita essētia diuina in ratione speciei intelligibilis recipi non pôt, nisi in intellectu eleuato per lumen gloriæ. Vnde lumen gloriæ habet quidē rationem dispositionis in ordine ad receptionem essentiæ diuinæ, vt habet rationem speciei intelligibilis: sed non est dispositio in ordine ad actum visionis beatificæ: sed potius est causa efficiens illius. Vnde etiam si admitteretur, quod actus intēsus dilectionis beatæ esset dispositio in ordine ad augmentum habitus præexistentis, non sequitur quod idem respectu eiusdem simul sit causa, & effectus in eodem genere causæ: nam habitus intensus non est causa actus intensi in genere causæ materialis, & dispositiuæ; sed in genere causæ efficientis. vnde in diuerso genere causæ possunt se inuicem præcedere vt cap. 13. & 14. expositum est.

Lumē gloriæ qualiter sit dispositio necessaria ad recipiendā essentiam diuinam in ratione speciei intelligibilis.

XVIII.

Ad Septimum respondetur, quod quando habitus secundum illam intensionem est terminus meriti, tunc implicat, quod idem habitus secundum illam maiorem intensionem sit principium effectiuum illius. Nam (vt ait Sanctus Thomas) est impossibile, quod idem simul sit principium effectiuum merendi, & terminus meriti. Vnde si habens habitum charitatis, vt quatuor, prorumpat in actum intensum, vt octo, quo disponitur ad augmentum habitus, ille actus intensus, vt octo, produci non potest effectiuè ab habitu, vt octo; quoniam habitus, vt octo, secundum illam maiorem intensionem, quam habet super habitum præexistentem, est terminus meriti illius actus intensi, vt octo. Vnde non potest

Meriti principiū, & terminus idem esse non potest.


S. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 5. in corp.

 esse

esse principium effectiuū illius, & proterea idem actus producitur effectiue ab habitu præexistenti, vt quatuor, eleuato, & adiuto per auxilium actuale intensum, vt octo, & quoniam in patria actus dilectionis intensus nō est meritorius augmenti habitus, quod tunc confertur, bene potest secūdū probabilē sententiam disponere ad illud augmentū, & simul procedere effectiuè ab eodē habitu, quantūuis intenso. Et propter eandem rationē dictū est c. 13. contritionē, quæ est vltima dispositio ad infusionem gratiæ, & charitatis, produci effectiuè ab habitu gratiæ, & charitatis, & se inuicem præcedere in diuerso genere causæ, quoniam contritio illa non est meritoria primæ gratiæ, & ideo non sequitur illud inconueniens, quod scilicet aliquid sit principium effectiuum meriti, & terminus eiusdem meriti.

S. Thom. Ad Octauum respondetur, verba illa Diui Thom. 2. 2. allegata, esse quidem intelligenda de dispositione, & conatu, quo meretur homo augmentum habitus, talis autem dispositio, & conatus haberi non potest, nisi in via. In patria vero conatus ille intensus, & dispositio non est meritoria augmenti habitus gratiæ, & charitatis, quod tunc confertur, sed solum est præmium meritorum, quæ præcesserunt in via. Vnde ex verbis illis Sancti Thomę nihil concluditur contra nostram sententiam. Imò verba adducta in eodem argumento ex. 1. 2. quæst. 114. art. 6. ad. 3. multum fauent nostræ sententiæ. Sicut enim vita æterna, quam quis meretur per actum charitatis non statim redditur, sed suo tempore: ita etiam augmentum habitus, & charitatis, quod quis meruit per actus remissos, aut æquales cum habitu præexistenti, redditur in patria, vbi datur homini totum præmium, quod meruit in via.

Ad Nonum argumentum respondetur per ea, quæ dicta sunt circa rationes adductas pro nostra sententia.



CA-

CAPVT XVII.

Proponuntur, & soluuntur aliæ obiectiones contra præmissa.



Vctor cap. præcedenti allegatus, qui nouissimè de hac materia scripsit, affirmat, gradus omnes gratiæ, quos iustus per actus remissos charitatis meretur, statim sine vlla dilatione nullaue expectata dispositione illi conferri; ac proinde iustum non solum per omnes hos actus mereri, sed etiã statim consequi suæ gratiæ augmentum, & loquitur de augmento gratiæ non solum in esse gratiæ, quatenus per illam medijs operibus meritorijs acceptatur homo ad gloriam: sed etiam in esse physico, & entitatiuo, quod illi conuenit intrinsecè in ordine ad subiectum. Idem dicit de augmento charitatis, & virtutum omnium, quæ gratiam sanctificantem consequuntur. Probat suam sententiam sequentibus argumentis. I. *Suarez lib. 9 de gratia cap. 3. num. 23.* *Idem eod. lib. cap. 4. num. 5.*

Primo auctoritate Concilij Tridentini sess. 6. de Iustificatione cap. 16. vbi docet sancta Synodus, *iustos per bona opera, quę procedunt ex gratia, & charitate, vitam ęternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse.* Quod probat Concilium ex illo 1. Corint. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, & nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Et Canon. 24 sic diffinitur. *Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo: sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptę, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.* Et Can. 32. *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse* 1. Corint. 15. Hebr. 10. Concil. Trident. Canon. 24

dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita: aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Concilium autem loquitur de vero augmento, & reali ipsius gratiæ, & nullum est impedimentum, quominus illud statim recipiat, etiam propter bona opera remissa: Ergo statim augetur etiam in esse physico gratia propter bona opera remissa secundum totam latitudinem actus supra habitum; quia nulla potest assignari ratio sufficiens, propter quam augeatur secundum medietatem, vel tertiam partem, aut quartam: Ergo augetur secundum totam latitudinem actus.

Confirmatur primo. Vbi Conciliũ non distinguit, nec mitat suam doctrinam, nec nos distinguere debemus, vel eius doctrinam limitare. Sed Concilium Tridentinum non distinguit de opere intenso, vel remisso, cum definit, mereri iustũ de condigno per eadem opera, nec limitat suam doctrinam ad augmentum conferendum postmodum, cum se disposuerit per feruentiorem actum. Sentit ergo, quod statim augetur gratia per quodlibet opus meritorium, etiam remissum.

Confirmatur secundo. Nam in merito, quod necessario requirit conditionem, vt per illud consequatur iustus præmium promissum, illam expressè apponit Concilium, dum ait in Canone 32. quod per bona opera meretur homo vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, *si tamen in gratia decesserit, consequutionem*; nam illa limitatio erat necessaria, vt iustus per bona merita consequatur actu vitam æternam; eo quod per peccatum mortificantur omnia merita præcedentia. Cum ergo Concilium nullam apposuerit limitationem, quantum ad consequutionem augmenti gratiæ, quod meretur homo per actus remissos informatos gratia, & charitate, non debet coarctari ad consequutionem augmenti gratiæ conferendum, cum se disposuerit per actum feruentiorem. Sentit ergo Concilium, quod

statim

statim recipit homo illud augmentum.

Confirmatur tertio. Nam in eodem cap.10.ait Concilium, *quod semel iustificati, euntes de virtute in virtutem, renouantur de die in diem.* Renouari autem non dicuntur, qui pluribus titulis eandem gratiam in eodem perfectionis gradu tenent: hanc verò renouationem declarat Concilium fieri per augmentum gratiæ: *Exhibendo (inquit) ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa iustitia per Christi gratiã accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt.* Ergo tale est hoc augmentum, vt renouet hominem de die in diem: est ergo verum, & internum, non per solam, quasi extrinsecam denominationẽ ex nouo titulo, vel ex nouo actu, quẽ producit.

Confirmatur quarto ex illis verbis, quæ addit Concilium, *Crescunt, atque magis iustificantur,* & allegat testimonium Scripturæ Apocalypsis vltimo. Eccles. 18. vbi monentur iusti amplius semper iustificari, & Iacob. 2. quod ex operibus iustificatur homo. In quibus locis secundum verum Ecclesiæ sensum, iustificari idem est, quod in iustitia crescere, & magis iustum fieri, ac denique addit: *Hoc iustitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia cum orat, Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.* At Ecclesia verum, & reale augmentum harum virtutum petit, non quod nouo titulo conferatur, vel conseruetur. Postea vero in Canon. 24. definit Concilium, iustitiam acceptam *per bona opera augeri:* Ergo in eodem sensu loquitur de reali augmento, nam Canon ille doctrinæ capitis decimi respondet.

Apocalyp. vlt. Eccles. 18. Iacob. 2.

Confirmatur quinto. Nam idem Concilium cap. 16. Sessionis allegatæ ponit conditiones omnes necessarias ad meritum vitæ æternæ, & addit. *Nihil ipsis iustificatis amplius de esse credendum est, quo minus vitam æternam verè promeruisse censeantur.* At inter illas conditiones non ponit, quod actus esse debeat tantæ, vel tantæ intentionis, siuè absolutè, siuè per comparationem ad habitum: Ergo non solum non est illa conditio contentanea Concilio: sed etiam videtur repugnans illis verbis, *Nihil amplius de esse.*

Se-

Secundo arguitur ab incommodis, quæ ex contraria sententia consequuntur. Nam si permittitur illa licentia interpretandi definitionem Concilij in sensu adeo improprio, etiam posset quis negare, gratiam habitualem verè, & in se augeri per actus intensiores, vel posse iustum per opera meritoria, quantumuis excellentia, hoc mereri, sed solū, vt nouo titulo gratia eadem conferatur. Item quāuis sit de fide certū, gratiam augeri per sacramenta viuorum, posset quis dicere, id non intelligi de vero augmento, sed quia nouo titulo confertur, vel potius conseruatur. Nam si expositio habet locum sine errore in vna locutione æquè doctrinali, & propria, cur non in alia?

Tertio. Nam Scriptura, Concilia, & patres docent, mereri iustos per bona opera suæ iustitiæ incrementum: sed actus remissi charitatis sunt quædam bona opera iustorum: Ergo per illa meretur iustus idem augmentum.

Si dicatur, argumentum procedere ex puris particularibus, ac per consequens non esse bonum. Contra hoc est

Quartum argumentum, licet Concilium non addat signum distribuens, nihilominus de omnibus iustis bene operantibus loquitur, quia definitio est doctrinalis, & vniuersalis: Ergo cum dicit, *Ipsum iustificatum mereri, &c.* perinde est, ac si diceret, quemlibet iustificatum.

Confirmatur. Nam alias sequerentur magna absurda. quod scilicet definitio sit incerta, & quod liberum sit vnicuique determinare illam ad hunc, vel illum iustificatum, prout libuerit.

Quintum argumentum est. Adultus, qui post baptismum solum exercuit actus remissos, maiorem gloriam consequetur, quam infans baptizatus; quia reddet Deus præmium vnicuique secundum opera sua, ac proinde maius præmium ei, qui aliqua bona opera habuit, quam ei, qui nulla habuit, si in aliis, verbi gratia, in baptismo sint pares: Ergo per illos actus remissos meruit adultus illud augmentum gloriæ, & consequenter augmentum gratiæ, quod est dispositio ad gloriam, seu forma, cui est proportionata visio beata.

Sexto

Sexto idem probatur à priori. Quia meritum ex parte operis fundandum est in intrinseca bonitate, & dignitate operis: hanc autem habet actus charitatis substantialiter, ex vi suæ entitatis, & speciei, quam habet ex tendentia ad tale obiectum; accidentaliter autem, seu quo ad gradum bonitatis, habet valorem suum ex circumstantijs, quarum vna est intensionis gradus in se, & absolute spectatus: quod autem comparatus ad habitum sit maioris, vel minoris intensionis, parum, vel nihil conducit ad moralem dignitatem, vel æstimationem actus, si cætera paria sint: Ergo illa conditio maioris intensionis per comparationem ad habitum præexistentem est impertinens. III.

Confirmatur primo. Nam alias sequeretur, actum, vt octo, non esse meritorium alicuius gratiæ in habente habitum, vt octo, vel vt nouem, & esse meritorium gratiæ in habente tantum gratiam, vt septem, quod plane est absurdum, cum æque bene operetur, & alias habens maiorem gratiam dignior sit, & magis amicus.

Confirmatur secundo. Quoniã alias etiam ex opposita sententia sequeretur, hominẽ mereri per aliquos actus, quia remisse operatus est prius, & non mereri per actus similes, quia prius intensè operatus est, quod certè absurdum, & contra prudentem rationem iustitiæ distributiuæ esse videtur. Sequela patet; nam si peccator feruentissimo actu amoris resurgat à peccato, & ideò magnam gratiam consequatur; & postea iterum, atque iterum diligat, non tamen intensius, nihil gratiæ merebitur: & tamen si remisso amore iustificatus esset, & postea efficeret actus absolutè quidem æquales prioribus, sed respectiuè intensiores, quam remissa gratia, mereretur nouos gradus eius.

Septimo. Ponamus casum, in quo Deus ordinaret homines ad beatitudinem, & meritum eius sine habitibus infusis per actus supernaturales, & eiusdem rationis factos ex auxilijs. Hic enim prouidentiæ modus non inuoluit repugnantiam: illo autem posito omnes actus amoris Dei essent meritorij præmij essentialis; quia ad hoc meritum non est necessaria determinata intensio absoluta, vt nunc supponimus; neque tunc esset ali- IV.

qua

qua respectiua per comparationem ad habitum, quia non essent habitus, vt suppositum est: Ergo quilibet actus charitatis, cuiuscumque intensionis esset, haberet suum meritum: Ergo & nunc etiam habet, quia non est homo factus peioris conditionis per infusionem habitus. Neque est credibile, actum, qui esset meritorius in homine iustificato sine habitu, non esse meritorium in homine, qui habet habitum.

Si dicatur ad omnia hæc argumenta, iustum per actus remissos mereri quidem augmentum gratiæ, & charitatis, & augmentum gloriæ: sed sicut gloria non statim confertur, sed suo tempore: ita & augmentum gratiæ, & charitatis non conferri statim, sed quando fuerit iustus per actum feruentiorem sufficienter dispositus ad augmentum eiusdem habitus. Contra hoc est.

Octauum argumentum. Hoc meritum, quo iustus per bona opera etiam remissa meretur augmentum habitus gratiæ, & charitatis, est meritum de condigno, quod subinde fundari debet in promissione diuina, sicut & meritum gloriæ iuxta illud Iacob. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitę, quam repromisit Deus diligentibus se.* Sed talis promissio, cum sit omnino absoluta comparatione augmenti gratiæ, non dependet ex illa conditione, videlicet, si per actum feruentiorem se disposuerit ad illud augmentum recipiendum; nam talis conditio, neque ex Sacra scriptura, neque ex Concilijs, aut Patribus colligitur: Ergo etiam si iustus non prorumpat in feruentiorem actum, dabitur illi statim augmentum gratiæ, & charitatis, quod meruit per actus remissos.

Iacob. 1.

Nonum argumentum. Nam si esset necessaria alia conditio ad consequendum hoc augmentum præter illam, quam Concilium apposuit tanquam necessariam, vt iustus assequatur gloriam, quam meruit videlicet, si decesserit in gratia, sequeretur, quod ex defectu illius conditionis posset Deus gloriam denegare iustis, qui in gratia decedunt, quod tamen est contra illud, quod ait Apostolus: *De reliquo reposita est mihi corona iustitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*, & 2. Thim. 2. *Fidelis Deus negare se ipsum non potest.*

2. Thimo. 4.

Sed

Sequela verò probatur. Nam quando aliquid promittitur alicui ſub pluribus conditionibus, ſi altera illarum deficiat, promiſſio nullam inducit obligationem, ſed ipſo facto eſt nulla.

Decimum argumentum. Qui promittit aliquid ſub certa conditione, impleta conditione obligatur ad ſtatim dandum, quod promiſit. Vnde Matthæi 20. Pater familias præcepit procuratori ſuo, vt ſtatim redderet operarijs denarium, quem meruerant operando in vinea. Et Leuit. 19. ſimiliter præcipitur: *Non morabitur opus mercenarij apud te vſque mane.* Et Tob. 4. *Quicumque aliquid tibi operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue:* Sed Deus promiſit iuſto gratiæ augmentum ſub conditione operis meritorij abſque vlla alia conditione, vel diſpoſitione feruentioris actus charitatis: Ergo adimpleta illa conditione, etiam ſi actus ſit remiſſus, ſtatim Deus reddit præmium illud promiſſum abſque eo quod expectet feruentiorem actum. V. Matth. 20. Leuit. 19. Tobiæ 4.

Si dicatur, pro hac vita ſolum eſſe promiſſum augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe entitatiuo, pro vt reſpondet merito actus intenſioris ſecundum exceſſum. Contra hoc eſt

Vndecimum Argumentum. Nam tunc plane ſequitur, iuſtum quantumuis feruenter, & ſtrenuè ſe gerat in actibus dilectionis pro tempore huius vitæ, nunquam in illo poſſe conſequi augmentum debitum actibus remiſſis, nec totum debitum actibus intenſis, ſed ſolum illud augmentum, quo gratia fiat in hac vita æqualis intenſiori actui, quem iuſtus exercuit. Hoc autem videtur inconueniens, & æquitati, & ſuauitati prouidentiæ Dei minime conſentaneum. Quia cum præmium augmenti gratiæ ſit proportionatum his actibus ſecundum totam latitudinem eorum, vt ſupra oſtenſum eſt, & alioqui ſit præmium accommodatum ſtatui viæ, & pro illo vtiliſſimum, videtur alienum à ſapientiſſima ordinatione Dei, vt non reliquerit viam ad illud in præſenti ſtatu viæ integre obtinendum.

Duodecimum arg. Si liberum nobis eſt dicere, Deum non augere in hac vita gratiam ex opere operantis, niſi poſito actu intenſiori, eadem ratione poſſet defendi, VI.

quod alij dixerunt, etiam in vita futura non dari augmentum respondens actibus remissis, nisi post illos in hac vita præcesserit aliquis actus intensior illis, & habitu, non quia meritorij non sint, sed quia non merentur consecutionem illius augmenti, nisi sub illa conditione; nec Deus absolutè illud promisit, sed sub hac conditione, si per intensiorem actum in hac vita se disposuerint. Quia si illa conditio potest exigi, vel adiungi promissioni Dei pro statu huius vitæ sine auctoritate Scripturæ, vel Ecclesiæ, cur non poterit defendi etiam pro statu vitæ futuræ? Si rursus dicatur, augmentum respondens actibus remissis nunquam dari in via, siue homo se disponat per actum intensiorem, siue non, dari verò semper in patria. Contra hoc est.

Decimum tertium argumentum; quia nulla ratio probabilis reddi potest, cur in termino viæ detur sine dispositione præuia, vel tunc, vel antea requisita vltra meritum, & in tempore viæ nunquam detur, etiam si homo quantum potest, & in se est, faciat ad illud augmentum consequendum. Nam quo ad hoc genus pręmij nulla est ratio differentiæ inter viam, & terminum eius, quia est præmium accommodatum viæ, & fructus ad viam ipsam melius transigendam.

Confirmatur. Illa dilatio habet rationem oneris, & rigoris, & quasi cuiusdam pœnę, quæ in ordine diuinæ prouidentiæ admittenda non sunt, nisi manifestè constet, vel de voluntate Dei, vel de culpa ex parte hominis, vel de aliqua causa cogente: nihil autem istorum hic interuenit, quin potius oppositum videtur colligi ex Scriptura; nam Ioannes absolutè dicit: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Et Sapiens ait, *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*. Et Concilium Tridentinum similiter de iustificatis, non dicit tantum, crescere merentur, sed, *crescunt, & magis iustificantur*. Et Canone 24. ait, *iustitiam augeri coram Deo per bona opera*: Ergo non solum per illam merentur, quod gratia, & iustitia augeatur, cum iustus proruperit in feruentiorem actum, sed statim, etiam si nunquam prorumpat in actum feruentiorem.

Apoca 22
Eccles. 19

Confirmatur Secundo. Per gratiam habitualem iustificatur

ficatur homo: Ergo vt magis iustificetur, requiritur, vt augeatur præexistens gratia: sed Concilium, & Scriptura dicunt absolutè, quod per bona opera magis, ac magis de die in diem iustificatur iustus: Ergo statim datur augmentum eiusdem gratiæ propter meritum bonorum operum, quantum vis sint remissa.

VII. *Argumēta proposita circa gratiæ, & charitatis augmentum tacitè impetunt sententiam sād. Thom.*

HÆc argumenta partim impetunt sententiam Sancti Thomæ, partim opinionem Magistri Bañes, partim verò sententiam traditam disputat. 60. de Auxilijs, quibus tamen satisfacere oportet, præsertim cum Auctor num. 39. eiusdem capitis tertij contendat, doctrinam traditam in illa disputatione 60. de Auxilijs Conclus. 4. & 5. *esse his temporibus, & definitionibus Concilij Tridentini parum accōmodatam*; sed ex his, quæ capite præcedenti dicta sunt, & dicentur infra, discernere poterit pius lector, quam sine fundamento hæc dicantur, & cum non modica irreuerentia doctrinæ Sancti Thomæ, qui pluribus in locis asserit expressè, nō quolibet actu charitatis augeri statim habitum, sed cum iustus fuerit dispositus per actum feruentiorém ad recipiendum illud augmentum, vt constat ex dictis capite præcedenti. Nec enim hactenus aliquis alius Doctor ausus est dicere, doctrinam Sancti Thomæ circa augmentum gratiæ, & charitatis, quam tradit 1. 2. & 2. 2. locis superius allegatis, esse *his temporibus definitionibus Concilij Tridentini parum accommodatam*. Omnes enim norunt, quanti fecerit semper Sacrum Concilium Tridentinum doctrinam Sancti Doctoris: siquidem ex eius articulis decreta desumpsit quamplurima, quæ in suis definitionibus sub ipsismet verbis Sancti Thomæ constituit; sed de hoc satis. Ad argumenta ergo proposita, quatenus militant contra sententiam Magistri Bañes, ipsemet respondet in 2. 2. quæst. 24. art. 6. dub. 2. & latius in sua Relectione, vel Apologia de augmento charitatis. Quatenus verò doctrinam traditam in illa disputatione sexagesima de Auxilijs Conclus. 4. & 5. impugnare videntur, singulis est occurendum. Licet enim in superficie aliqualem habeant apparentiam, verbis tamen, & intentione Sacri Concilij Trident. sincerè consideratis, nullam habent subsisten-

tiam. Ad cuius euidentiam tria fundamenta supponenda sunt.

VIII. Primum fundamentum est, quod vt notauit Magister Bañes 2. 2. quæst. 24. artic. 6. dub. 2. Conclus. 2. definitio Concilij Tridentini nihil determinat contrarium opinionibus, quæ inter catholicos Doctores de augmento charitatis, & gratiæ, & de gloriæ merito versantur. Probatur. Quia mens Concilij secundum communem regulam Theologorum desumenda est ex intelligentia erroris, quem destruere, atque damnare intendit. Cum ergo esset Lutheranorum error, quod omnes iusti sint æqualiter iusti per extrinsecam iustitiam Christi, & quod nulla opera iusti sint meritoria augmenti iustitiæ, aut gloriæ: sed solum esse signa adeptæ iustitiæ per solam fiduciam certam de misericordia Dei, non imputantis peccata propter iustitiam Christi; hinc est, quod Concilium directè determinat contra prædictum errorem Lutheranorum, qui vniuersaliter negant, posse hominem iustificatum crescere per bona opera in iustitia, aut merito. Non tamen propterea existimandum est, Concilium determinasse, quod quælibet bona opera, quomodolibet fiant ab homine, qui est in gratia, statim augeant gratiam. Eandem explicationem tribuit Concilio Trident. & idem sentit Doctissimus, & pijssimus Pater Magister Frater Petrus Paulus Philippus in Academia vniuersali Perusin. olim primarius Theologiæ Professor, & consultor Sanctissimæ Inquisitionis in relectione secunda de augmentatiuo charitatis pag. 74. vbi ait, *quod Concilium non format hanc propositionem vniuersalem: Iustus per omnes actus meretur augmentum gloriæ, & gratiæ: sed statuit propositionem contradicentem errori Lutherano, qui est, iustum nullo opere suo mereri gloriam, vel gratiam. Huic autem indefinita, seu particularis affirmatiua contradicit. Ideo, quantum pendet ex intentione Concilij, sufficit veritas propositionis particularis: Opus iusti, vel aliquod opus iusti ex charitate factum meretur.* Et eodem modo explicat Concilium Arausicanum secundum Canone 18. vbi habetur: Merces debetur bonis operibus, si fiant: vt autem fiant, gratia Dei præcedit. Vnde idem

Conc. Trid. mens, & intētio circa gratiæ, & charitatis augmētum.

Fr. Petrus Paul. Phil.

An-

Auctor in eadem relectione 2. conclus. 8. pag. 109. 112. & 117. ex mente Sancti Thomæ probat, *quod quolibet actu charitatis meretur iustus eiusdem charitatis augmentum: attamen non statim à quolibet huiusmodi merito augetur charitas, sed solum cum habetur actus intensior ipsa præexistente charitate augenda.* Et contrariam opinionem Nominalium validissimè impugnat. Nec est credibile, Concilium Tridentinum definire voluisse opinionem Nominalium circa gratiæ, & charitatis augmentum, de qua opinione nulla fuit mota quæstio in eodem Concilio, sed de Lutheranorum hæresi superius commemorata.

IX.

Charitatis actus remissi disponũt remote ad charitatis augmentũ.

Secundum fundamentum est, quod sicut in naturalibus tam dispositio remota, quam proxima disponit subiectum ad consecutionem formæ, quæ tam dispositionibus remotis, quam proximis correspondet; sed nunquam introducitur forma, quo ad vsque adueniat vltima dispositio, eo quod solum dispositiones remotæ non inducunt eandem formam, neque introducunt in subiectum, sed virtute vltimæ dispositionis: ita proportionabiliter in augmento physico gratiæ, & charitatis actus remissi mereantur quidem augmentum habitus, & suo modo ad illud disponunt subiectum, quia tamen solum remotè disponunt, non inducunt statim augmentum habitus in via. Vnde donec adsit actus feruentior, qui est vltima dispositio ad augmentum habitus, non augetur à Deo, sicut etiam seruatur in prima infusione gratiæ, quæ adultis nunquam infunditur à Deo, nisi per contritionem sint ad illam sufficienter dispositi: & tunc illud augmentum non solum datur propter actum intensiorem, tanquam propter meritum: sed etiam propter actus præcedentes remissos, vel æquales, quibus remotè, & successiuè disponebatur subiectum ad illud augmentum.

X.

Gratiæ habitus, & charitatis non augentur physicè nisi per maiorem radicationem in subiecto

Tertium fundamentum est, quod gratia, & charitas dupliciter potest augeri vero, & reali augmento. Primo in ordine ad subiectum, in quo physicè intenditur per maiorem radicationem in eodem subiecto, à quo subinde remouetur difficilius: & hoc augmentum est physicum, & intrinsecum eisdem habitibus. Nam cum sint acci-

accidentia, quæ inhærent essentiæ animæ, vel eius potentijs, & accidentis esse sit inesse, vt ait Aristoteles, tunc augentur secundum essentiam, quando intenduntur, & magis radicantur in subiecto, quæ doctrina est expressa Sancti Thomæ 2. 2. q. 24. art. 4. ad. 1. vbi ait, *quod charitati non conuenit quantitas dimensiua: sed solum quantitas virtualis, qua non solum attenditur secundum numerum obiectorum, vt scilicet, plura, vel pauciora diligantur, sed etiam secundum intensionem actus, vt magis vel minus aliquid diligatur, & hoc modo virtualis quantitas charitatis augetur.* Quod etiam confirmat, & magis explicat, in solutione ad tertium, cum subdit: *Quidam dixerunt, charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subiecto, vel secundum feruorem. Sed hi propriam vocem ignorauerunt: cum enim accidens sit, eius esse est in esse. Vnde nihil est aliud, ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est magis eam radicari in subiecto. Similiter etiam ipsa essentialiter est virtus ordinata ad actum. Vnde idem est ipsam augeri secundum essentiam, & ipsam habere efficaciam ad producendum feruentioris dilectionis actum. Augetur ergo essentialiter, non quidem ita, quod esse incipiat, vel esse desinat in subiecto, sicut obiectio illa procedit: sed ita, quod magis, ac magis in subiecto esse incipiat.* Ergo secundum doctrinam Sancti Thomæ nunquam augetur physicè gratia, & charitas secundum essentiam, nisi quatenus radicatur magis in subiecto, ita vt difficilius ab eo remoueatur. Igitur omne aliud augmentum, quod gratiæ competit, & charitati, secundum quod plura, vel pauciora merita remissa procedunt ab ea, quibus meretur homo vitam æternam, non erit augmentum physicum, & intrinsecum illius, sed morale, & extrinsecum.

XI. *Gratia, & charitas in esse morali augetur statim per actus remissos, & æquales.*

Secundo potest augeri augmento quasi ab extrinseco, secundum quod medijs actibus meritorijs acceptatur homo per eandem gratiam ad maiorem gloriam, iuxta merita præcedentia in via, & habet in re ius ad illam, & isto modo augetur gratia, & charitas in esse gratiæ, & charitatis, etiam per actus remissos, secundum

dum quod eisdem actibus statim acceptatur homo ad maiorem gloriam, si in gratia decesserit, consequendam: sed hoc augmentum competit gratiæ, & charitati in esse morali, non autem secundum essentiam in esse physico, vt dictum est; quia per actus remissos, vel æquales non intenditur statim habitus gratiæ, & charitatis in se ipso, nec magis radicatur in subiecto, sed potius quodammodo disponitur ad corruptionem habitus, quod experientia ipsa testatur. Nam qui operatur remissè, facilius cadit, & remouetur à gratia, & charitate, quam alter, qui operatur valde intensè; eo quod per actus intensos magis radicatur habitus in subiecto, & consequenter difficilius ab eo remouetur, quam in altero, qui vtitur remissè eisdem habitibus, cui subinde congruit illud Apocal. 3. *vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*, quibus verbis significatur magnum periculum amittendi gratiam, & charitatem, in quo versatur ille, qui tepidè operatur. Apocal. 3.

Gratiæ, & charitatis augmentum in esse morali est verum, & reale augmentum in suo genere.

Et quidem, quod augmentum morale sit etiam verum augmentum, & reale in suo genere, & non phantasticum, vel imaginarium, negare non potest Auctor sententiæ contrariæ: nam ipsemet fatetur, contritionem esse veram, & realem dispositionem ad primam infusionem gratiæ, licet in eius sententia non disponat ad illam physicè, sed solũ moraliter, vt cap. 13. visum est.

XII.

HIs suppositis, ad primum, quod attinet ad loca adducta ex Concilio Tridentino, patet solutio per ea, quæ in primo fundamento dicta sunt. Nam Concilium nullibi dicit, quod per actus remissos gratia, & charitas augeatur statim in esse physico; de hac enim quæstione nulla tunc erat controuersia: neque etiam determinat, quod per actus remissos mereatur iustus augmentum gloriæ essentialis, propter eandem rationem; nam hoc pertinet ad quæstiones Theologicas, quæ disputantur in scholis, de quibus nihil intendit Cõcilium determinare. Fateor tamen, quod ex locis Concilij, & Scripturæ inductis satis probabiliter colligitur, quod per quemlibet actum charitatis etiam remissum statim consequatur iustus augmentum gratiæ in esse

mo-

morali, secundum, quod per illam medijs bonis operibus acceptatur iustus ad maiorem gloriam, quam postmodum assequetur, si decesserit in gratia: sed hęc collectio non est euidens, vt ex dictis constat. Et ad impugnationem respondetur, quod vt in tertio fundamento probatum est, augmentum gratiæ in esse acceptationis ad gloriam est verum, & reale, quamuis non sit augmentū physicum, quod fit per maiorem intensionem, & radicationem gratiæ, & charitatis in subiecto. Ratio autem, propter quam per actus remissos augetur statim gratia, & charitas in esse morali, non autem in esse physico, & entitatiuo, iam superius assignata est. Et ad locum adductum ex Canon. 24. & 32. respondetur, quod ex ipsismet verbis Concilij colligitur eius intelligentia; nam damnat istam propositionem vniuersalem negatiuam hæreticorum, videlicet, nullum opus bonum hominis iusti esse meritorium gloriæ vel augmenti gratiæ; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, vt constat ex verbis Canonis 24. Et ad istam propositionem vniuersalem cōdemnandam definit eius contradictoriam, ad cuius veritatem sufficit, quod per ipsamet opera meritoria mereatur homo gloriam, & gratiæ, & gloriæ augmentum. Vtrum autem illud augmentum gratiæ, quod meretur homo per actus remissos, debeat conferri statim, an verò postquam homo fuerit dispositus per actum feruentiorem, Concilium non definijt; sed reliquit Doctoribus disputandum in Scholis. Et similiter in Canon. 32. idem Concilium damnat istam propositionem vniuersalem hæreticorū: Iustificatum bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, vitam ęternam, & ipsius vitę æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Nam hæretici vniuersaliter asserebant, nullum opus bonum hominis iustificati mereri augmentum gratiæ, nec vitam æternam, nec eius augmentum. Quare Concilium ad damnandam istam vniuersalem propositionem definit, tanquam de fide, eius contradictoriam, ad cuius veritatem non requiritur, quod etiam operibus remissis meritorijs augmenti gratię conferatur statim illud augmentum, præsertim in esse

Concilium Tridentin. dānat istā propositionem vniuersalem: Nullūopus bonum hominis iusti est meritorium augmenti gratię, & gloriæ.

esse physico: hoc enim, vt dictũ est, Conciliũ nõ definit.

Ad primam Confirmationem respondetur, quod sicut non licet limitare doctrinam, vel definitionem Concilij Tridentini in his, quæ intendit definire, vel docere; ita etiam non licet illam extendere ad alia, de quibus Concilium non intendit agere, nec aliquid determinare, tanquam de fide. Hoc enim absque iniuria non modica Theologorum, qui probabiliter in hac materia loquuti sunt, fieri non potest. Cum ergo Concilium non intendat docere, vel definire, quod per quemlibet actum charitatis augeatur statim charitas in esse physico; nec quod eisdem actibus remissis correspondeat postmodũ maior, vel noua gloria essentialis ab ea, quam per actũ intensiorem quis meruerat, cum de hoc nullam habuerit Sacrum Concilium quæstionem cum Lutheranis, & alijs hæreticis, vt in primo fundamento dictum est, relinquitur, quod voluntariè adducantur eius testimonia ad probandum, quod per actus remissos statim augeatur gratia, & charitas in esse physico, cum apertissimè constet, id fuisse omnino alienum à mente Concilij. XIII. *Conciliorũ Doctrina si cut non est limitanda: ita neque extendẽda contra eorum mentem.*

Ad Secundam confirmationem respondetur, quod in assecutione gloriæ, quam iustus meruit, dum erat in via, necessarium fuit limitationem illam, & conditionem apponere, *si decesserit in gratia*; nam per subsequens peccatum mortale mortificantur omnia merita præcedentia, quo ad vsque per veram pœnitentiam resurgant. Hæretici enim, quos damnare intendit, asserebant solam fidem sufficere ad vitam æternam consequendam absque operibus procedentibus à gratia, & charitate, & consequenter etiam dixerunt, gratiam semel habitam amitti non posse. Cæterum Concilium non determinat per quos actus meritorios augeatur gratia, & charitas in esse physico, neque etiam determinat, quod per quemlibet actum statim augeatur, vel quod actibus remissis correspondeat noua gloria essentialis: sed hoc relinquit disputandum, & determinandum in Scholis à Theologis, vt dictum est. *Iustis promissa est gloria sub conditione si decesserint in gratia.*

Ad tertiam confirmationem respondetur, quod (vt supra dictum est) forma accidentalis, per quam renouatur homo, nunquam augetur secundum essentiam, nisi XIV.

fiat magis intensa per maiorem radicationem in subiecto, à quo difficilius subinde remoueatur. Vnde nisi hoc modo augeatur, quod non aliter fit, nisi quando se disponit iustus per actus intensiores, nunquam augetur secundum essentiam: Per actus autem remissos sufficit, quod statim augeatur extrinsecè, quasi per adiectionem vnius actus meritorij ad alium, vel alios, quos producit, per quos habet ius ad augmentum gratiæ, & gloriæ suo tempore conferendum. Vtrum autem illud ius actibus remissis correspondens sit ad maiorem gloriam essentialem, vel ad eãdem nouo titulo coniunctam cum noua gloria accidentali, disputatur à Theologis: neque altera pars fuit circa hoc à Conc. definita, & iuxta hanc doctrinam intelligenda sunt, quæ afferuntur in hac confirmatione. Et similiter dicendum ad alia omnia, quæ in quarta confirmatione adducuntur. Sunt enim in eodem sensu accipienda: sed specialiter ad locum Apocalypsis vltimo respondetur per alium locum Apocalypsis superius inductum, *vtinam frigidus esses, aut calidus, &c.* quos significatur magnum periculum, in quo versantur illi, qui tepidè, & valde remissè vtuntur habitibus gratiæ, & charitatis, quos in prima iustificatione acceperunt. Ex quo fit manifestum, quod per actus remissos non solum non augetur, neque intenditur habitus secundum essentiam, ita vt difficilius remoueatur à subiecto: sed potius sic operando remissè facilius corrũpitur, eo quod qui sic remissè operantur, facilius cadũt in peccatũ mortale, quam alij, qui operantur feruentius, & intensius, quam sit habitus præexistens.

Apocal 3.

A gratia facile cadit qui cũ ea operatur remisse

Ad quintam confirmationem fatemur libentissimè, quod vt iustus consequatur vitam æternam, quam meruit per actus informatos gratia, & charitate, siuè sint intensi, siuè remissi, solum requiritur, quod ponatur in esse illa conditio, *si videlicet in gratia decesserit,* & hoc tantum docet Concilium in cap. 16. allegato. Vnde ex illo testimonio nihil concluditur contra sententiam Sancti Thomæ, vel discipulorum eius, qui expressè docent, per actus remissos non augeri statim habitũ gratiæ, & charitatis; sed solũ quando iustus fuerat sufficienter dispositus ad illud augmentũ per actũ intensiorẽ.

Sed

Sed obijciunt aliqui: nam S.Thomas in 2.sent.d.27. q. 1. art. 5. ad. 2. absolutè dicit, quod per actus remissos non meretur homo augmentum habitus. Sic enim ait: *Non oportet quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur*, quod videtur repugnare Sacro Concilio Tridentino locis allegatis. Sed respondetur, quod intelligitur, Sanctus Thomas, quod non meretur augmentum habitus statim conferendum, sed cum se disposuerit per actum feruentiorem, vt idem Sanctus Doctor se ipsum explicat 1. 2. & 2.2. superius allegatis. Nec enim in illis locis retractauit sententiam, quam ibi docuit; nam quotiescumque aliquam sententiam, quam prius docuit, retractat, semper id explicat his, vel consimilibus verbis; *Licet aliquando oppositum dixerim, vel aliter senserim*, quod tamen in hac materia de augmento charitatis non dicit. XV. *S. Thom. opinio ex. 2. sentent. circa gratiæ augmentum explicatur.*

Ad secundum argumentum respondetur negando, sequi ex sententia Sancti Thomæ, & discipulorum eius incommoda, quæ ex illa deducuntur; nam interpretatio Sacri Concilij Tridentini superius tradita, est valde conformis intentioni eiusdem Concilij, vt constat ex dictis in primo fundamento. Alia vero interpretatio, quæ in eodem argumento insinuatur, est directè contraria intentioni, & verbis ipsis definitionis eiusdem Concilij. Vnde non sequitur ex nostra sententia, quod liceat illam explicationem adhibere verbis eiusdem Concilij, ac per consequens nulli Catholico permittenda est licentia sic interpretandi Concilium contra eius mentem, & verba. Et eodem modo respondetur ad illud, quod infertur de augmento gratiæ, quod fit per realem susceptionem Sacramenti; est enim contra intentionem, & verba Concilij asserere, quod verè, & realiter non augeatur gratia per susceptionem Sacramenti, sed solum eadem conseruetur, vel nouo titulo conferatur. Nam impossibile, est quod gratia habitualis præexistens nouo titulo conferatur per realem Sacramentorum susceptionem.

Ad tertium respondetur, solum probare, quod per bona opera remissa iusti mereantur augmentum gratiæ: sed nullo modo concludit, quod mereantur augmentum

physicum gratiæ statim conferendum: sed solum, cum fuerit homo per actum feruentiorem ad illud augmentum dispositus, vt dicit S. Thomas, & eius discipuli.

Ad Quartum respondetur, Concilium quidem loqui de omnibus iustis, sed tamen non loqui de omnibus eorũ operibus alias bonis; neque id potest colligi ex eius intentione, & verbis. Etenim cõmunis sententia est inter Theologos, quod si iustus exerceat aliquod opus bonum morale ex pietate naturali, non referendo illud actualiter, nec virtualiter in vltimum finem supernaturalem, per tale opus non meretur augmentum gratiæ, vel gloriæ; quoniam, vt patebit 1.2. quæst. 114. art. 4. vt actus sit meritorius de condigno, necessario requiritur, quod formaliter, aut virtualiter referatur per charitatẽ in vltimum finem supranaturalem. Proportionabiliter dicendum est in præsenti, quod licet per actus remissos mereatur iustus augmentum gratiæ, & charitatis, illud tamen non consequitur statim, sed cum fuerit ad idem augmentum sufficienter dispositus, quod in via non aliter fit, nisi per actum intensiorem. Et per hæc patet ad Confirmationem.

XVI. Ad Quintum respondetur, quòd ille adultus meretur quidem per actus remissos augmentum gratiæ, & augmentum gloriæ: sed sicut augmentum gloriæ non statim confertur, sed suo tempore: ita & augmentum gratiæ in esse physico non confertur statim: sed cum iustus fuerit ad illud augmentũ sufficienter dispositus. Solutio est expressa Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 114. artic. 8. cuius verba superius sunt adducta.

Concilium Trid. non diffinit vniuersaliter omnia bona opera iustorum esse meritoria augmẽti gratiæ, & gloriæ.

XVII. Ad Sextum respondetur, quod licet illa maior intensio actus supra habitum præexistentem non sit necessaria, vt talis actus sit meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ, est tamen saltem in via necessaria dispositio, vt statim augeatur habitus physicè per maiorem radicationem in subiecto, cui inhæret, vt dictum est.

Ad Primam Confirmationem respondetur, quod habens habitum, vt octo, vel vt nouem, per actum charitatis intensum, vt octo, meretur quidem augmentum habitus conferendum, at non statim; sed cum per actum

fer-

feruentiorem fuerit ad idem augmentum sufficienter dispositus: etenim ille actus, vt octo, non sufficienter disponit subiectum ad recipiendum statim augmentum habitus, eo quod est æqualis in intensione habitui præexistenti. Cæterum actus meritorius intensus, vt octo, elicitus ab illo, qui habet habitum intensum, vt septem, vel vt quatuor, est sufficiens dispositio ad recipiendum statim augmentum habitus secundum illum excessum intensionis actus supra habitum. Vnde non est simile.

Ad Secundam confirmationem respondetur per ea, quæ dicta sunt ad Primam, quod per quemlibet bonum actum, etiam remissum meretur iustus augmentum habitus gratiæ, & charitatis: sed illud augmentum non confertur statim, nisi per feruentiorem actum fuerit dispositus ad illud augmentum propter rationes superius assignatas. Nec ex hoc sequitur, quod non sit melioris conditionis ille, qui feruentissimo actu contritionis iustificatus est dispositiuè, quam alter, qui contritione valde remissa consequutus est primam gratiam: sed potius est multo melioris conditionis; nam per illum actum valde intensum meruit multo maiorem gloriam essentialẽ, quã alter, & similiter per actus remissos meretur augmentũ habitus suo tẽpore consequendũ: alter vero, qui cũ eadẽ remissione operatur, nõ solũ meretur augmentũ habitus præexistentis, sed etiã statim recipit illud augmentum; quoniam ad illud statim recipiendũ sufficienter disponitur per actũ intensiorẽ quam sit habitus præexistens. Et quantũ ad hoc valde consideranda est, & attendẽda intensio actus respectiuè in ordine ad habitũ præexistentẽ, licet alias secũdũ se illi actus eliciti ab vtroque sint æqualis intensionis; quoniã si excedat in intensione habitum præexistentem, statim augetur per maiorem radicationem in subiecto, si autem non excedat præexistentem habitum, meretur quidem augmentum tunc consequendum, quando fuerit per actum feruentiorem sufficienter dispositus, & non ante.

Qui operatur intense cum gratia qualiter sit melioris conditionis, quam operans remisse.

XVIII.

Ad septimum respondetur, quod si per possibile, vel impossibile ille casus poneretur in esse, tunc homo non mereretur de condigno gloriam, vel augmentum habitus,

tus, sicut meretur nunc per quemlibet actum, etiam remissum; quoniam ad huiusmodi meritum necessario requiritur gratia iustificans, per quam fit homo diuinæ consors naturæ,& habet ius de condigno ad gloriam: per solũ aũt auxiliũ actuale non fit hoc modo gratus Deo, & acceptus ad vitam æternam, cum illud auxilium,& sit transiens,& esse possit in homine peccatore, vt ex Cõc. Trid. sess. 14. cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ constat. Vnde ex illo casu imaginario deduci non potest, iustum per actus remissos percipere statim augmentum habitus, quod per eosdem actus meretur. Neque ex hoc sequitur, quod sit homo factus peioris conditionis per infusionem habitus gratiæ,& charitatis, quam esset, si non infunderentur illi habitus; sed in casu illo imaginario nullum haberet habitum, qui posset intendi per actus remissos, aut etiam intensos, & consequenter habitus nunquam augeretur; nam ad augmentum supponitur existẽtia eius, quod augetur: in casu aũt illo nullum esse posset augmentum habitus, quantumuis actus essent intensi.

XIX. Ad octauũ responsum est supra. Et nunc breuiter dicitur, & declaratur magis eadem responsio ex differentia, quæ reperitur inter illam conditionem, *Si in gratia decesserit*, quæ necessaria est ad consequutionẽ gloriæ,& necessitatẽ actus intensioris, vt statim augeatur habitus, nam deficiente prima illa conditione, non solum non consequitur homo gloriam, quam meruerat; sed etiam mortificantur omnia præcedẽtia opera meritoria, ac si facta non fuissẽt, iuxta illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua,& fecerit iniquitatem &c. Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* At vero etiam si iustus nunquam se disponat per intensiorem actum ad augmentum habitus statim recipiendum; nihilominus illa opera semper manent viua, & meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ, quod quidem augmentum, si nunquam receperit in via, quia nunquam se disposuit ad illud sufficienter recipiendum, postmodum accipiet in patria. Sicut enim Deus non promisit statim dare gloriã, quam meretur homo per actus à gratia, & charitate procedentes: ita proportionabiliter non promisit augere sta-

Gloria non est promissa iustis sub illa conditione, si per actum feruentiorem se disposuerint.

Ezech. 18

tim in esse physico habitum gratiæ, & charitatis, cuius augmentum meretur iustus per actus remissos: sed secundum eius suauem dispositionem, voluit quod homo per actus proportionatos se disponat ad illud augmentum recipiendũ, sicut etiam voluit, quod se disponeret per contritionẽ magis, vel minus intensam, vt primam gratiam iustificantem in maiori, vel minori intensione reciperet iuxta maiorem, vel minorem intensionem contritionis, quæ est vltima dispositio ad primam infusionem gratiæ iustificantis.

Ad nonum respondetur, quod Deus non promisit se daturũ gloriam iustis propter actus meritorios sub hac conditione, si ad augmentum gratiæ, quod meruerunt per actus remissos, se disposuerint; sed solum requiritur, quod decedant in gratia, vt gloriam, quam meruerunt, assequantur. Vnde siue in via se disponant ad illud augmentum, siue non, gloriam, quam meruerunt per actus remissos non amittent. Solum ergo probat argumentum, quod si iustus non se disposuit ad augmentũ habitus in esse physico, nũquam recipiet illud augmentũ in via; accipiet autem postmodum in patria, vt supra dictum est.

Ad decimum argumentum respondetur, potius probare nostram sententiam, quod scilicet, statim ac iustus per actum feruentiorem se disponit ad augmentum habitus, subito Deus auget illum secundum totum excessum actus supra habitum; nam Deus disposuit non infundere extra Sacramentum primam gratiam, nec postmodum augere illam, nisi iuxta quantitatem dispositionis subiecti, vt dictum est.

Ad Vndecimum concessa maiori, vel sequela, ad impugnationem dicitur, quod præmium augmenti gratiæ non est proportionatum actibus remissis, vel æqualis intensionis cum habitu præexistẽti, eo quod per nullum illorum, nec per omnes simul sufficienter disponitur subiectum, vt statim augeatur habitus secundum suam substantiam, & essentiam, vt dictum est.

Secundo respondetur, quod in via augmentum habitus correspondet, tanquam præmium merito, actui magis intenso; nam talis actus est vltima dispositio ad aug-

RESPONSIONVM
AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORDIAM LIBERI ARBITRII cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione,

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, pro vt à S. Thoma, & Thomiſtis defenditur, & explicatur.

LIBER SEXTVS.

In quo agitur de abſoluta prædeſtinatione ad gloriam ante præuiſa merita gratiæ.

PROOEMIVM.



VONIAM circa gratuitam prædeſtinationem, quam Sanct. Pater Auguſtinus aduerſus Pelagianos, & Semipelagianos conſtanter docuit, multæ inſurrexerunt olim difficultates, eæq; graues, & poſtmodum à diuerſis Doctoribus vſq; ad hæc noſtra tempora ſuſcitatæ ſunt: operæpretium facturus eſse videor, ſi eas in medium protulero, & eodem S. Auguſtino, Proſpero, & Hilario, ac Fulgentio Ducibus, atque Magiſtris, qui eiuſdem S. Doctoris defenſores acerrimi extiterunt, iuxta Doctrinam Sancti Thomæ, in quantum materia patitur, dilucidauero, & obiectionibus in contrarium occurrero. Quia

vero donum perseuerantiæ, quo perseuerat quis in gratia vsque in finem, est proprium donum prædestinatorum, nulli alteri commune, cuius virtute ad beatitudinem æternam peruenitur, iuxta illud Verbum Domini.
Matth. 10. & 24. Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit: ideo in primis circa idem donũ perseuerantiæ quædam difficultates dissoluendæ sunt. Deinde inquirendum, an prædestinatio absoluta ad gloriam fuerit dependens ex præuisis meritis gratiæ. Præsertim iuxta sententiam S. August. Prosperi, Hilarij, & Fulgentij.


Circa donum igitur perseuerantiæ præter ea omnia, quæ disputat. 56. de Auxilijs, & lib. 2. responsionum cap. 8. & 9. dicta sunt, quatuor oportet in præsenti examinare.

Primo. Vtrum, vt primi parentes actu perseuerarent in accepta gratia vsque in finem, indigebant dono illo specialissimo perseuerantiæ, quod nunc prædestinatis per gratiam Christi confertur.

Secundo, quid intelligat S. Augustinus per vocationem congruam, qua prædestinati infallibiliter conuertuntur, perseuerant in gratia, & saluantur.

Tertio. Vtrum Deus ex parte sua æqualiter se habeat ad saluandos, & non saluandos.

Quarto. Vtrum facientibus quod in se est ex solis viribus naturæ, dentur infallibiliter, & ex certa lege auxilia præuenientis gratiæ, quibus ea, pro vt ad salutem oportet, exequantur.



CA-

CAPVT I.

Vtrum, vt primi Parentes actu perseuerarent in accepta gratia vsque in finem, indigerent dono illo specialissimo perseuerantiæ, quod nunc solis prædestinatis per gratiam Christi confertur.



HANC difficultatem tractaui disputat. 106. de Auxilijs, & ideo nunc est breuiter attingenda, vt obiectionibus contra resolutionē ibi traditam satisfaciam. I.

Molina in Concordia, quæst. 14. art. 13. distinct. 4. per totam; sed præsertim in principio, & §. Obiecto fundamento, adducens Concilium Arausicanum contra suam sententiam, respondet: *Nemo potest ex eiusmodi definitione colligere, primos parentes in innocentia statu ad euitanda lethalia peccata, perseuerandumque in gratia eguisse auxilio particulari superaddito habitibus iustitiæ originalis gratiæ, Theologaliumque virtutum.* Molina.

Pater Suarez libro 10. de gratia cap. 9. num. 4. & sequentibus præmissa distinctione de gratia necessaria in statu innocentiæ ad potestatem perseuerandi, si homo vellet, & de gratia necessaria ad perseuerandū actu, & cum effectu vsque ad finē vitæ, respondet tribus dictis. Suarez.

Dicit Primo: Quo ad potestatem potuisse Adam perseuerare in gratia, & in statu innocentiæ cum sola gratia habituali, & generalibus auxilijs debitis illi statui, sine alio specialiori auxilio Dei. II.

Dicit Secundo: Ad perseuerandum cum effectu, & infallibiliter speciale donum gratiæ, etiam in Angelis, vel in homine in statu innocentiæ necessarium fuisse.

Dicit Tertio: Neque ex Concilio Arausicano, neque ex doctrina Sancti Augustini, vel aliorum Patrum probari, perseuerantiam in statu innocentiæ sine speciali auxilio gratiæ esse non potuisse; quia neque sub his, vel æquiualētibus verbis in dicto Concilio definitur, neque à patribus traditur.

fiat magis intensa per maiorem radicationem in subiecto, à quo difficilius subinde remoueatur. Vnde nisi hoc modo augeatur, quod non aliter fit, nisi quando se disponit iustus per actus intensiores, nunquam augetur secundum essentiam: Per actus autem remissos sufficit, quod statim augeatur extrinsecè, quasi per adiectionem vnius actus meritorij ad alium, vel alios, quos producit, per quos habet ius ad augmentum gratiæ, & gloriæ suo tempore conferendum. Vtrum autem illud ius actibus remissis correspondens sit ad maiorem gloriam essentialem, vel ad eàdem nouo titulo coniunctam cum noua gloria accidentali, disputatur à Theologis: neque altera pars fuit circa hoc à Conc. definita, & iuxta hanc doctrinam intelligenda sunt, quæ afferuntur in hac confirmatione. Et similiter dicendum ad alia omnia, quæ in quarta confirmatione adducuntur. Sunt enim in eodem sensu accipienda: sed specialiter ad locum Apocalypsis vltimo respondetur per alium locum Apocalypsis superius inductum, *vtinam frigidus esses, aut calidus, &c.* quos significatur magnum periculum, in quo versantur illi, qui tepidè, & valde remissè vtuntur habitibus gratiæ, & charitatis, quos in prima iustificatione acceperunt. Ex quo fit manifestum, quod per actus remissos non solum non augetur, neque intenditur habitus secundum essentiam, ita vt difficilius remoueatur à subiecto: sed potius sic operando remissè facilius corrũpitur, eo quod qui sic remissè operantur, facilius cadũt in peccatũ mortale, quam alij, qui operantur feruentius, & intensius, quam sit habitus præexistens.

Apocal 3.

A gratia facile cadit qui cũ ea operatur remissè

Ad quintam confirmationem fatemur libentissimè, quod vt iustus consequatur vitam æternam, quam meruit per actus informatos gratia, & charitate, siuè sint intensi, siuè remissi, solum requiritur, quod ponatur in esse illa conditio, *si videlicet in gratia decesserit,* & hoc tantum docet Concilium in cap. 16. allegato. Vnde ex illo testimonio nihil concluditur contra sententiam Sancti Thomæ, vel discipulorum eius, qui expressè docent, per actus remissos non augeri statim habitũ gratiæ, & charitatis; sed solũ quando iustus fuerat sufficienter dispositus ad illud augmentũ per actũ intensiorẽ.

Sed

Sed objiciunt aliqui: nam S.Thomas in 2.sent.d.27. q. 1. art. 5. ad. 2. absolutè dicit, quod per actus remissos non meretur homo augmentum habitus. Sic enim ait: *Non oportet quod quilibet actus meritorius augmentum gratiae mereatur*, quod videtur repugnare Sacro Concilio Tridentino locis allegatis. Sed respondetur, quod intelligitur, Sanctus Thomas, quod non meretur augmentum habitus statim conferendum, sed cum se disposuerit per actum feruentiorem, vt idem Sanctus Doctor se ipsum explicat 1. 2. & 2.2. superius allegatis. Nec enim in illis locis retractauit sententiam, quam ibi docuit; nam quotiescumque aliquam sententiam, quam prius docuit, retractat, semper id explicat his, vel consimilibus verbis; *Licet aliquando oppositum dixerim, vel aliter senserim*, quod tamen in hac materia de augmento charitatis non dicit. XV. *S. Thom. opinio ex. 2. sentent. circa gratiae augmētum explicatur.*

Ad secundum argumentum respondetur negando, sequi ex sententia Sancti Thomae, & discipulorum eius incommoda, quae ex illa deducuntur; nam interpretatio Sacri Concilij Tridentini superius tradita, est valde conformis intentioni eiusdem Concilij, vt constat ex dictis in primo fundamento. Alia vero interpretatio, quae in eodem argumento insinuatur, est directè contraria intentioni, & verbis ipsis definitionis eiusdem Concilij. Vnde non sequitur ex nostra sententia, quod liceat illam explicationem adhibere verbis eiusdem Concilij, ac per consequens nulli Catholico permittenda est licentia sic interpretandi Concilium contra eius mentem, & verba. Et eodem modo respondetur ad illud, quod infertur de augmento gratiae, quod fit per realem susceptionem Sacramenti; est enim contra intentionem, & verba Concilij asserere, quod verè, & realiter non augeatur gratia per susceptionem Sacramenti, sed solum eadem conseruetur, vel nouo titulo conferatur. Nam impossibile, est quod gratia habitualis praeexistens nouo titulo conferatur per realem Sacramentorum susceptionem.

Ad tertium respondetur, solum probare, quod per bona opera remissa iusti mereantur augmentum gratiae: sed nullo modo concludit, quod mereantur augmentum

physicum gratiæ statim conferendum: sed solum, cum fuerit homo per actum feruentiorem ad illud augmentum dispositus, vt dicit S. Thomas, & eius discipuli.

Ad Quartum respondetur, Concilium quidem loqui de omnibus iustis, sed tamen non loqui de omnibus eorũ operibus alias bonis; neque id potest colligi ex eius intentione, & verbis. Etenim cõmunis sententia est inter Theologos, quod si iustus exerceat aliquod opus bonum morale ex pietate naturali, non referendo illud actualiter, nec virtualiter in vltimum finem supernaturalem, per tale opus non meretur augmentum gratiæ, vel gloriæ; quoniam, vt patebit 1.2. quæst. 114. art. 4. vt actus sit meritorius de condigno, necessario requiritur, quod formaliter, aut virtualiter referatur per charitatẽ in vltimum finem supranaturalem. Proportionabiliter dicendum est in præsenti, quod licet per actus remissos mereatur iustus augmentum gratiæ, & charitatis, illud tamen non consequitur statim, sed cum fuerit ad idem augmentum sufficienter dispositus, quod in via non aliter fit, nisi per actum intensiorem. Et per hæc patet ad Confirmationem.

XVI. *Concilium Trid. non diffinit vniuersaliter omnia bona opera iustorum esse meritoria augmẽti gratiæ, & gloriæ.*

Ad Quintum respondetur, quòd ille adultus meretur quidem per actus remissos augmentum gratiæ, & augmentum gloriæ: sed sicut augmentum gloriæ non statim confertur, sed suo tempore: ita & augmentum gratiæ in esse physico non confertur statim: sed cum iustus fuerit ad illud augmentũ sufficienter dispositus. Solutio est expressa Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 114. artic. 8. cuius verba superius sunt adducta.

XVII. Ad Sextum respondetur, quod licet illa maior intensio actus supra habitum præexistentem non sit necessaria, vt talis actus sit meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ, est tamen saltem in via necessaria dispositio, vt statim augeatur habitus physicè per maiorem radicationem in subiecto, cui inhæret, vt dictum est.

Ad Primam Confirmationem respondetur, quod habens habitum, vt octo, vel vt nouem, per actum charitatis intensum, vt octo, meretur quidem augmentum habitus conferendum, at non statim; sed cum per actum

fer-

feruentiorem fuerit ad idem augmentum sufficienter dispositus: etenim ille actus, vt octo, non sufficienter disponit subiectum ad recipiendum statim augmentum habitus, eo quod est æqualis in intensione habitui præexistenti. Cæterum actus meritorius intensus, vt octo, elicitus ab illo, qui habet habitum intensum, vt septem, vel vt quatuor, est sufficiens dispositio ad recipiendum statim augmentum habitus secundum illum excessum intensionis actus supra habitum. Vnde non est simile.

Ad Secundam confirmationem respondetur per ea, quæ dicta sunt ad Primam, quod per quemlibet bonum actum, etiam remissum meretur iustus augmentum habitus gratiæ, & charitatis: sed illud augmentum non confertur statim, nisi per feruentiorem actum fuerit dispositus ad illud augmentum propter rationes superius assignatas. Nec ex hoc sequitur, quod non sit melioris conditionis ille, qui feruentissimo actu contritionis iustificatus est dispositiuè, quam alter, qui contritione valde remissa consequutus est primam gratiam: sed potius est multo melioris conditionis; nam per illum actum valde intensum meruit multo maiorem gloriam essentialẽ, quã alter, & similiter per actus remissos meretur augmentũ habitus suo tẽpore consequendũ: aliter vero, qui cũ eadẽ remissione operatur, nõ solũ meretur augmentũ habitus præexistentis, sed etiã statim recipit illud augmentum; quoniam ad illud statim recipiendũ sufficienter disponitur per actũ intensiorẽ, quam sit habitus præexistens. Et quantũ ad hoc valde consideranda est, & attendẽda intensio actus respectiuè in ordine ad habitũ præexistentẽ, licet aliàs secũdũ se illi actus eliciti ab vtroque sint æqualis intensionis; quoniã si excedat in intensione habitum præexistentem, statim augetur per maiorem radicationem in subiecto, si autem non excedat præexistentem habitum, meretur quidem augmentum tunc consequendum, quando fuerit per actum feruentiorem sufficienter dispositus, & non ante.

Qui operatur intense cum gratia qualiter sit melioris conditionis, quam operans remissè.

XVIII. Ad septimum respondetur, quod si per possibile, vel impossibile ille casus poneretur in esse, tunc homo non mereretur de condigno gloriam, vel augmentum habitus,

tus, sicut meretur nunc per quemlibet actum, etiam remissum; quoniam ad huiusmodi meritum necessario requiritur gratia iustificans, per quam fit homo diuinæ consors naturæ, & habet ius de condigno ad gloriam: per solũ aũt auxiliũ actuale non fit hoc modo gratus Deo, & acceptus ad vitam æternam, cum illud auxilium, & sit transiens, & esse possit in homine peccatore, vt ex Cõc. Trid. sess. 14. cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ constat. Vnde ex illo casu imaginario deduci non potest, iustum per actus remissos percipere statim augmentum habitus, quod per eosdem actus meretur. Neque ex hoc sequitur, quod sit homo factus peioris conditionis per infusionem habitus gratiæ, & charitatis, quam esset, si non infunderentur illi habitus; sed in casu illo imaginario nullum haberet habitum, qui posset intendi per actus remissos, aut etiam intensos, & consequenter habitus nunquam augeretur; nam ad augmentum supponitur existẽtia eius, quod augetur: in casu aũt illo nullum esse posset augmentum habitus, quantumuis actus essent intensi.

XIX. Ad octauũ responsum est supra. Et nunc breuiter dicitur, & declaratur magis eadem responsio ex differentia, quæ reperitur inter illam conditionem, *Si in gratia decesserit*, quæ necessaria est ad consequutionẽ gloriæ, & necessitatẽ actus intensioris, vt statim augeatur habitus, nam deficiente prima illa conditione, non solum non consequitur homo gloriam, quam meruerat; sed etiam mortificantur omnia præcedẽtia opera meritoria, ac si facta non fuissẽt, iuxta illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem &c. Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* At vero etiam si iustus nunquam se disponat per intensiorem actum ad augmentum habitus statim recipiendum; nihilominus illa opera semper manent viua, & meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ, quod quidem augmentum, si nunquam receperit in via, quia nunquam se disposuit ad illud sufficienter recipiendum, postmodum accipiet in patria. Sicut enim Deus non promisit statim dare gloriã, quam meretur homo per actus à gratia, & charitate procedentes: ita proportionabiliter non promisit augere sta-

Gloria non est promissa iustis sub illa conditione, si per actum feruentiorem se disposuerint.

Ezech. 18

tim

tim in esse physico habitum gratiæ, & charitatis, cuius augmentum meretur iustus per actus remissos: sed secundum eius suauem dispositionem, voluit quod homo per actus proportionatos se disponat ad illud augmentum recipiendũ, sicut etiam voluit, quod se disponeret per contritionẽ magis, vel minus intensam, vt primam gratiam iustificantem in maiori, vel minori intensione reciperet iuxta maiorem, vel minorem intensionem contritionis, quæ est vltima dispositio ad primam infusionem gratiæ iustificantis. .IXX

Ad nonum respondetur, quod Deus non promisit se daturũ gloriam iustis propter actus meritorios sub hac conditione, si ad augmentum gratiæ, quod meruerunt per actus remissos, se disposuerint; sed solum requiritur, quod decedant in gratia, vt gloriam, quam meruerunt, assequantur. Vnde licet in via se disponant ad illud augmentum, siue non, gloriam, quam meruerunt per actus remissos non amittent. Solum ergo probat argumentum, quod si iustus non se disposuit ad augmentũ habitus in esse physico, nũquam recipiet illud augmentũ in via; accipiet autem postmodum in patria, vt supra dictum est.

Ad decimum argumentum respondetur, potius probare nostram sententiam, quod scilicet, statim ac iustus per actum feruentiorem se disponit ad augmentum habitus, subito Deus auget illum secundum totum excessum actus supra habitum; nam Deus disposuit non infundere extra Sacramentum primam gratiam, nec postmodum augere illam, nisi iuxta quantitatem dispositionis subiecti, vt dictum est.

Ad Vndecimum concessa maiori, vel sequela, ad impugnationem dicitur, quod præmium augmenti gratiæ non est proportionatum actibus remissis, vel æqualis intensionis cum habitu præexistenti, eo quod per nullum illorum, nec per omnes simul sufficienter disponitur subiectum, vt statim augeatur habitus secundum suam substantiam, & essentiam, vt dictum est.

Secundo respondetur, quod in via augmentum habitus correspondet, tanquam præmium merito, actui magis intenso; nam talis actus est vltima dispositio ad aug-

RESPONSIONVM AD OBIECTIONES ADVERSVS CONCORDIAM LIBERI ARBITRII cum diuina præscientia, prouidentia, & prædestinatione,

Atque cum efficacia præuenientis gratiæ, pro vt à S. Thoma, & Thomistis defenditur, & explicatur.

LIBER SEXTVS.

In quo agitur de absoluta prædestinatione ad gloriam ante præuisa merita gratiæ.

PROOEMIVM.



VONIAM circa gratuitam prædestinationem, quam Sanct. Pater Augustinus aduersus Pelagianos, & Semipelagianos constanter docuit, multæ insurrexerunt olim difficultates, eæq; graues, & postmodum à diuersis Doctoribus vsq; ad hæc nostra tempora suscitatæ sunt: operæpretium facturus esse videor, si eas in medium protulero, & eodem S. Augustino, Prospero, & Hilario, ac Fulgentio Ducibus, atque Magistris, qui eiusdem S. Doctoris defensores acerrimi extiterunt, iuxta Doctrinam Sancti Thomæ, in quantum materia patitur, dilucidauero, & obiectionibus in contrarium occurrero. Quia

CAPVT I.

Vtrum, vt primi Parentes actu perseuerarent in accepta gratia vsque in finem, indigerent dono illo specialissimo perseuerantiæ, quod nunc solis prædestinatis per gratiam Christi confertur.



HANC difficultatem tractaui disputat. 106. de Auxilijs, & ideò nunc est breuiter attingenda, vt obiectionibus contra resolutionẽ ibi traditam satisfaciam. I.

Molina in Concordia, quæst. 14. art. 13. distinct. 4. per totam; sed præsertim in principio, & §. Obiecto fundamento, adducens Concilium Arausicanum contra suam sententiam, respondet: *Nemo potest ex eiusmodi definitione colligere primos parentes in innocentiæ statu ad euitanda lethalia peccata, perseuerandumque in gratia eguisse auxilio particulari superaddito habitibus iustitiæ originalis gratiæ, Theologaliumque virtutum.* Molina.

Pater Suarez libro 10. de gratia cap. 9. num. 4. & sequentibus præmissa distinctione de gratia necessaria in statu innocentiæ ad potestatem perseuerandi, si homo vellet, & de gratia necessaria ad perseuerandũ actu, & cum effectu vsque ad finẽ vitæ, respondet tribus dictis. Suarez.

Dicit Primo: Quo ad potestatem potuisse Adam perseuerare in gratia, & in statu innocentiæ cum sola gratia habituali, & generalibus auxilijs debitis illi statui, sine alio specialiori auxilio Dei. II.

Dicit Secundo: Ad perseuerandum cum effectu, & infallibiliter speciale donum gratiæ, etiam in Angelis, vel in homine in statu innocentiæ necessarium fuisse.

Dicit Tertio: Neque ex Concilio Arausicano, neque ex doctrina Sancti Augustini, vel aliorum Patrum probari, perseuerantiam in statu innocentiæ sine speciali auxilio gratiæ esse non potuisse; quia neque sub his, vel æquiualẽtibus verbis in dicto Concilio definitur, neque à patribus traditur.

Primum dictum communiter recipitur ab omnibus Theologis, & sumitur ex Sancto Augustino libro de Correptione, & gratia cap. 11. & 12. & libro de Dono perseuerantiæ cap. 6. & 7. In secundo dicto discedit à sententia Molinæ. In tertio autem dicto aduersatur sententiæ, quam in allegata disputatione de Auxilijs multis rationibus probaui, & obiectionibus in contrarium satisfacere curaui. Argumenta vero, quibus hoc tertium dictum probat, sunt quæ sequuntur.

III. *Perseuerātia status innocentiæ si durasset qualiter à quibusdam explicetur.* Primo. Nam licet sit de fide, perseuerantiam Sanctorum Angelorum, & hominum in statu innocentiæ si eis daretur, esse donū Dei, & indiguisse quoq; adiutorio gratiæ ad perseuerandū, & id definitū fuisse in Conclio Arausic. non tamen est certa definitione ab Ecclesia declaratum, vel traditum à Patribus, quale sit hoc auxilium: Ergo posset quis dicere, salua fide, illud adiutorium non esse aliud, quam actualem cooperationem Dei cum libero arbitrio habitibus infusis ornato, sine qua cooperatione in se quidem supernaturali, communi autem in ordine gratiæ, nihil possent habitus infusi, aut liberum arbitrium cum illis operari.

Secundo idem probat auctoritate Sancti Thomæ 1.2. quæst. 190. art. 9. & 10. vbi duas rationes tradit, ob quas est Dei auxilium ad perseuerantiam necessariū. Vnam sumptā ex subordinatione essentiali causæ secūdæ ad primam, quæ in omni persona, & natura creata in omni statu locū habet. At motio diuina per se necessaria ad actionem causæ secundæ nō est, nisi concursus Dei cooperantis cū singulis causis, iuxta proportionē earū: Ergo non postulat D. Thomas ex vi illius rationis aliud adiutorium præter actualē concursū cōmunem ordinis gratiæ.

Tertio. Quia multi graues Doctores Catholici docent, in statu innocentiæ non indiguisse hominem speciali auxilio excitante ad bene operandum, sed solum concursu, seu comitante auxilio, de quo Augustini testimonia interpretantur, vt videre licet apud Bellarminū.

IV. Quarto. Licet etiam necessario addendum sit, indiguisse aliquo alio dono gratiæ ad perseuerandum, scilicet auxilio efficaci, de quo testimonia Arausicani Concilij, & aliorum Patrum melius intelliguntur; nihilominus

lominus hoc auxilium efficax perseuerandi pro statu innocentiæ non ex eo dicitur speciale; quia necessario includeret aliquam motionem, vel excitationem vltra omnes excitationes, quæ per ordinariũ cursum causarũ ordinis gratiæ fieri possent, nec quia maiorẽ excitationẽ ex Dei beneuolẽtia requireret, nec etiã propter physicã prædeterminationẽ. Hæc.n. in nullo statu necessaria est) sed propter beneficium singulare congruæ vocationis, seu excitationis ex diuina prouidentia prouenientis.

Confirmatur ex similitudine perseuerantiæ hominũ ad perseuerantiam Angelorum. Etenim in Angelis Sanctis auxilium perseuerantiæ non fuit, nisi auxilium congruum ad bene deliberandum in secundo instanti suæ viæ: Ergo proportionabiliter in hominibus donũ perseuerantiæ nihil est aliud, nisi auxiliũ quod ex diuina ordinatione, & beneuolẽtia procedit, & respectu talis personæ congruentiã habet, quam Deus respexit, & intẽdit.

V. *Vt perseuerarent actu primi parentes in statu innocentiæ, indigebant specialissimo auxilio doni perseuerantiæ.*

Hic modus explicandi, & defendendi speciale auxiliũ doni perseuerantiæ, quo indiguerũt Angeli, vt actu perseuerarẽt, & nũc indigent oẽs homines, vt actu perseuerent, & indiguissent, etiã in statu innocentiæ, si in illo perseuerassẽt, nunquã placuit nec placere potest discipulis S. Tho. quorũ minimus ego sũ. Et facile impugnarĩ omnibus argumentis adductis disp. 106. de Auxilijs, quibus probaui donũ illud speciale, quo perseuerat quis vsque in finẽ, esse realiter distinctũ ab auxilio, seu dono gratiæ qua potest quis perseuerare, si velit. Impugnari similiter potest alijs argumẽtis, quibus disp. 105. de Auxilijs, & lib. 2. nostrarũ respons. c. 7. & 8. ostensũ est, efficaciam doni perseuerantiæ, & aliorum auxiliorũ præuenientis gratiæ nõ pẽdere ex libera cooperatione creati arbitrij, à Deo præcognita per scientiam mediã, vt futurã ex hypothesi: nec talẽ præscientiã præsupponere: sed potius eandẽ cooperationẽ esse effectũ Dei mouentis per illud auxiliũ efficax, vt lib. 4. Respon. c. 6. dictũ est, & per cõsequens adiutoriũ illud, siue auxiliũ actuale, in quo asserit speciale donũ perseuerãtiæ cõsistere, nõ esse solũ cõcomitans, vel simultaneũ, vt auctor sẽtit, sed esse ordine rõnis, & causalitatis præuenientẽs, & pmouẽs efficaciter volũtatẽ creatã, vt liberè, & infallibiliter piè operet, & pseueret vsque in finẽ.

VI. Nec est admittendum, ad efficaciam illius doni esse necessarium, quod Deus respiciat ad aliquod temperamentum, vel complexionem, vel ad alias circumstantias, in quibus datur illud donũ, sed quibuscũq; hominibus, & in quibusuis circunstamtijs auxiliũ efficax conferatur infallibiliter inducet effectum, ad quem mouet, nam efficacia eiusdem doni fundatur tanquam in prima radice in absoluto, & efficaci decreto Diuinæ voluntatis, qua omnia quæcumque voluit, fecit, in cœlo, & in terra, vt in Enchiridio ad Laurentium cap. 95. & 96. docet Augustinus. Nec metuendum est, quod libertate, & voluntate hominis impediatur effectus efficaciter à Deo volitus; nam (vt sæpe dicit Sacra Scriptura) voluntati Dei, scilicet absolutæ, & efficaci nullus potest resistere.

Conc. Arausic. decr. 19 expenditur.

Præterea probatur; nam sententia, quam impugnamus, non videtur satis congruere decreto decimo nono Arausicani Concilij, vbi sic dicitur. *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Quibus verbis aperte determinat, præter gratiam, & charitatem, & alios habitus infusos, quibus in natura integra poterat homo perseuerare, si vellet, indiguisse, vt actu perseueraret, alio auxilio speciali, quo Deus efficeret, vt vellet, & in accepta gratia perseueraret vsque in finem. Hoc autem auxilium speciale doni perseuerantiæ distinctum esse debet ab alijs auxilijs, etiam efficacibus, quibus generaliter homo adiuuatur ad singulos actus pietatis; nam tota collectio actuum, & continuatio in gratia vsque in finem habet multo maiorem difficultatem, quã habeat quilibet actus particularis seorsim sumptus: Ergo præter auxilia generalia, quibus Deus adiuuat ad singulos actus bonos, & pios homines iustos, qui non perseuerant vsque in finem, necessarium est aliud magis speciale auxilium, & donum, quo Deus efficiat, vt seruando mandata omnia, quæ obligant ad mortale, conseruentur in gratia vsque in finem. Et quod hoc sit de mente Arausicani Concilij, patet ex inductis eius verbis in

Cano-

Canone illo 19. Loquitur enim de homine, qui in illo statu erat prædicus iustitia originali, & gratia iustificante, & charitate, atque alijs habitibus infusis ornatus, qui etiam Deus contulerat auxilium actuale, quod ad singula pietatis opera est necessarium. Non enim est credibile, quod Adam in illo paruo tempore sex horarum, vel octo, quo in statu innocentiæ permansit, nullum fecerit opus pium, & meritorium diligendo Deũ super omnia, vel gratias debitas illi agendo pro beneficijs acceptis, aut aliud opus bonum exequendo: nam oppositum colligitur ex capitulo secundo Genesis, vbi refertur, quod Adam imposuit proprium nomen cunctis animantibus, & vniuersis volatilibus cœli, & omnibus bestijs terræ, & cum in sopore abstulisset Deus vnam de costis Adæ, & ædificaret eam in mulierem, & aduxisset eam ad Adam, dixit Adam. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Quæ omnia dicere non potuit, nisi ad id moueretur à Deo auxilijs actualibus præuenientis gratiæ, quæ necessaria sunt ad singula opera pietatis; & his non obstantibus definit Concilium, quod primus homo, si perseuerasset in gratia, quam accepit, id fieret creatore suo adiuuante, & non aliter, neq; alio modo. Mens ergo Conc. est definire, quod præter gratiam iustificantem, & habitus infusos, atq; auxilia præuenientis gratiæ primo parenti donata, quibus poterat perseuerare, si vellet, adhuc indiguisse alio magis speciali auxilio doni perseuerantiæ, vt actu perseueraret vsque in finem. Et augetur vis huius argumenti. Nam (vt multi docent sancti Doctores) Adam in illo sopore habuit reuelationem incarnationis Verbi, & fidem Christi venturi, quæ absque auxilio efficaci præuenientis gratiæ in nullo statu potest haberi: Ergo si actualiter perseuerasset vsque in finem, præter auxilium efficax præuenientis gratiæ, quod datur pro singulis actibus supernaturalibus, necessarium est in omni statu aliud speciale donum perseuerantiæ, quo quis actu perseueret vsque in finem: Ergo si actu perseuerasset

Genes. 2. *Adam in statu innocentiæ, ante quam peccaret exercuit aliquos actus bonos, & pios* Genes. 2.

raisset

rasset vsque in finẽ, sicut poterat, si vellet, virtute huius doni perseuerantiæ superadditi habitibus infusis, & auxilijs actualibus ad singulos actus supernaturales necessarijs conseruaretur in gratia, & perseuerasset vsque in finem, & non aliter.

VII. Secundo probatur auctoritate Sancti Augustini libro de Correptione, & gratia cap. 11. & 12. vbi expresse docet, quod Adæ in statu innocentiæ datum est auxilium gratię, quo posset perseuerare, si vellet, non tamen datũ fuit illi, vt actu perseueraret, sicut nunc donatur prædestinatis per Christum. Sentit ergo Augustinus, quod vltra dona habitualia, & auxilia omnia actualia collata Adæ in statu innocentiæ, necessarium fuisset illi aliud magis speciale auxilium gratiæ, vt actu perseueraret, quale est illud, quod nunc confertur solis prædestinatis per Christum. Et cap. 6. & 7. de Dono perseuerantiæ, eandem doctrinam confirmat, sed specialiter in cap. 11. de Correptione, & gratia loquens de Adam in statu innocentiæ, ait: *Vt bonum reciperet, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in ea permaneret, indigebat adiutorio gratiæ.*

Matth. 10. 24. Conc. Trid. doctrina circa donũ perseuerantia expenditur.

Tertio probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. de iustific. cap. 13. vbi sic dicitur. *Similiter de perseuerantia munere, de quo scriptum est Matth.* 10. *&* 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere, nemo sibi certè aliquid absoluta certitudine polliceatur.* Et Can. 22. absolutè definit, *Iustificatum, nisi speciali auxilio in accepta iustitia perseuerare non posse.* Vbi vniuersaliter loquitur de quolibet iustificato in quocumque statu.

VIII. Idem eod. c. 9 nu. 15. Solutio Perseuerãtia donum in Angelis Sanctis quale fuerit.

Respondet Auctor, præter auxilium sufficiens ad perseuerandum, seu potestatem ad perseuerandum, si vellet, indiguisse Adam aliquo alio dono gratiæ ad actu perseuerandum, scilicet auxilio efficaci; sed addit, quod in Angelis Sanctis auxilium perseuerantiæ non fuit aliud, nisi auxilium congruum ad bene deliberandum in secundo instanti suæ viæ: in hominibus verò si durasset innocentiæ status, essent plura similia auxilia, quæ phy-

physicè quidem possent non esse maiora, quam alia sufficientia, nec per alias causas, quam per ordinarias, & communes fieri oportebat: tamen quia iste ordo causarum ex diuina ordinatione, & beneuolentia processit, & respectu talis personæ congruentiam habet, quam Deus respexit, & intendit: ideo tale auxilium specialis gratiæ perseuerantiæ existit. Sed hæc explicatio non videtur ad mentem Concilij. Nam cum Deus per hoc auxiliũ, quod ab Auctore vocatur efficax, nõ determinet volũtatẽ ad actualiter perseuerandum vsque in finẽ: sed solum cõcurrat cũ illa supposita eius determinatione, & cõcursu à Deo per scientiam mediã præcognito, vt aiunt, tanquam futuro ex hypothesi, tale auxilium in eorum sententia esse non potest efficax ad efficiendum, quod iustus infallibiliter perseueret, ac per consequens efficacia eiusdem auxilij penderet ex cooperatione liberi arbitrij cum illo, & ita haberetur aliunde, quam à Deo, nec haberet maiorem virtutem, quam habeat auxilium sufficiens, quo potest quis perseuerare si velit. Impugn.

Confirmatur, & augetur vis huius argumenti. Nam auxilium efficax præuenientis gratiæ est necessarium, vt actu quis eliciat quamlibet piam operationem, vel meritoriam seorsim sumptam, vt disputat. 88. de Auxilijs ostensum est: Ergo si ad perseuerandum actu non requiritur aliud auxilium magis speciale, quam illud, sequitur quod donum perseuerantiæ, quo actu quis perseuerat vsque in finem, non sit maius aliquod auxilium, & fortius, quam illud, quod ad quamlibet piam operationem actu exercendam est necessarium; quod tamen non est dicendum: nam donum perseuerantiæ, de quo loquimur, solum conceditur prædestinatis; illud autem auxilium efficax est etiam commune omnibus reprobis, dum sunt in gratia, & operantur actus pios, & meritorios vitæ æternæ. Quod autem ait de congruitate, quam haberet respectu talis personæ auxilium, quod in primis parentibus esset efficax ad perseuerandum, si perstitissent in illo statu, & ratione huius congruitatis, quam Deus respicit, & intendit, auxilium, quod secundum se tantum erat sufficiens, efficitur efficax; non est admittendum, neque consonat cum doctrina Sancti

Augustini, vt Auctor existimat, sed longe distat ab eius sententia, vt capite sequenti patebit.

IX. S. Thom. rationes circa necessitatem doni perseuerantiæ defenduntur.

Quarto probatur eadem sententia rationibus, quas adducit Sanctus Thomas 3. contra gentes cap. 155. sed præsertim ratione tertia, quæ sic se habet. *Licet homo per voluntatem, & liberum arbitrium sit Dominus sui actus: non tamen est Dominus suarum naturalium potentiarum; & ideo licet liber sit ad volendum, vel ad non volendum aliquid; non tamen volendo facere potest, quod voluntas in eo, quod vult, ad id quod vult, vel eligit, immobiliter se habeat: hoc autem requiritur ad perseuerantiam, vt scilicet, voluntas in bono immobiliter permaneat: perseuerantia igitur non est in potestate liberi arbitrii: oportet igitur adesse homini auxilium diuinæ gratiæ ad hoc, vt perseueret.* Hæc autem ratio Sancti Thomæ, & aliæ, quas adducit in eodem capite, procedunt generaliter de quacumque perseuerantia vsque in finem necessaria, cuicumque, & in quocumque statu conferatur. Ergo.

Confirmatur. Quod est secundum se mutabile, & variabile à bono in malum, indiget motione alicuius mouentis immobilis, per quam indeclinabiliter, & insuperabiliter figatur in bono; ita vt nunquam ab eo decedat: sed voluntas creata, non solum hominis viatoris: sed etiam cuiuslibet alterius, in quocumque statu existat, est secundum se variabilis, & mutabilis à bono in malum, cum hoc illi competat, eo quod productus est ex nihilo: Ergo in quocumque statu, vt figatur in bono, indiget speciali auxilio Dei mouentis: Ergo indiget speciali dono perseuerantiæ.

X. Ad hæc argumenta, & alia, quæ inducit S. Thomas cap. 155. allegato, respondet distinguendo illam particulam minoris, *vt figatur in bono*, nam potest dicere solum actum, vel etiam potestatem antecedenter immutabilem. Priori modo firmari in bono solum significat, actu semper operari bene. Et sic verum quidem est, eum, qui perseuerat, firmari in bono, idest, constanter operari bonum sine declinatione ad malum contrarium. in illo tamen sensu potest facilè negari illa minor, dicendo in statu integræ naturæ, tam humanæ, quàm Angelicæ ad

firman-

firmandum se in bono sufficere potuisse ipsam naturalem libertatem, vel solam cum generali concursu, quo ad naturalia præcepta, vel adiutam communi gratia ad firmandum se in bono per continuitatem bonorum operationum. Quia licet esset potentia mutabilis, sufficiens erat ad omnes illas operationes, & pro suo arbitrio poterat semper vti facultate bene operandi, nunquam vtendo potestate male operandi. Posteriori autem modo intellecta illa particula, *firmari in bono*, idem erit, quod antecedenter ita disponi, vt potentia de se variabilis maneat inflexibilis ad malum. Et in hoc sensu negatur vltima consequentia rationis; nam supponit per donum perseuerantiæ immobilitari voluntatem in bono antecedenter, & impeccabilem fieri, & hoc esse necessarium ad perseuerandum: hoc autem falsum est, vt ex dictis constat.

Hæc tamen solutio, & aliæ consimiles, quæ rationibus Sancti Thomæ in cap. 155. adhibentur, earum efficaciam non infringunt: concludunt enim, quod voluntas creata, quæ de se mutabilis est à bono in malum, vt de facto nunquam mutetur, indigeat aliquo specialiori auxilio, quo Deus efficiat, vt eadem voluntas nunquam mutetur à bono in malum, sed liberè, insuperabiliter, & infallibiliter perseueret in bonum vsq; in finem. Nec enim hæc continuitas gratiæ vsque in finem fit solum per auxilia generalia ordinis gratiæ, quantumuis efficacia, quæ conferuntur etiam iustis reprobis ad operandum vnum, vel alterum opus meritorium, & pium, alias per eadem auxilia perseuerarent: Ergo præter huiusmodi auxilia ad actualiter perseuerandum vsque in finem, indiget secundum Sanctum Thomam creata voluntas aliquo alio auxilio magis speciali, scilicet, dono perseuerantiæ, quod est proprium prædestinatorum. Et quidem, quod per hoc donum perseuerantiæ voluntas creata fiat aliquo modo immutabilis, & insuperabilis ex suppositione talis doni, docet expressè Sanctus Augustinus libro de Corrept. & gratia capit. 8. vbi arguens contra quemdam eius aduersarium, ait [Si ergo confiteris donum Dei esse, perseuerare in bono vsque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non

XI. *Liberum arbitrium mutabile qualiter per gratiã in via fiat immutabile.*

Augustin.

accipiat, puto, quod mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia iudicia Dei penetrare non possumus, aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perseueret in bono quisquam, vel non perseueret, non Deo donante, si perseueret, sed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua? an audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset, quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset. vt vellet? Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas, ipsa deficeret: & permansuram si eadem voluntas maneret? sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non posset esse inanis oratio. Quando rogauit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & vt perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.] Placuit hæc omnia Sancti Augustini verba referre, quoniam validissimè pugnant pro nostra sententia. Nam in eisdem verbis tria expressè docet. Primum est, Rationem, quare vnus perseueret, alius non perseueret vsque in finem, reddendam non esse ex parte liberi arbitrij vtriusque; quia scilicet vnus voluit perseuerare in gratia, alius noluit. Licet enim nolle perseuerare, in solam creatam voluntatem reducatur: tamen velle perseuerare non est attribuendum creatæ voluntati, sed Deo, qui per donum perseuerantiæ, nulla præsupposita scientia media futuræ cooperationis liberi arbitrij fecit, vt perseueraret, & libere perseueraret: id quod ab æterno absoluta voluntate voluit, & præordinauit. Secundum est,

Joan. 18. Luc. 22.

XII. *Inter perseuerãtem, & non perseuerãtem differentia vnde proueniat.*

est, cum oratione Christi Domini, & dono perseuerantię Petro collato, ne deficeret eius fides, esse incompossibile, quod fides Petri deficiat, ac per consequens per donum illud ita firmari voluntatem Petri in bono, vt nunquam velit deficere à fide. Tertium est, per idem donum datum fuisse Petro, vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, & perseuerantissimam voluntatem, quod nihil aliud est, quam figere illam immobiliter in bono. Neque ex hoc sequitur, quod per donum perseuerantiæ fiat voluntas creata simpliciter impeccabilis, seu totaliter ab intrinseco, sicut sunt in patria beati; neque etiam partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, sicut sunt confirmati in gratia: sed solum ab extrinseco propter diuinam custodiam, & gubernationem, & propter continuatam seriem auxiliorum efficacium, quam includit ipsum donum perseuerantiæ vsque ad finem vitæ. His enim auxilijs Deus efficit, vt voluntas creata nunquam mutetur potestate, quam ex se habet ad peccandum mortaliter: sed infallibiliter, & liberè operetur semper bonum, quotiescumque aliquo præcepto ad id obligatur. Et hoc modo donum perseuerantiæ facit hominem impeccabilem secundũ quid, vt disputatione 104. de Auxixijs dictum est, de quo videndus est S. Thom. qu. vigesima quarta de Veritate articulo nono in corpore. Quia ergo non est in potestate hominis, habere per totam vitam hanc seriem auxiliorum efficacium, quibus actu perseueret vsque in finem, ideo præter habitus infusos, & auxilium efficax, quod requiritur ad quodcumque singulare operabile, indiget homo alio auxilio gratiæ magis speciali, quo Deus efficiat, vt per continuationem, & successionem bonorum operum actu perseueret in gratia vsque in finem.

Perseuerãtiæ dono qualiter iustus fiat impeccabilis.

Ex quibus omnibus patet, quod alię rationes S. Tho. in capite 155. non petant principium, nec supponant id, quod probandum erat (vt Auctor obijcit:) nam ex hoc quod voluntas creata secundum se est mutabilis, & variabilis, rectè, infert Sãctus Doctor, quod, vt nũquam mutetur à bono in malum, indigeat auxilio superioris agentis immobilis.

Sed

XIII. Obiectio. Sed adhuc obijcitur. Nam omnes illæ rationes Sancti Thomæ ita de perseuerantia loquuntur, ac si oporteret vno actu fieri, vel prius fieri potentiam immutabilem à bono, quam non mutetur actu, quod tamen non est dicendum; nam si hoc verum esset, etiam per gratiæ auxilium non posset perseuerare; quia etiam volendo per auxilium specialissimum non potest voluntas se immobilem reddere ab eo, quod semel voluit; & ita dato quocumque auxilio ad vnum velle bonum, semper est necessarium nouum auxilium ad perseuerandum in sequentibus voluntatibus. Hæc tamen obiectio facile soluitur.

Solutio. Dicendum est enim, quod immobilitas voluntatis à bono in malum, quam facit donum perseuerantiæ, non consistit in vnico actu voluntatis, quo vult perseuerare vsque in finem; nam aliqui reprobi, dum sunt in gratia, habent illum actum singularem, cuius virtus postmodum interrumpitur per actum contrarium peccati mortalis. Dicendum est etiam, quod voluntas non est, quæ facit se immobilem prius in signo rationis, quam mutetur; sed Deus ipse est, qui per continuatam seriem auxiliorum efficacium, quæ in dono perseuerantiæ includuntur, facit illam immobilem, & immutabilem modo superius explicato prius ordine rationis, & causalitatis, quâ voluntas ipsa producat pias operationes continuatas, quibus maneat actualiter ita fixa in bono, vt nunquam ab illo mutetur: & hoc est quod probat Sanctus Thomas in illis rationibus cap. 155. superius allegatis, & quod expressè docet Sanctus Augustinus in verbis superius inductis.

Voluntatis immobilitas à bono in malum non fit per vnum actu voluntatis bonum, sed per continuam successionem plurium.

XIV. Idem. Ad hæc omnia aliter respondet Auctor. Ait enim Sanctum Thomam in toto illo capite non considerare perseuerantiam solum per modum cuiusdam effectus, qui successiue fit libere, & contingenter, sed prout apprehenditur, & intenditur sub ratione medij certi, & infallibilis respectu finis efficaciter intenti. Hanc enim mentem satis expressit in quinta ratione, in qua ex eo quod perseuerantia consistit in successione plurium actionum perducentium ad finem, colligit oportere, vt ordo illorum subsit intentioni, & effectioni alicuius superioris mouentis. Quod verum est, intelligendo illum

ordinem, vt aliquo modo indefectibilem, seu vt medium certo, & efficaciter ad consequutionem finis perducens. Ex hoc ergo principio, quod verissimum est, supposito ordine diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis, optime infertur, voluntatem perseuerantem debere ita tendere in bonum, vt infallibiliter, & indefectibiliter in illud tendat, & in aliquo sensu, saltem composito, etiam immutabiliter.

Sed in hac solutione, & explicatione mentis Sancti Thomæ latet magna æquiuocatio. Cum enim ait, quòd *donum perseuerantiæ apprehenditur, & intenditur à Deo sub ratione medij certi, & infallibilis respectu finis efficaciter intenti, hoc potest dupliciter intelligi.* Primo ita vt certitudo, & infallibilitas eiusdem medij sumatur tanquam ex prima radice à scientia media, qua ante omne liberum decretum suæ voluntatis, vt aiunt, Deus certo scit, iustum bene vsurum vsque in finem suo arbitrio, & cooperaturum ex hypothesi, quòd constituatur in talibus circumstantijs, & moueatur talibus auxilijs, sicut re vera intelligunt omnes defensores scientiæ mediæ: & in hoc sensu assertio illa pugnat cum mente Sancti Augustini, & Thomæ, qui vt disputat. 7. de Auxilijs, & lib. 2. Responsionum cap. 1. & seq. visum est, talem scientiam mediam non admiserunt. Si vero per eandem assertionem intelligant, illam certitudinem, & infallibilitatem, atque indefectibilitatem mediorum, quibus Deus assequitur infallibiliter finem intentum, prouenire, tanquam ex prima radice & causa, ex efficacissima Dei voluntate, & ex decreto eius absoluto, quo nulla presupposita scientia media præuoluit, & prædeterminauit efficere, vt per talia, vel talia media, & auxilia efficacia voluntas creata successiuè vsque ad finem vitæ fixa permaneret in gratia, & à bono, quod incepit, nunquam mutetur in malum, & hanc esse mentem Sancti Augustini, & Thomæ, nulla inter nos de dono perseuerantiæ, quod est propriũ donum prædestinatorum, quæstio (vt arbitror) relinquetur, vt ex dictis disput. 36. & 41. de Auxilijs constat, & ex his, quæ libro quarto Responsionum cap. 6. & 7. postmodum scripsi.

Perseuerãtiæ certitudo, & infallibitas unde proueniat.

Et confirmatur hoc ex concessis ab Auctore; nam, vt

luntatis prædeterminantis, vt voluntas creata liberè, & infallibiliter perseueret vsque in finem. Itaq; Deus non solum cooperatur nobiscum, si volumus: sed etiam efficit, vt velimus.

XVI.

Ad secundum respondetur, testimonium illud Sancti Thomæ 1. 2. allegatum expresse fauere nostræ sententiæ. Ait enim, quod *nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ*. Et refert se ad articulum primum eiusdem quęstionis in corpore, cuius verba sunt: *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta non potest in suum actum procedere, nisi moueatur à Deo.* Quæ verba interpretari non possunt de solo concursu simultaneo, quo Deus vna cum voluntate concurrit ad eius actus, si ipsa voluerit se determinare ad eosdem actus producendos; nam cum talis influxus Dei non sit immediatus in ipsam voluntatem, vt in causam, impossibile est, quod per illum concursum moueat Deus voluntatem efficaciter ad operandum: sed solum concurrit cum voluntate, si ipsa voluerit se determinare ad eandem operationem, & secundum hanc positionem, determinatio, & cooperatio voluntatis, vt ab ipsa emanat, solū esset præscita à Deo, non autem prædeterminata, & causata, quod est contra Sanctum Augustinum, & Thomam pluribus in locis. Igitur necessario dicendum est, quod Sanctus Thomas locis inductis loquitur de prædeterminatione, qua Deus causas omnes secundas constitutas sufficienter in actu primo per formas proportionatas cum effectu efficit, vt reducantur ad actum secundum naturaliter, aut liberè conformiter ad suam naturam. Et per hæc patet solutio ad tertium argumentum.

Perseuerātiæ dono efficit De⁹, vt iustus perseueret, vsque in finem nulla præsupposito scientia media.

Ad quartum respondetur, quod (vt constat ex dictis) præter excitationes, & auxilia præuenientis gratiæ, quæ secundum cursum ordinarium dantur generaliter, etiam iustis, qui non perseuerant, necessarium est aliud auxilium magis speciale præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt iustus per continuam successionem bonorum operum perseueret in gratia vsque in finem, & hoc est donum perseuerantiæ, de quo loquimur. Ad illud vero,

quod in eodem argumento dicitur, de Congrua vocatione, fiet satis capite sequenti, vbi explicandum est, quid Sanctus Augustinus nomine congruæ vocationis intelligat.

XVII. *Auxilium congruum, quo Angeli perseuerauerunt, quale fuerit.* Ad confirmationem respondetur, quod cum dicitur, in Angelis Sanctis auxilium perseuerantiæ non fuisse aliud, nisi auxilium congruum ad bene deliberandum in secundo instanti suæ viæ, hoc potest dupliciter intelligi. Primo de congruitate vocationis, quæ ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ præsupponat præscientiam mediam cooperationis Angelorum ad bene deliberandum futuram ex hypothesi, quod tali gratia in talibus circumstantijs excitarentur, & vocarentur, & in hoc sensu propositio est falsa. Nam cum omnes Angeli fuerint creati in eodem loco, scilicet, in Empyrio cœlo, & nullum posset in illis præintelligi diuersum temperamentum, vel qualitas, aliaue dispositio, ratione cuius eadem excitatio, & vocatio esset congrua vni, & non alteri, voluntariè asseritur, quod eadem excitatio, & vocatio esset efficax in vno, & non in altero. Secundo potest intelligi de congruitate vocationis, quam secum afferet donum perseuerantiæ, vt procedit ex absoluto decreto, & efficacissimo Dei prædestinantis, ad efficiendum quod Angelus prædestinatus, vel homo infallibiliter, & libere perseueret, vsque in finem, vt supra dictum est, & in hoc sensu propositio est vera. Dicendum ergo est, quod præter gratiam habitualem, & alios habitus infusos, ac præter auxilia generalia præuenientis gratiæ communia bonis Angelis, & malis, datum est Angelis prædestinatis aliud auxilium magis speciale, scilcet donum perseuerantiæ, quo Deus effecit, vt prædestinati Angeli bene deliberarent in secundo instanti suæ viæ, & perseuerarent immobiliter in gratia vsque in finem. Hæc autem omnia capite sequenti patebunt amplius.

CA-

CAPVT II.

Quid intelligat Sanctus Augustinus per excitationem, seu vocationem congruam, quæ infallibiliter inducit effectum, ad quem mouet.



Voniam defensores scientiæ mediæ, ex qua tanquam ex prima radice desumendam esse aiunt certitudinem, & infallibilitatem prædestinationis diuinæ, quantum ad assecutionem effectus, & sine qua præuenientis gratiæ auxilia non essent efficacia, neque inducerent infallibiliter effectum, innituntur quibusdam verbis Sancti Augustini, qui excitationem, & vocationem efficacem pluribus in locis appellat congruam: necessarium duxi, eius testimonia in medium adducere, & pressius discutere, quid per vocationem congruam Sanctus Doctor intelligat. I.

Augustini testimonia circa gratiam congruam expenduntur

Primus locus, in quo Sanctus Augustinus vtitur verbo *Congruæ vocationis*, habetur in quæstione secunda ad Simplicianum lib. 1. vbi sic ait: *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*, quod de scientia media intelligunt, qua nimirum Deus præsciuit, voluntatem consensuram ex hypothesi, quod tali vocatione, & in talibus circumstantijs excitaretur, & moueretur à Deo.

Secundus locus habetur libro de dono perseuerantię capitulo decimo quarto, vbi sic ait: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa concipiant: & tamen si Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta diuina, vel facta per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent*. Quibus verbis vocationem illam docet effe-

ctum inducere, ac efficacem esse, quæ congrua est eorum mentibus, qui per eam vocantur: Ergo secundum Augustinum efficacia præuenientis gratiæ consistit in vocatione congrua, qua Deus præsciuit illum, qui sic vocatur, in talibus circumstantijs esse consensurum: in alijs vero diuersis circumstantijs, si eadem vocatione vocaretur, non esse consensurum; quia vocatio in talibus circumstantijs non esset congrua. Et in isto sensu interpretantur verba Sancti Augustini qui asserunt, vocationem, quæ prædicto modo est congrua, efficacem esse. Ex quo inferunt, efficaciam doni perseuerantiæ solum consistere in excitationibus, & vocationibus congruis, quibus Deus successiuè mouet prædestinatos filios suos, vt non mutentur à bono in malum, sed in gratia perseuerent vsque in finem. Addunt, hanc gratiam congruam esse illam, qua idem Augustinus sæpe ait, quod Deus facit vt faciamus, & operatur vt operemur, & de hac quoque gratia intelligunt illud Ezechielis 36. *Faciam, vt in praeceptis meis ambuletis, &c.* Et similiter illud Arausicani Concil. 2. Canon. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Et consequenter negant, vt actualiter piè operemur, esse necessarium aliud auxilium præuenientis gratiæ, quo Deus vere efficienter, siue ad modum causæ physicæ faciat, vt creata voluntas cōcurrat cum gratia, & influat in ipsam operationem piam, quod est ipsam prędeterminare ad piè operandum. Arbitrantur enim, cum hoc adiutorio præuenientis gratiæ cohærere non posse nostri arbitrij libertatem; hoc enim est argumentum, quod sępius repetunt, & inculcant.

Suarez. lib. 3. de Aux. c. 2. nu 12. & in breui resol. nu. 48. & seqq.

Ezech. 36
Concil. Arausic.

II. Hic modus explicandi verba Sancti Augustini non est ad eius mentem, nec doctrinæ Sancti Thomæ conformis. Ad cuius euidentiam notandum Primo, quòd, vt lib. 3. Responsionum cap. 4. num. 41. dictum est, quotiescumque gratia excitans coniungitur cum gratia adiuuante, seu cooperante, vtraque est efficax, in suo tamen genere. Nam gratia excitans est efficax ad præmonendum liberum arbitrium ad piam operationem in genere causæ moralis: gratia vero adiuuans, seu cooperans est efficax in genere causæ verè efficientis, quatenus

Gratia excitans quādo cum adiuuante coniūgitur est efficax moraliter.

centus Deus per illam facit ad modum causæ physicæ, quod liberum arbitrium influat cum præueniente gratia adiuuante, vt libro quarto capitulo sexto latius probaui.

III. Notandum secundo, quod quando Sanctus Augustinus libro de dono Perseuerantiæ cap. 14. ait, *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant*, non loquitur de gratia efficaci, imò (vt apparet) nec de interiori excitatione sufficienti, sed de vocatione externa ad fidem, quæ regulariter non fit, nisi per verba externa, vel signa: nam loquitur expresse de prædicatione, & miraculis, quæ fecit Christus Dominus in Corozaim, & Bethsaida, quæ tamen facta non sunt in Tyro, & Sydone, de quibus etiam intelligitur illud Apostoli: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Manifestum est autem huiusmodi verba externa, vel signa, secundum se præcisè accepta, non solum efficacia non esse ad faciendum, vt homines credant, sed neque sufficientia absolutè loquendo: sed solum secundum quid videlicet, in genere exterioris propositionis eorum, quæ credenda sunt. In his autem excitatiuis exterioribus, quotiescumque Deus vult efficaciter dare fidelibus, vt credant, vel alia pietatis opera exerceant, consueuit secundum suauem eius dispositionem adhibere verba per prædicatores, aut signa congrua suis mentibus, vt per illa moraliter, seu per modum suadentis moueantur ad fidem: quoniam, vt idem Augustinus quæstione secunda ad Simplicianum post medium ait, *Eadem res sæpe alio modo dicta mouet*, intellige moraliter, *alio modo dicta non mouet*. Vnde Christus Dominus, cum vocare voluit efficaciter piscatores ad Apostolatum, vsus est verbis eorum mentibus congruis, cum ait, *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*: nam illi piscium piscatores erant. Et cum ad se vocauit Magos, vsus est signis externis eorum mentibus congruis; nam excitauit illos per stellam, quæ apparuit in Oriente:

Augustin. quid intelligat per naturale munus intelligentiæ

Rom. 10.

August.

Gratia excitante vocat Deus congruis verbis, & signis.

quo-

Matth. 2. quoniam in astrorum contemplatione versati fuerant. Et quod hæc sit mens Sancti Augustini, patet ex ipso cõtextu eiusdem quæstionis ad Simplicianum, vbi sic ait: *Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis, ad credendum moueri, sicut exempli gratia.*
Luc. 2. *Simeon in Dominum nostrum Iesum Christum adhuc infantem paruulũ credidit, spiritu ei reuelante, cognoscens. Nathanael ad vnam sententiam, quam ab illo audiuit,*
Ioann. 1. *priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub arbore fici, vidi te, respondit: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire, quod beatus esset, & quod ei darentur claues regni cælorum.*
Matth. 16 *Miraculo facto in Chana Galilææ, quod initium signorum Iesu Ioannes Euangelista commemorat, aqua in vinum conuersa, crediderunt in eum discipuli eius.*
Ioann. 2. *Multos loquendo inuitauit ad fidem, multi nec suscitatis mortuis crediderunt.* Vnde idem Sanctus Doctor libro de Prædestinat. Sanctorum cap. 6. ait: *Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtiq; quid veniat de misericordia eius, quid de Iudicio.* Et cap. 16. eiusdem libri duplicem his verbis Dei vocationem distinguit: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens, ipsis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Et pluribus locis Scripturæ probat eiusmodi vocationes esse distinctas, & primam appellat vocationem secundum propositum non hominis, sed Dei, vt alibi ipsemet explicat, quia videlicet per illam efficit, vt homines credant. Vnde & in eodem cap. 16. explicans illud: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi, &c.* ait: *Dixit ergo, sed ex vocante, non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens, vt eam distingueret ab alia vocatione,*

Vocatio Dei est duplex secundum Aug.

Luc. 14.

1. Cor. 1.

August.

Rom. 9.

cation,

catione non secundum propositum, qua vocati sunt Iudæi, qui non crediderunt in Christum.

IV. Igitur loquendo de gratia excitante, quæ per verba externa, & signa subministratur, verissimum est, quod Deus regulariter, & suauiter moueat homines ad fidem, & in eadem gratia distribuenda vtitur diuersis modis, & diuersis verbis, & signis, pro vt sunt accommodata, & congruunt illi, qui vocatur. Sed tamen hæc sola non est gratia adiuuans, quam diuus Augustinus requirebat à Pelagio: etenim gratia addiuuans, seu efficax non est illa, qua homo, si vult, credit, vel piè operatur, sed qua Deus efficit, vt consentiat gratiæ excitanti, & cooperetur cum adiuuante, *vt totum Deo detur, qui voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam*, vt idem Augustinus ait. *August. in Enchirid. ad Laurēt. cap. 32.*

Hæc autem adiutorium gratiæ adiuuantis, & efficacis semper est congruum, vt per illud voluntas creata infallibiliter operetur, liberè, & piè, quibuscumque hominibus, & in quibuslibet circumstantijs conferatur eisdem; quoniam tota eius virtus, & efficacia fundatur in omnipotentia, & efficacia diuinæ voluntatis, cui nulla creatura potest resistere, quo minus id quod vult, & eo modo quo vult, faciat. *Auxilium gratiæ adiuuātis, seu efficacis sē per est cōgruum, vt per illud voluntas moueatur.*

Vnde hanc congruitatem semper affert secum auxilium efficax gratiæ adiuuantis, quod in quantum est instrumentū voluntatis diuinæ ad cōuertendū hominem, participat efficaciam ab eodē decreto independenter à libera determinatione, & cooperatione arbitrij, quomodo liber à Deo præcognita, vt futura etiam ex hypothesi. Vnde virtus, & efficacia illius non variatur ex diuersa dispositione hominum, quibus confertur, neque propter diuersas circumstantias loci, & temporis, in quibus eidem homini donatur, sed semper inducit effectum, ad quem efficaciter mouet.

Ex quo sequitur, gratiam adiuuantem esse distinctam ab excitante, & non solum istam, sed etiam illam esse præuenientem ordine rationis, & caualitatis liberam cooperationem nostri arbitrij, vt pluribus testimonijs Conciliorum, præsertim ex Concilio Tridentino sess. 6. de Iustificatione cap. 5. & 6. probaui libro 2. responsionum

sionum cap. 1. num. 37. & 38. Et hanc fuisse mentem Concilij Tridentini, testatur Andreas de Vega, qui cum in Sacro Concilio Tridentino interfuisset, quæsiuit à Patribus, an in eodem capite tradiderint gratiam excitantem, & adiuuantem esse duas gratias, an vnicam dumtaxat, refert omnes Patres acclamasse, esse duas distinctas. Sic enim ait libro 6. super Concilium Tridentinum cap. 5. & 6. *Illud serio, & magna attentione aduertendum est, asseruisse Patres in 5. cap. gratiam, qua disponimur ad iustificationem excitantē, & adiuuantē; Excitat .n. nos Deus vocatione sua sancta, & illuminatione, vt surgamus à peccato, neque contentus excitare quadam ignota nobis sua virtutis applicatione, & influxione, benigne nos adiuuat, vt consentiamus, & obediamus vocationi suæ.*

V. Quod ergo ait Sanctus Augustinus in capite illo 14. de dono perseuerantiæ, videlicet, *habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua, &c.* Non est sic accipiendum, quasi virtute naturali moueantur ad fidem, & credant, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant, quasi præter verba, & signa exteriora congrua nulla sit necessaria simpliciter ad credendum alia gratia interior: hoc enim esset manifeste incidere in errorem Pelagij in pluribus Concilijs, & decretis Summorum Pontificum olim damnatum. Nam cum illud munus ingenij sit naturale, esse non potest principium sufficiens, & multo minus efficax alicuius actus supernaturalis. Et quidem quod solis signis visis, aut verbis congruis externis auditis, nullus credidisset, nisi illi, qui sunt à Deo prædestinati, vt credant, & gratiæ efficacis auxilio essent interius adiuti, docet in eodem capite Sanctus Augustinus, cum subdit: *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est; non autem faciunt, siuè audiant, siuè non audiant, quibus non datum est. Quia vobis (inquit) datum est, nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum. Quorum alterum ad misericordiam; alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima nostra, Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.*

Aug. locus ex quo apparet habere quosdam naturaliter munus intelligētiæ, desciuitur.

Psal. 100.

Igitur

Igitur per munus intelligentiæ, quod naturaliter inest aliquibus hominibus, intelligit Augustinus naturale ingenium, quod supponitur ex natura, vt talibus signis visis, aut verbis auditis capaces sint, vt per eadem signa, aut verba moueantur ad fidem, ex parte propositionis obiecti credibilis, iuxta illud, quod alibi dixit Augustinus: *Posse habere fidem, natura est hominum: habere autem, gratiæ est fidelium.*

V I.

Augustin. præter gratiam excitantem cõgruam exigit gratiã adiuuantẽ.

Præter gratiam autem excitantem prædicto modo congruam, qua potest pie operari, vel perseuerare in finem, si velit, exigit Augustinus aliam præuenientem gratiam adiuuantem, qua Deus efficiat, vt iustus actu perseueret vsque in finem, vt patet libro de Correptione, & gratia cap. 11. & 12. superius allegato, & constat ex his quæ dicta sunt disput. 82. de Auxilijs. Vbi ostensum, gratiam adiuuantem, & cooperãtem, qua ratione adiuuans, & cooperans est, præuenire ordine rationis, & causalitatis liberam cooperationem creati arbitrij cũ illa, quod etiam probatum est lib. 2. Responsionum cap. 1. num. 37. & 38. vbi ostensum, gratiam excitantem, & adiuuantem esse duas gratias præuenientes inter se distinctas. Et quidem quod per gratiam adiuuantem, & donum perseuerantiæ, quod est proprium prædestinatorum, Deus efficiat, vt iustus indeclinabiliter, & inseparabiliter in gratia persistat, docet expresse Sanctus Augustinus in verbis inductis ex cap. 12. de Corrept. & gratia. Et infra: *Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictissime nollent.* Vbi illa verba: *Inuictissime, indeclinabiliter, & inseparabiliter,* præuenientem gratiam designant, qua Deus voluntatem creatam ex se defectibilem firmam tenet, & immobilem in bono, vt perseueret in illud vsque in finem. Etenim immobilitas voluntatis prouenire non potest, tanquam ex prima radice, & causa, ex aliquo actu particulari eiusdem voluntatis. Nam licet cum adiutorio gratiæ, quod ad singulos actus particulares datur, possit de facto operari, & operetur actũ istum particularem, aut illum, nihilominus efficere non potest, vt per continuationem bonorum operum fixa

Voluntatis immobilitas in bono vnde proueniat.

maneat in bono, & actu perseueret vsque in finem, nisi adiuuetur à Deo alio auxilio magis speciali, quod est donum perseuerantiæ, vt ex supra dictis constat. Hoc autem donum, sicut & alia omnia auxilia efficacia, quæ in dono perseuerantiæ includuntur, etiam esse congrua, & valde congrua, vt per illa moueatur creata voluntas, & perseueret vsque in finem, ex eo probari potest; nam ad diuinam prouidentiam pertinet mouere causas secundas ad operandum, pro vt congruit earum naturæ; ita nimirum, vt causas necessarias moueat ad operandum necessariò: causas vero contingentes, & liberas, moueat ad operandũ contingenter, & libere, id quod (vt 1. parte quæst. 19. art. 8. & quæst. 22. artic. 4. docet Sanctus Thomas) prouenit ex efficacia diuinæ voluntatis, ex qua procedit, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri: sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult, scilicet, vel necessario, vel contingenter, & liberè. Vnde per auxilium efficax doni perseuerantiæ, non solũ Deus efficit, quod voluntas infallibiliter benè operando perseueret in gratia vsque in finem: sed etiam efficit, quod libere, & contingenter bene operetur, & perseueret; ita nimirum, vt quamuis ex sua mutabilitate deficere possit à gratia; nunquam tamen deficiat. Cui consonat illud Prosperi lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 26. *De sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit, quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Vnde ista congruitas efficacis gratiæ non pendet ex aliquo temperamento, vel naturali dispositione hominis, qui mouetur, neque ex alijs circumstantijs loci, & temporis: se illam secum affert ipsum auxilium efficax, in quantum est instrumentum voluntatis Dei absolutæ; qui nulla præsupposita scientia media voluit electos suos efficaciter mouere, vt omnia diuina mandata implendo, perseuerent in gratia vsque in finem. Vt qui gloriatur, non in se ipso, sed in Domino glorietur. Et hæc est congruitas efficacis vocationis, quam Sanctus Augustinus lib. de Præd. Sanct. cap. 16. à sufficienti vocatione distinguit.

De⁹ mouet vnamquãque secundam causã conformiter ad eius naturam.

Voluntatis mutabilitas à bono in malum vnde proueniat.

CA-

CAPVT III.

Vtrum Deus ex parte sua æqualiter se habeat ad saluandos, & non saluandos, An vero distinctio saluandorum à reprobis proueniat ab electione Dei absoluta, quæ omnem præuisionem futurorum meritorum anteuertat?



Vidam Auctor sub distinctione respondet: Si enim loquamur de affectu, quem Deus habet ante omnem operum præuisionem, sic admittit, illum se æqualiter habere ad vtrosq; Et assignat rationem; quia vtrosq; sincere cupit saluos fieri, vtrisque auxilium verè sufficiens largiri, & neutris vult salutem voluntate absoluta. Si autem loquamur de toto affectu, quem Deus habet ab æterno supposita præuisione, sic fatetur, Deum se non habere ad vtrosque eodem modo. Idem proportionabiliter sentit de gratia. Ait enim, quod si consideretur præcisè, vt præueniens, habet se in prædestinatis, & reprobis eodem modo. Si autem consideretur absolutè, non se habet eodem modo. Et assignat rationem; quia in saluandis est fœcunda, influit in opus, profert fructum vitæ æternæ, resistit tentationi, præstat perseuerantiam, denique est fons aquæ salientis in vitam æternam: in reprobis est sterilis, & ociosa, deficit, & euanescit, ceditque ipsis in maiorem damnationem. Sicut igitur gratia absolute loquendo, non habet se eodem modo, & æqualiter in electis, & reprobis: ita neque affectus Dei, nec prædestinatio. I. *Lessius de Prædestinat. & reprobat sect. 5. nu. 64*

Confirmat hanc sententiam. Nam de ijs eodem prorsus modo philosophandum est, iuxta sententiam Augustini cap. 10. de Prædestinatione Sanctorum dicentis, *quod inter hæc duo tantum intersit, quod prædestinatio sit gratiæ præparatio, gratia vero sit ipsa donatio.* II. *Augustin.*

Secundo idem confirmat. Deus non aliter prædesti-

nauit bona opera fieri, quam re ipsa in tempore fiunt: sed in tempore fiunt cum plena dependentia à libertate arbitrij, ita vt facillimè possint omitti omnibus caussis antecedentibus spectatis: Ergo ab æterno sunt prædestinata, sic fieri: ac proinde ante præuisionem determinationis liberi arbitrij, non sunt prædestinata, vt absolutè fiant. Simili modo Deus non aliter prędestinauit ab æterno, vt gratia sit efficax, opusque producat, quam illa in tempore re ipsa illud facit: sed in tempore non est efficax, nec producit opus pium, nisi cum perfecta dependentia à concursu liberi arbitrij: Ergo nec ab ęterno voluit Deus, vt sit efficax, opusque producat, nisi cum eadem dependentia à libero arbitrio: ac proinde sub conditione tantum est efficax ante pręuisionem determinationis liberi arbitrij; nempe si voluntas voluerit se determinare: absolutè vero solum est efficax posita pręuisione determinationis, seu concursus eiusdem arbitrij. Relinquitur ergo, quod tam prędestinatio, quam gratia ipsa, quę in tempore donatur, quantum est ex parte Dei, ante pręuisionem boni, vel mali vsus liberi arbitrij, ęqualiter se habeat ad omnes, tam prędestinatos, quam reprobos: post pręuisionem autem determinationis arbitrij non se habeat ęqualiter ad vtrosque.

III: *Deus quantum est ex parte sua, non se habet æqualiter ad saluandos, & non saluandos.*

Ex quo infert, quod distinctio prędestinatorum à reprobis non prouenit ex sola prædestinatione, aut electione Dei, neque ex sola libertate arbitrij, sed ex vtraque simul, tanquam ex duabus caussis partialibus in vnam integram caussam coalescentibus.

Hęc sententia Doctrinę Sancti Augustini, & Sancti Thomæ non est conformis, vt ex dictis disputatatione 37. & 110. de Auxilijs colligi potest. Ostensum est enim disputatione 37. prædestinationem Dei absolutam non pendere ex præuisis meritis gratiæ, sed merita ipsa, & operationes pias, quibus prædestinati ad vitam perducuntur æternam, effectum esse prædestinationis absolutæ, & eam in signo rationis præsupponere, quod etiam inferius patebit amplius. Ideo enim futura merita prędestinatorum, antequam fiant in tempore, sunt à Deo in æternitate præuisa, quoniam erant suo æterno, & ab-

& absoluto decreto, vt per liberum arbitrium fierent, prædestinata. Ostensum est etiam disputatione 72. & 73. & 90. de Auxilijs, & supra libro secundo capitulo septimo, & octauo, efficaciam auxilij præoperantis gratiæ non pendere ex cooperatione arbitrij, nec illam præsupponere: sed ex se, pro vt venit à Deo, & vt est instrumentum voluntatis Dei, volentis absolute hominem ad se conuertere, talem efficaciam secum afferre. Præterea etiam ostensum est disputatione 85. de Auxilijs, gratiam, & liberum arbitrium non esse duas causas partiales supernaturalis consensus, sicut duo trahentes nauim: sed Deum, & gratiam ipsam esse causam totalem efficientem, vt liberum arbitrium cooperetur, perseueret in gratia, & saluetur, secundum illud Augustini libro de grat. & lib. arbit. cap. 16. *Certum est, nos velle cum volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas à Domino*, & cætera. *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntatis, qui dixit: Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Ex quibus omnibus, & alijs, quæ lib.5.de Auxilijs stabilita sunt, colligi potest, quæ nam sit vera,& legitima sententia SS.August.& Thomæ circa prædestinationem, & gratiam,nec non circa id, ex quo discretio prædestinatorum à reprobis desumenda est.

Vnde pro breui resolutione huius difficultatis, & solutione argumentorum,quæ in explicatione primæ sententiæ insinuata sunt, notandum, quod affectus erga omnes homines, qui in Deo constituitur ante omnem operum præuisionem,est duplex. Primus attenditur secundum voluntatem Dei antecedentem, qua nimirum Deus vult omnibus salutem absolutè consideratam, & secundum se,vt lib.de Aux.disp.33.& 39.explicatum est. Alius vero affectus attenditur in Deo secundum voluntatem consequentem. Hæc autem voluntas non ex eo dicitur consequens, quoniam subsequatur ad operum præuisionem etiam subsequentium ex gratia: sed quoniam omnibus consideratis in particulari reperitur in Deo, qua nimirum simpliciter vult in quibusdam diui- IV. Not.

Dei affectus erga homines secundũ voluntatem antecedẽt, & consequentem.

diui-

diuitias gratiæ suæ per modum misericordiæ ostendedere, parcendo, & vitam æternam electis suis conferendo: in alijs vero id non vult, quia non sibi placet; sed vult ostēdere iustitiam suam, reprobos pro peccatis suis, quæ tamen Deus non causat, nec præordinat, sed solum permittit, puniendo. Vnde Sanctus Thomas 1. parte quæst. 23. art. 5. ad 3. ait, *quod ex ipsa bonitate Diuina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, vt in rebus Diuina bonitas repræsentetur. Necesse est autem, quod Diuina bonitas (quæ in se est vna, & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc, quod res creata ad simplicitatem diuinam attingere non possunt.* Et ex hoc infert, assignari non posse ex parte præscientiæ meritorum aliquam rationem, vel causam, propter quam Deus istum prædestinauerit, illum autem in massa perditionis reliquerit.

V. *Prædestinatorum, & reproborum distinctio vnde proueniat.*

DIcendum est ergo primo, Deū etiam ante præuisionem operum voluntate consequente, non se habere æqualiter ex parte sua ad prædestinatos, & reprobos: sed electos voluntate absoluta, & efficaci ordinasse ad vitam æternam, medijs bonis operibus, quæ etiam sub prædestinatione cadunt, consequendam. Reliquos verò non sic ordinasse ad vitam æternam, quin imò ad ostensionem suæ iustitiæ absoluta voluntate voluisse permittere, vt in peccatum laberentur, & perseuerarent in illo vsque in finem, atque adeo propter illud peccatum eos punire pœna æterna. Id quod satis diffuse probaui in lib. de Auxilijs disput. 110. nu. 9. & sequentibus, multis Diuinarum litterarum, ac Sanctorum Patrum, præsertim Augustini, & Thomæ efficacissimis testimonijs, ac rationibus Theologicis, quas etiam infra cap. 9. & 10. corroborare oportet.

VI. Dicendū secundo, distinctionem saluandorum, seu prædestinatorū à reprobis prouenire ab electione Dei absoluta, quæ omnem præuisionem futurorum meritorum in signo rationis anteuertat, quamuis in exequutione nunquam prædestinati cōsequantur vitā æternam absq; meritis proprijs, vel si nō sint adulti, absq; meritis Christi

vbi

sibi per sacraméntum regenerationis applicatis. Hæc autem merita propria, vel applicatio meritorum Christi, sunt in eisdem prædestinatis effectus prædestinationis ipsorum, ac per consequens esse non possunt causa, ratio, vel conditio, à qua æterna Dei prędestinatio absoluta in ratione prædestinationis dependeat. Vnde tota distinctio, seu discretio prædestinatorum à reprobis, ex absoluta Dei electione, & prædestinatione, quæ omnem meritorum præuisionem anteuertat, desumenda est, & ad eandem prædestinationem, vt ad primam radicem, & causam efficientem, reuocanda, vt Sanctus Augustinus multis in locis colligit ex verbis illis Apostoli: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Quod & Sanctus Prosper epistola ad Ruffinum de libero arbitrio post medium attestatur, cum ait: *Quæ autem sit discretionis istius* (nempe saluandorum à reprobis) *in secreto Consilio Dei causa, vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur.* Eandem sententiam docet Sanctus Thomas 3. contra gentes cap. 163. vbi ait: *Quia vero ostensum est, quod diuina operatione aliqui diriguntur in vltimum finem per gratiam adiuuti, aliqui vero eodem auxilio gratiæ deserti ab vltimo fine decidunt: omnia autem, quæ a Deo aguntur, ab æterno per eius sapientiam prouisa & ordinata sunt, vt supra ostensum est, necesse est, prædictam hominum distinctionem ab æterno à Deo esse ordinatam. Secundum ergo quod quosdam ab ęterno pręordinauit, vt dirigendos in vltimum finem, dicitur eos prędestinasse. Vnde Apostolus dicit ad Ephesios primo: Qui prędestinauit nos in adoptionem filiorum, secundum propositum voluntatis suę. Illos autem, quibus ab ęterno disposuit se gratiam non daturum dicitur reprobasse, vel odio habuisse, secundum illud quod habetur Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

1. Corinth. 4.

Sed dicunt. Prædestinatus distinguitur à reprobo per proprium consensum liberi arbitrij, quo vult bona merita elicere, & in illis perseuerare vsque in finem Reprobus enim hæc bona merita sua propria voluntate non

habet

habet, vel si habet, non vult in illis perseuerare, nec perseuerat vsque in finem. Ergo distinctio saluandorum à reprobis non sumitur ex sola Dei electione, & prędestinatione absoluta.

Prædestinati qualiter distinguantur à reprobis per bonum vsum lib. arbitr.

Respondetur, prædestinatum quidem distingui à reprobo per liberum illum consensum, & cooperationem, qua cooperatur gratiæ Dei, & perseuerat vsque in finē, sed hanc cooperationem liberam habet ex ipsa gratia, ac decreto Dei prædestinantis. Vnde tota discretio prædestinatorum à reprobis tandem reduci debet ad electionem gratuitam, & prædestinationem Dei. Quod & sanctus Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. ad 2. non obscure docuit his verbis: *Deus non sine nobis nos iustificat; quia per motum liberi arbitrij, dum iustificamur, Dei iustitiæ consentimus. Ille tamen motus non est causa gratię, sed effectus. Vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Sicut ergo tota operatio pertinet ad gratiam: ita etiam pertinet ad prædestinationem, quæ est præparatio gratiæ, & gloriæ, vt in libro 5. de Auxilijs disputat. 35. dictum est. Ex his facilè dissoluuntur omnia argumenta, quæ pro sententia contraria sunt adducta.

AD Primum patet solutio ex nostro primo dicto. Et ad rationem, qua probatur, Deum ante omnem operum præuisionem æqualem affectum habere ad prędestinatos, & reprobos, respondetur, Deum quidem voluntate antecedente velle vtrosque saluos fieri, & vtrisque auxilium vere sufficiens pro loco, & tempore misericorditer conferre, vt disput. 112. de Auxilijs explicatum est. Cæterum voluntate consequente, quæ (vt dispút. 34. de Auxilijs visum est) etiam antecedit in signo rationis omnem præuisionem nostrorum operum, quibusdam vult absolute conferre auxilium efficax, quo piè operentur, & perseuerent vsque in finem; alijs non item, idque occulto iudicio, sed absque vlla dubitatione iustissimo, vt sæpe dicit Augustinus.

Gratia præueniens quatenus pręueniens no se habet æqualiter ad omnes.

Ad illud vero, quod de gratia præueniente asseritur, videlicet, quod in quantum præueniens, se habeat eodē modo in prædestinatis, & reprobis, dicendum, id non posse à nobis admitti, nec vlla ratione iuxta doctrinā sancti Augustini, & sancti Thomæ est admittendum.

Primo

Primo; quia gratia præueniens præcisè considerata, in quantũ præuenit liberam cooperationẽ nostri arbitrij, habet aliquem effectum in prædestinatis,quẽ non habet in reprobis. Illis enim tribuit infallibiliter perseuerare vsque in finem, istis non item. In illis est efficax, quia licet non producat piam operationem absque libera cooperatione arbitrij, efficit tamen fortiter, & suauiter, vt ipsum arbitrium cooperetur,& perseueret vsque in finem; vt lib. 4. responsionum cap. 7 & 8. dictum est: in reprobis autem id non efficit, neque est efficax. Neque enim in eo sensu dumtaxat gratia dicenda est efficax, quia volentem suo concursu comitatur, aut simul operatur nobiscum, si volumus;sed quia Deus per illam verè efficienter facit nos liberè velle, & eum eadem gratia concurrere, secundum illud Apostoli: *Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* Constat autem, Deum non operari æqualiter in omnibus velle, & currere, alias omnes vellent, & currerent; cum hæc gratia efficax præueniens non sit in homine, nisi quando bene vult, & bene agit, vt Augustinus dicit libro de gratia Christi contra Pelagium, & Cælestium cap. 47. In electis ergo gratia est fœcunda, profert fructum vitæ æternæ, resistit tentationi, non solum simul nobiscum influendo in opus pium,si volumus; sed etiam efficiendo, vt velimus, quod tamen in reprobis non efficit. Philip. 2.

Ad primam confirmationem patet ex dictis,qualiter prædestinatio,& gratia præueniens, in quantum præueniens non se habet æqualiter ad omnes. I X6

Ad secundam confirmationem respondetur, quod sicut in tempore bona merita fiunt cum plena dependentia à libertate arbitrij,quod excitatum, & motum potest dissentire,si velit: ita ab æterno sunt prædestinata sic fieri. Ex hoc tamen non infertur,illa bona merita non esse ante præuisionem determinationis liberi arbitrij,vt fierent,prædestinata: sed potius infertur oppositum; nam ipsa etiam determinatio liberi arbitrij cadit sub prædestinatione,& est effectus illius,vt disputat. 36. de Auxilijs ostensum est. Vnde non solum Deus præordinauit, vt bona illa merita fierent in tempore:sed etiã

Prædestinata sunt à Deo omnia opera bona

præordinauit, & prædestinauit decreto absoluto, vt liberum arbitrium se determinaret liberè, & suo influxu concurreret ad eadem bona merita in tempore exequenda, vt ex dictis disput. 22. 23. & 91 de Auxilijs cōstat.

X. Ad illud, quod in eodem argumento attingitur de gratia efficaci, dicendum est, quod (vt docet Capreolus) iuxta sententiam Sancti Augustini libro de gratia, & lib. arb. cap. 16. distinguere oportet duplicē Dei modum operandi circa bonum velle nostrū. Vnus est sibi proprius, in quo voluntas nostra non cooperatur, vtpotè facere nos velle. ideo ait Augustinus. Vt ergo velimus, sine nobis operatur. Sine nobis, inquam, operantibus, vt scilicet velimus; quia licet voluntas velit, & causet volitionem, non tamen facit se velle, aut causare volitionem. Alius est modus ipsi Deo, & voluntati communis, scilicet causare volitionem, de quo idē Augustinus ait: *Cum autem volumus, nobiscum operatur*. Dicendum est ergo quod quantum ad primum effectum, seù modum operandi, qui attribuitur Deo per gratiam efficacem, gratia est efficax in tempore, antecedenter ad liberam cooperationē arbitrij, & independenter ab illa. Vnde etiam Deus ab æterno voluit, vt sic esset efficax independenter ab eadem cooperatione arbitrij. Cæterum quantum ad secundum modum operandi, quo nimirum Deus causat volitionem, seù opus pium cum libero arbitrio, in tali causalitate reperitur perfecta dependentia eiusdem piæ operationis ab eodem arbitrio excitato, & moto à Deo auxilio efficaci, vt à causa verè efficiente. Vnde etiam Deus ab æterno voluit, vt hanc dependentiam haberet. Ex hoc tamen non sequitur, quod efficacia gratiæ dependeat ex libero influxu arbitrij: quoniam tota illa dependentia tribuitur ipsi effectui, nimirum piæ operationi à gratia, & libero arbitrio procedenti, non autem efficaciæ ipsius gratiæ, vt supra ostensum est. Vnde multo minus sequitur id, quod in eadem argumentatione inferebatur, quod scilicet ante præuisionem determinationis liberi arbitrij gratia solum sit efficax sub conditione, nempè, si voluntas se voluerit determinare. Iam enim sæpe ostensum, Deum per efficacem gratiam efficere, vt voluntas

Capreol 2. sent. dist. 28. qu. 1 artic. 3. ad. 11.

Deus secundum duplicem modū cōcurrit ad bona opera nostra.


Gratia præueniēs quo pacto sit efficax.

luntas liberè se determinet, iuxta illud Concilij Arausicani. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Relinquitur ergo, tam prædestinationem Dei æternam, quam gratiam ipsam, quæ in tempore donatur, etiam ante præuisionem boni, vel mali vsus liberi arbitrij, non se habere æqualiter ad omnes, tam prædestinatos, quam reprobos: sed ad ipsam liberam Dei electionem, & gratiam tandem esse reuocandam discretionem prædestinatorum à reprobis. Quod autem vltimo loco asseritur de Causis partialibus, iam disputatione 85. de Auxilijs improbatum est.

Concil. Arausic. Can. 9.

CAPVT IV.

Proponuntur aliæ obiectiones contra præmissa, & earum fallacia detegitur.



I.

IN disputat. 107. num. 2. de Auxilijs asserui, donum perseuerantię non esse commune omnibus iustis, sed proprium donum prædestinatorum; ita nimirum, vt nulli alteri conueniat, id quod multis testimonijs Sacri Concilij Tridentini, & Sanctorum Patrum confirmaui, presertim Augustini, Hilarij, & Prosperi, & rationibus Theologicis, quæ ibi poterunt videri. Quam quidem sententiam statui contra Leonardum Lessium eius nomine suppresso in tractatu de Prędestinatione, & reprobatione Angelorum, & hominum sect. 5. num. 64. vbi ait, quòd *perseuerantia, qua saluandi à non saluandis distinguuntur, eodem modo pendet à prædestinatione, quo pendet à gratia.* Et paulo inferius 65. Quod vero, respondens ad quoddam argumentum, quo deducebatur, in eius sententia sequi, *Deũ ex parte sua æqualiter se habiturum ad saluandos, & non saluandos*; ex quo rursus videtur sequi, donum perseuerantiæ, quantum est ex parte Dei, ęqualiter se habe-

Lessius.

re ad saluandos, & non saluandos, ac per consequens ipsũ donũ perseuerãtiæ, de quo Patres, & Cõcilia loquũtur; quantũ est ex parte Dei, esse cõmune õnibus iustis, nõ solũ prædestinatis, sed etiam reprobis, subiungit: *Respondendum cum distinctione. Si enim loquamur de affectu, quem Deus habet ante omnem operum præuisionem; sic admitto, illum se æqualiter habere ad vtrosque; quia vtrosquè sincerè cupit saluos fieri, vtrisque auxilium vere sufficiens largiri, & neutris vult salutem voluntate absoluta. Si autem loquamur de toto affectu, quem Deus habet ab æterno, supposita præuisione; sic falsum est, se habere ad vtrosque eodem modo. Pari modo gratia, si consideretur præcisè, vt præueniens, habet se in illis eodem modo; absolute tamen non habet.*

II. Mihi vero certissimum est, donum perseuerantiæ, etiam si consideretur, quatenus ordine rationis, & causalitatis liberam cooperationem creati arbitrij præcedit, esse proprium donum prædestinatorum, & eius efficaciã à solo Deo procedere independẽter à scientia media, quę nulli solido innititur fundamẽto. Licet enim concursus, & cooperatio arbitrij, qua perseuerat vsque in finem, pendeat ex eius libertate à Deo adiuta per idem auxilium, tanquam à causa proxima, vere efficienti, & non vt à sola conditione, sine qua non; efficacia tamen eiusdem doni perseuerantiæ nullo modo pendet ex libera cooperatione arbitrij quomodolibet à Deo præcognita, vt futura etiam ex hypothesi: sed potius è conuerso ipsa libera cooperatio eiusdem arbitrij pendet ex efficacia doni perseuerantiæ, & auxiliorum gratiæ, quæ in illo includuntur, vt disput. 107. prællegata, & latius libro quarto responsionum capite sexto dictum est.

Perseuerãtiæ donum qualiter sit proprium prædestinatorum.

Suarez. Hanc meam sententiam sic explicatam, vehementer impugnat Pater Suarez libro decimo de Conseruatione gratiæ habitualis capite tertio numero septimo, & capite quarto. Et prima obiectio illius est.

1. Obiect. Nam licet donum perseuerantiæ, quo perseueratur vsque in finem, sit proprium donum prædestinatorum; ita vt nulli alteri conueniat: nihilominus donum perseuerantiæ,

rantiæ, quo potest quis perseuerare si velit, commune est omnibus iustis: Ergo aliquod donum perseuerantiæ est commune omnibus iustis, etiam reprobis, qui non perseuerant vsque in finem.

Secundo. Perseuerantia, qua perseuerat quis in gratia longo tempore, est donum speciale perseuerantiæ: sed hoc donum non est proprium prædestinatorum; nam multi reprobi perseuerant in gratia longiori tempore, quam aliqui prædestinati: contigit enim, quod reprobus perseueret in gratia per vnum, vel plures annos, & postmodum peccet mortaliter, & damnetur: prædestinatus vero solum perseueret in gratia per mensem, & præueniatur morte antequam peccet mortaliter: Ergo aliquod donum perseuerantiæ est commune prædestinatis, & multis reprobis. 2. Obiect.

Tertio. Quilibet iustus simpliciter, & absolutè potest toto vitæ tempore in gratia perseuerare, si velit: Ergo donum perseuerantiæ in actu primo est commune omnibus iustis. Antecedens probatur ex Sancto Thoma 1. 2. quæst. 109. artic. 10. ad. 3. & ex illo 1. Corint. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* 3. Obiect. Idem c. 3. num. 2. 1. Corinth. 13.

Confirmatur idem antecedens ex Concilio Mileuitano cap. 3. dicente: *Gratiam Dei, in qua iustificamur, non solum ad remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, sed etiam in adiutorium, ne committantur.* Et in Concilio Arausicano 2. cap. 25. dicitur: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Denique in Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. sic dicitur: *Quia Deus impossibilia non iubet: sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possit.* Et Canone 22. diffinit absolute, iustos posse per Dei auxilium perseuerare. Ait enim: *Si quis dixerit, iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse: Anathema sit.* III.

Quar-

Quarto idem probat. Auxilium sufficiens necessarium ad salutem omnibus datur, vt docent communiter Sancti Patres, sed perseuerare, est vnum ex necessarijs ad salutem, & potestas perseuerandi per auxilium sufficiens datur: Ergo sicut omnibus iustis datur auxilium sufficiens ad salutem: ita etiam tribuitur illis potestas ad perseuerandum: Ergo talis potestas est communis omnibus iustis.

¶ V. Quinto argumentatur ratione. *Omnis iustus, quando est in via, potest saluari, si velit:* Ergo potest perseuerare, si velit.

Conf. Idem confirmat ratione deducta à contrario. Si in alicuius iusti potestate non esset perseuerare, non imputaretur ei, quod non perseueraret. Sed imputatur cuilibet iusto, si non perseueret: Ergo est in eius potestate perseuerare, ac subinde illi datur auxilium, quo possit perseuerare, si velit. Ex quo infert, aliquod speciale donum ad perseuerandum necessarium, & per se sufficiens esse comune omnibus iustis.

Status controuersiæ circa donũ perseuerantiæ.

Perseuerãtia status innocentiæ fuit perseuerantia secundum quid.

Hæc tamen argumenta facile dissoluentur, si status controuersiæ plenè intelligatur, & in quo dissentiant auctores vtriusque sententiæ aperiatur. Ad cuius euidentiam notandum, controuersiam non procedere de gratia, seu dono sufficienti, quo potest quis perseuerare, si velit, quale fuit concessum Adæ in statu innocentiæ, vt docet Augustinus libro de Correptione, & gratia cap. 11. & 12. Hoc enim non est simpliciter, & absolutè donum perseuerantiæ, de quo loquuntur Concilia, & Patres contra Pelagium: sed solum est perseuerantia secundum quid, cum non sit perseuerantia in actu, sed solum in potentia. Nec etiam procedit de perseuerantia, qua citra instans mortis aliquis perseuerat in gratia per longum tempus. Etenim de vtraque perseuerantia est communiter recepta sententia inter Theologos, esse donum gratiæ Dei per Iesum Christum commune prædestinatis, & reprobis iustis, vt argumenta proposita efficaciter probant, nec est aliquis Theologus, qui id neget. Quod & nos disputat. 107. præallegata de Auxilijs in solutione ad primum, & confirmationem secundi argumenti id tanquam certum asseruimus. Vnde

Auctor

Auctor diuertens quęstionem à suo statu superflue immoratur in probatione huius veritatis communiter receptæ.

V. Differẽtia ergo inter auctores vtriusque sentẽtiæ consistit in hoc. Vtrum donum perseuerantiæ, & series auxiliorum, quæ in illo includuntur, quatenus ordine rationis, & causalitatis præuenit liberam determinationem, & cooperationem liberi arbitrij à Deo præcognitam per scientiam, quam vocant mediam, & quatenus se tenet ex parte Dei, sit commune omnibus iustis, tam prædestinatis, quam reprobis & sit solum donum sufficiens, quo potest quis perseuerare si velit: an vero præter donum, quo potest quis perseuerare, si velit, & quo perseuerat longo tempore citra tempus, vel instans mortis, detur omnibus, & solis prædestinatis aliud donum perseuerantiæ, quo Deus efficiat, vt arbitrium libere cooperetur cum eodem dono perseuerantiæ, & perseueret vsque in finem; ita nimirum, vt eadem determinatio libera create voluntatis, & cooperatio cum eisdem auxilijs, etiam vt emanat à libero arbitrio, sit effectus prędestinationis diuinæ in genere causæ propriè efficientis, & efficacitatis eiusdem doni perseuerantię: non autem sit aliquid præsuppositum ex parte creati arbitrij ad absolutam Dei prędestinationem, & ad efficaciam auxiliorum præuenientis gratiæ. Auctores enim, quos impugnamus, contendunt, donum perseuerantię, quatenus venit à Deo, & se tenet ex parte illius antecedenter ad liberam cooperationem creati arbitrij à Deo præcognitam per scientiam mediam, solum esse donum perseuerantię sufficiens, quo nimirum potest quis perseuerare, si velit: accedente vero libera determinatione, & cooperatione creati arbitrij vsque in finem à Deo præcognita per scientiam mediam sortiri rationem doni perseuerantiæ, quod est proprium prædestinatorum, vt constat ex eorum verbis superius adductis, & ex alijs, quæ retulimus disputat. 4. de Auxilijs præsertim num. 4. Vnde sentire conuincuntur, donum perseuerantiæ, quatenus se tenet ex parte Dei antecedenter ad cooperationem creati arbitrij à Deo pręcognitam (vt aiunt) per scientiam mediam, esse commune omnibus iustis,

non

bus Deus præsciebat non bene vsurum eodem dono. Ex quo inferunt, prædictum donum collatum homini in illis circumstantijs, in quibus Deus præsciebat bene vsurum suo arbitrio perseuerando cum illo vsque in finem, non esse commune omnibus iustis, sed proprium donum prędestinatorum; ita vt nulli alteri conueniat, & hoc appellant donum perseuerantiæ, quod Concilia, & Patres statuere intendunt contra Pelagianos, & Semipelagianos, præsertim Sanctus Augustinus vbi supra, & libro de Dono perseuerantiæ, & alijs pluribus in locis.

Hæc tamen solutio, & explicatio non videtur ad mentem Conciliorum, & ss. Patrum. Nam (vt disput. 108. de Auxilijs num. 4. dicebamus) quòd vnum donum, vel auxilium sit maius moraliter in genere beneficij, prouenit ex libera determinatione, & cooperatione creati arbitrij, qua pro innata sibi libertate vnus bene vsus est eodem dono, non autem alter: Ergo tandem vltima differentia inter perseuerantes, & non perseuerantes, & inter prædestinatos, & reprobos reducenda esset ad innatam libertatem creati arbitrij; ac per consequens per eandem innatam libertatem vnus se discernit ab alio, & non per aliquod aliud specialissimum donum præuenientis gratiæ collatum vni, quod tamen non est alteri collatum. Hoc autem aperte videtur repugnare verbis Apostoli 1. Corint. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* VIII

1. Corinth. 4.

Confirmatur, & augetur magis vis huius argumenti. Nam (vt disput. 72. & 73. de Auxilijs ostensum est) in auxilio efficaci præuenientis gratiæ, vt est instrumentum æterni decreti voluntatis Dei absolutè volentis hominem, cuius cor mouet, ad se conuertere, est intentionaliter aliqua realis virtus, quæ non est in solo sufficienti auxilio: Ergo similiter in dono perseuerantiæ, quo prædestinati perseuerant vsque in finem, vt est instrumentum eiusdem voluntatis, & prædestinationis diuinæ, est intentionaliter aliqua realis virtus ad efficiendum, vt prædestinati liberè, & infallibiliter perseuerent in gratia vsque in finem, quæ tamen virtus non est in dono illo, quo omnes iusti etiam reprobi possunt perseuera-

Auxilium efficax qualiter à sufficienti distinguatur.

seuerare, si velint: Ergo præter hoc donum præuenientis gratiæ commune omnibus iustis, datur prædestinatis aliud donum perseuerantiæ superius explicatum, & à perseuerantia sufficienti modo prædicto distinctum, quod ita sit illis proprium, vt nulli alteri conueniat, & de hoc dono perseuerantiæ censeo loqui Patres, & Concilia contra Pelagianos, & Semipelagianos.

Accedit, quòd scientia illa media, quam assertores illius supponunt in Deo ad efficaciam doni perseuerantiæ, & aliorum auxiliorum præuenientis gratiæ, quæ in illo includuntur, nullo innititur solido fundamento, vt disput. 7. de Auxilijs ostensum est; & lib. 1. Responsionũ cap. 1. & sequentibus. Imò vt fatentur multi ex defensoribus scientiæ mediæ, quorum testimonia lib. 1. Responsionum cap. 1. num. 24. allegaui, hæc scientia media non solum, quo ad nomen, sed etiam quo ad rem, fuit antiquis Patribus, & Doctoribus Scholasticis incognita, qui tamen absque illa efficaciam doni perseuerantię, & auxiliorum præuenientis gratiæ, quæ in illo includuntur, statuerunt, & certitudinem prædestinationis, quantum ad assequutionem effectus defenderunt, vt disput. 41. de Auxilijs ostensum est. Per hæc facile respondetur ad argumenta facta à principio.

IX. AD primum dicitur, quod donum illud perseuerantiæ commune omnibus iustis, quo possunt perseuerare, si velint, non est simpliciter, & absolutè donum perseuerantiæ, de quo loquuntur Patres, & Concilia contra Pelagium. Hoc enim includit actualem perseuerantiam vsque in finem; vel vt proprius loquar, & formalius, Deus per idem donum verè efficienter, siue ad modum causæ physicæ facit, vt prędestinatus libere, & infallibiliter perseueret vsque in finẽ. Illud autem donum perseuerantiæ commune omnibus iustis, qualecumque illud sit, solum est perseuerantia in potentia. Quod aũt solum est tale in potentia, est secundũ quid tale. Et idem dicendum proportionabiliter de perseuerantia per longum tempus citra terminũ vitæ.

Et per hæc pateat solutio ad Confirmationem. Et similiter dicendum ad tertium cum suis confirmationibus. Locus enim Concilij Mileuitani solum probat, iustifica-

ſtificatum poſſe per Dei adiutorium peccata vitare, quod ab omnibus recipitur, nec de hoc eſt inter nos, & illos aliqua controuerſia: ſed tamen, vt docet Auguſtinus libro de Correptione, & gratia cap. 11. & 12. *Adiutoria gratiæ distinguenda ſunt. Aliud eſt enim adiutorium, quo poteſt quis perſeuerare ſi velit.* Et hoc adiutorium eſt commune omnibus iuſtis. Aliud vero eſt adiutorium, quo Deus efficit, vt libere, & infallibiliter perſeueret vſque in finem: & hoc donum perſeuerantiæ non eſt commune omnibus iuſtis: ſed eſt proprium donum prædeſtinatorum. Et ſimiliter dicendum ad Concilium Arauſicanum ſecundum, & ad loca inducta ex Concilio Tridentino. August.

X. Ad quartum argumentum reſpondetur, quod tangit difficultatem, vtrum auxilium ſufficiens ad ſalutem omnibus detur, non ſolum iuſtis; ſed peccatoribus, etiam infidelibus, de qua egi diſput. 112. de Auxilijs: ſed præſens quæſtio ſolum procedit de hominibus iuſtis. Etenim poteſtas perſeuerandi in gratia iuſtificante ſupponit ipſam iuſtificantem gratiam, ſicut continuatio alicuius formæ præſupponit ipſam formam præexiſtentē. Dicimus ergo, quòd poteſtas perſeuerandi eſt communis omnibus iuſtis. Hæc enim poteſtas eſt ipſum donum, quo poteſt quis perſeuerare, ſi velit. At vero præter hoc donum datur ſolis prædeſtinatis per Chriſtum aliud ſpecialiſſimum donum, quo Deus efficit, vt libere, & infallibiliter perſeuerent vſque in finem, & de hoc dono procedit præſens controuerſia, vt dictum eſt.

Ad quintum reſpondetur, quòd ſi aliquid probaret, etiam concluderet, omnes peccatores etiam infideles habere in ſe ipſis donum præuenientis gratiæ, quo poſſint perſeuerare ſi velint, quod tamen non eſt dicendū. Nam (vt ſupra oſtenſum eſt) poteſtas perſeuerandi in gratia neceſſariò præſupponit ipſam iuſtificantem gratiam. Vt ergo quilibet peccator, etiam infidelis, quandiu eſt in via, poſſit iuſtificari, & ſaluari, ſufficit quòd auxilia præuenientis gratiæ, quibus id poſſit, ſint illi ex miſericordia Dei poſſibilia, & liberum eius arbitrium ſit flectibile à malo in bonum. Hæc autem auxilia, quibuſ cūque dantur, miſericorditer dantur, quibus autem non *Infidelis dum eſt in via qualiter ſaluari poſſit.*

dantur, in pœnam præcedentis peccati non dantur, saltem originalis, vt dicit Augustinus lib. de Correptione, & gratia capite 5. & 6. & cum eo S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1.

XI. Hæc solutio habet magnum fundamentum in S. Thoma 3. par. quæst. 8. art. 3. ad 1. vbi assignans rationem, propter quam Christus Dominus est caput omnium hominum, etiam infidelium, ait, *quod illi, qui sunt infideles, & si actu non sint de Ecclesia sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis: secundario in arbitrio libertatis.*

Ad Confirmationem respondetur, solum concludere, quòd omnes Iusti possint in accepta gratia perseuerare, si velint, de quo non est controuersia: sed quod ex illis aliqui perseuerent actu vsque in finem, prouenit ex alio dono specialissimo perseuerantiæ, superius explicato. Quod autem alij non perseuerent, prouenit ex eorum culpa; quia videlicet noluerunt cum auxilio sufficienti perseuerare in eadem gratia, cum possent, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* (Oseæ.)

XII. Et cum infertur, aliquod speciale donum ad perseuerandum necessarium, & per se sufficiens esse commune omnibus iustis, Respondetur, id esse verissimum de dono speciali, quo potest quis perseuerare, si velit: sed auctor præter hoc donum nullum aliud vult admittere donum perseuerantiæ solis prædestinatis commune, quo Deus efficiat, vt libere, & infallibiliter perseuerēt vsque in finem, timens ne per tale donum lædatur creati arbitrij libertas, & impediatur actualis vsus illius. Cum tamen, vt sępe docet Augustinus, & Prosper, per idem donum eiusdem arbitrij libertas mirum in modum sanetur, roboretur, & perficiatur, quod etiam expressè docet Cælestinus in epistola ad quosdam Galliarum Episcopos, vbi postquam in capite quinto statuerat, *Deum ita operari in cordibus hominum, atque in ipso libero arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit*; postmodum in

Gratia efficax libero arbitrio non præiudicat. Augustin. lib de spir. & lit. c. 19. Prosper Epistol. ad Rufi. ver. sus fine, & contra Collat. c. 12. Cælestin.

cap.

capitul. 12. ostendit, qualiter per hanc gratiam libero non præiudicetur arbitrio. Sic enim ait: *His ergo ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino cõformati sumus, vt omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum; omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente fit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.*

CAPVT V.

Vtrum sit aliqua lex à Deo constituta conferendi infallibiliter auxilia præuenientis gratiæ facientibus totum, quod in se est, ex sola facultate naturæ, vt id, prout ad salutem oportet, exequantur.



PElagianorum error fuit, gratiam secundum merita nostra dari; ac per consequens asseruerunt, hominem per solas vires naturæ bene operando eam posse à Deo obtinere, vt facilius operari possent per gratiam, quod simpliciter poterant per naturam, vt ex dictis lib. 5. cap. 1. & 2. constat, & ex præmissis disput. 1. de Auxilijs. 1.

Massiliensiũ verò, qui alio nomine Semipelagiani dicuntur, cõmunis ẽt error fuit, aliquod initium salutis reseruandum esse hominis libero arbitrio, vt propria salus sit in eius potestate constituta; ac per consequens labori,

labori, & voluntati humanæ subiungendum esse gratiæ adiutorium, illudque nobis donari propter aliquod præcedens opus liberi arbitrij procedens ex solis viribus naturę; siue sit credere, siue petere, siue desiderare gratiam, siue quodlibet aliud opus ex his, quæ in Concilio Arausicano secundo Canone 6. enumerantur, vt disputat. 2. de Auxilijs num. 1. & cap. 3. præcedentis libri prænotaui.

Id ipsum asseruerunt consequenter de prædestinatione æterna, nimirum Deum ab æterno præordinasse conferre nobis in tempore primum auxilium gratiæ; seu primam vocationem gratuitam propter aliquod ex prædictis operibus naturę, aut eius intuitu, vel occasione. Vnde consequenter admittebant, dari ex parte nostra causam, rationem, aut conditionem sine qua non prædestinationis ad gratiam. Ex qua assertione S. Augustinus in omnibus fere suis libris, vel epistolis; sed præsertim in lib. de Prædestinat. Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ aduersus Pelagianos, & Semipelagianos inferebat, gratiam secundum merita nostra dari, ac per consequens gratiam non esse gratiam, quæ vtique gratis datur. Nomine autem meriti comprehendit S. Augustinus non solum meritum de condigno, vel de congruo ex parte hominis; sed etiam occasionem, vel conditionem, sine qua non daretur primum auxilium gratiæ, ac generaliter quodcumque opus naturæ, cuius intuitu donetur prima vocatio, seu primum auxilium gratiæ. Omnia enim hæc (vt patebit infra) excludere voluit, cum inquit, gratiam non secundum merita nostra dari; sed secundum meram, & gratuitam Dei voluntatẽ.

Aug. lib. de Prædestinat. Sanctorum, & de Dono perseuer.

Argumenta, quibus Massilienses conuicti hoc qualecumque initium gratiæ, vel prædestinationis ad gratiam aduersus doctrinam S. Augustini, quæ nimis dura illis videbatur, constituerunt in natura, referunt S. Prosper, & Hilarius in suis epistolis ad Augustinum. Et ea idem S. Augustinus lib. de Corrept. & gratia, & lib. de Prædestinat. Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ respondens Prospero, & Hilario dissoluit. & infra cap. 6. proponenda sunt, & soluenda.

II. Molina in Concordia quæst. 14. art. 13. disput. 10. in princ.

princ. suam profert sententiam in hunc modum. *Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, praestoue est ad conandum totum id, quod ex se se potest, tam circa ea, qua fides habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo conferri gratiam prauenientem, auxiliaue, quibus id faciat, vt oportet ad salutem: non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxilijs, vllaque ratione ea promereatur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita. Atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater aeternus statuerunt de Auxilijs, & donis, qua nobis Christus promeruit, merè gratis conferendis, vna eaque rationi maximè consentanea fuit, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, praesto nobis essent auxilia gratiae, quibus ea, vt oportet ad salutem, efficeremus, vt ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrij nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret quod ad Deum non conuerteremur.* Idem confirmat, & magis explicat disputat. 14. membro 5. §. Post hanc, vbi sic ait: *Quoniam vero facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, Christusque nobis promeruit auxilia, non solum qua conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere quod in nobis est, praesto essent, ac praeuenirent, vt sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus saepe excitaremur omnino; inde est quod quoties quis paratus fuerit ad conandū ex timore, efficiendūq; totū quod potest circa detestanda peccata commissa, & cauenda in posterum omnia lethalia, praeueniatur à Deo affectu, donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum sacramento est necessaria, vt peccata deleantur.* Quibus verbis innuere videtur, quod idem conatus ex solis viribus naturalibus arbitrij procedens adiuuetur, & perficiatur per gratiam praeuenientem, vt sit dispositio supernaturalis ad gratiam; id quod indicant illa verba: *Vt sic illo eodem conatu, &c.* Et alia quae in praeallegata disput. 10. praemiserat: *Plane* (inquiens) *sine vlla intermissione ad ostium cordis stat paratus semper conatus nostros adiuuare.*

Ad-

In concordia quaest. 23. art. 4. disputat. 1. memb. 11. §. Illud addendum,

Addit, quòd *sicut unum peccatum permitti solet in pœnam alterius peccati : sic propter eleemosynas, & alia opera moraliter bona, facta ab existente in lethali peccato consueuit sæpe Deus opitulari citius, ac magis uni, quam alteri, vt à peccato resurgat: eaque ratione eiusmodi opera non immeritò appellari consueuerunt dispositiones remota ad gratiam.* Addit etiam, quod *nisi illa antecedant, conferre eam* (scilicet gratiam præuenientem) *non solet*, vt videre licet disput. 9. §. Quod hac.

III. Lessius.

Eandem sententiam latè defendit pater Lessius tractatu de Gratia efficaci cap. 10. num. 3. & in appendice ad idem caput num. 19. & sequentibus. Vbi memoratam propositionem contendit esse intelligendam de faciente, quod in se est, ex sola facultate naturę. Et nomine gratiæ intelligit auxilium primum præuenientis gratiæ excitantis; nam gratiam habitualem fatetur non conferri, nisi facientibus totum, quod in se est ex auxilio præuenientis gratiæ. Et in fauorem eiusdem sententiæ refert S. Thomam, Mag. Sotum, & alios quamplurimos Doctores, qui tamen ferè omnes, vt cap. 7. patebit potius militant pro nostra sententia disputat. 36. de Auxilijs tradita, & explicata. Vnde pro resolutione sit nihilominus

IV.

Prima Conclusio. Illa communis propositio, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, non potest, nec debet intelligi de facientibus, quod in se est, ex solis viribus naturæ; sed de facientibus quod in se est ex auxilio speciali præuenientis gratiæ. Sic intellexerunt illam propositionem Sanctus Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. Vbi proponit secundum argumentum ad probandum, quod homo possit se ipsum ad gratiam præparare absque vllo auxilio gratiæ: *Homo se ad gratiam pręparat faciendo quod in se est; quia si homo faciat quod in se est, Deus ei non denegat gratiam: dicitur enim Matthæi septimo, quòd Deus dat spiritum bonum petentibus se: sed illud in nobis esse dicitur, quod est in nostra potestate. Ergo videtur, quod in nostra potestate sit cōstitutum, vt nos ad gratiam pręparemus.* Ad quod tamen argumentum respondet, *quod nihil homo potest facere, nisi à Deo moueatur secundum illud Ioannis 15.*

S. Thom. Matth. 7. Ioann. 15.

Sine

Sine me nihil potestis facere. *Ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus à Deo.* Et quæst. 112. art. 3. in corp. ait, *quòd si præparatio ad gratiam consideretur secundum quod est à libero arbitrio nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem; quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ.*

Respondent, Sanctum Thomam ibi loqui de gratia habituali, ad quam non potest homo se ipsum præparare, aut illam consequi per aliquem actum procedentẽ ex solis viribus naturæ: sed solum per dispositionem procedentem ex auxilio gratiæ. Sed contra hoc est; nam eadẽ prorsus ratio procedit à fortiori de auxilijs actualibus præuenientis gratiæ, præsertim de prima vocatione, seu prima gratia excitante, in qua multò magis splendet ratio doni gratuiti, quam in alijs donis, quæ præsupponunt primum auxilium gratiæ. Præterea Sanctus Thomas alijs in locis expressè loquitur de auxilijs actualibus, vt patet 1. 2. q. 112. art. 2. in corpore, vbi sic ait: *Si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei mouentis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præueniens diuinum auxilium, sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animum ad bonum, & secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo. & quantum ad hoc dicitur homo se præparare secundũ illud* Prouerbiorũ 16. *Hominis est præparare animam, & principaliter à Deo voluntas hominis præparari, & à Domino gressus hominis dirigi.* Et expressius 3. contra Gentes cap. 149. probat ex professo, quod homo non possit propria virtute auxilium diuinum consequi, sed præsertim in prima ratione, vbi sic ait: *Non propter hoc datur nobis auxilium diuinum, quia nos ad illud per bona opera promouemur: sed potius nos ideo per bona opera proficimus; quia Diuino auxilio præuenimur.* Et in 3. ratione idem probat his verbis. *Nullum agens particulare potest vniuersaliter præuenire actionem primi, & vniuersalis agentis, eo quod omnis actio particularis agentis originem habet ab vniuersali*

V. Respons.

Impugn.

S. Thomas 1.2. q. 112. artic. 2. in corp.

S. Thomas in 3. contra gent. capit. 149.

agente, sicut in istis inferioribus omnis motus præuenitur à motu cœlesti: sed animus humanus ordinatur sub Deo, sicut particulare agens sub vniuersali: impossibile est ergo, esse aliquem rectum motum in ipsa, quem non præueniat actio diuina. Et super cap. 10. ad Rom. lect. 3. sermonem faciens de illis, qui nutriuntur in syluis, ait: *Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicatores fidei, sicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16. Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est mouente corda ipsorum ad bonum. Thren. 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.*

S. Thomas in cap. 10. ad Roman. lect. 3.

Act. 10. & 16.

VI. Eamdem conclusionem statuit Magister Sotus lib. 2. de Natura, & gratia cap. 3. præsertim in solutione ad 2. & 3. argumentum: vbi ait, quòd *facere homines quod in se est, non intelligitur ante auxilium Dei, sed potius præueniente Deo. Tunc enim homo facit, quod in se est, quando Deo inspiranti respondet cooperans.* Idem probat cap. 4. sequenti, & hæc est communis intelligentia Thomistarum, vt patebit infra. Quam quidem sententiam, si non formalibus verbis, æquiualentibus tamen docuit prius Sanctus Augustinus in libris, quos aduersus Pelagianos, & Semipelagianos conscripsit, vt ex locis inferius allegandis colligi poterit.

Sotus lib. 2 de nat. & grat. cap 3

Ad cuius sententiam considerandum est, hanc propositionem, *Facienti totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deus confert primum auxilium præuenientis gratiæ*, posse in duplici sensu intelligi, aut explicari. Primo ita vt opera bona moraliter præcedentia primum auxilium gratiæ se habeant ad collationem illius concomitanter, & per accidens, ita videlicet, vt non mereantur illam gratiam de condigno, vel de congruo, congruitate se tenente ex parte ipsius operis, vel operantis; nec sint conditio, sine qua Deus non conferret primam gratiam præuenientem; nec occasio, aut qualecumque aliud motiuum, etiam minimum, propter quod seu cuius intuitu primum auxilium gratiæ conferatur, ac per consequens in distributione gratiæ præuenientis nulla habeatur ra-

tio,vel consideratio præcedentium operum naturæ: sed inter illa, & donum gratiæ sit quædam concomitantia per accidens,sicut albedo existens in artifice concomitatur per accidens ædificationem domus,& per accidēs concurrit ad constructionem illius; quia nullo modo influit in eam. Vnde in constitutione domus nulla habetur ratio,vel consideratio albedinis ipsius artificis, vel nigredinis;quia eodem prorsus modo ædificatur domus iuxta regulam artis,siue artifex sit albus, siue pallidus, siue quolibet alio colore affectus. In hoc sensu posset illa propositio tolerari; quia isto modo tam facientibus, quam non facientibus quod in se est,ex solis viribus naturæ,confert Deus,quando sibi placet,auxilia præuenientis gratiæ: sed quoniam illa propositio iuxta communem modum concipiendi non facit istum sensum: sed aliũ longe diuersum,qui est inferius impugnandus; ideo prætextu huius explicationis non debet à Theologis absolutè affirmari, aut defendi.

Secundus sensus est, quòd si homo faciat quod in se est, seu totum,quod potest,per vires naturales sui arbitrij circa obiectum virtutis,verbi gratia diligendo Deũ, Deus dabit illi auxilium præuenientis gratiæ,quo actus ille dilectionis viribus naturæ secundum substantiam inceptus, foueatur à Deo,perficiatur, & fiat supernaturalis, & qualis ad salutem oportet;ita videlicet, vt illud opus,vel operis inchoatio procedens ex viribus naturæ sit occasio,aut qualecumque motiuum, cuius considerationem Deus habeat in distributione primi auxilij supernaturalis,aut propter quod illa distributio facientibus quod in se est fiat à Deo. Et hic est proprius sensus illius propositionis,in quo putamus, non posse admitti,nec defendi.

Imò addendum est,quod etiam si dicatur, Deum non semper obseruare, aut expectare huiusmodi conatus arbitrij,vt prima auxilia præuenientis gratiæ sic conantibus tribuat, sed solum aliquando; adhuc illa propositio non potest tanquam probabilis defendi. Nam loca Scripturæ,Conciliorum,& Sanctorum Patrum, quæ conuincunt,Deum non obseruare,nec expectare conatus naturę, vt sua gratia speciali nos præueniat, eamdem vim

 habent

habent in quocunque particulari homine, cuius conatus naturales Deus expectat, etiamsi in multis alijs hominibus auxilium gratiæ præueniat omnes conatus naturæ: cum videlicet nihil de sua salute cogitantibus, nihil ex se conantibus: sed potius resistentibus, ac repugnantibus Deus confert auxilia præuenientis gratiæ, sicut contulit Paulo Apostolo, dum in fragranti delicto comprehensum ad se conuertit. Probatur hoc primo

Rom. 11. ex locis Scripturæ. Dicitur enim ad Romanos 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Si autem liberum hominis arbitrium ex se ipso absque speciali auxilio gratiæ facit aliquod opus, cuius occasione, vel intuitu Deus conferat illi auxilium gratiæ, iam aliquid prius tribueret Deo, vt Deus retribueret illi auxilium gratiæ: ac per consequens illud auxilium non esset gratia, quæ vtique gratis datur.

VII. 1. Ad Corinth. 4. *S. August. lib. de prædest. Sanct. cap. 4. & 5.*

Item etiam primæ ad Corint. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo testimonio Sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 4. & 5. vrget Massilienses, & probat, quod neque fide inchoata, & imperfecta, neque oratione, aut alio quocũque opere naturæ discernatur vnus ab alio: sed sola gratuita Dei misericordia, & gratia, ac per consequens, non in homine, vel in se ipso, sed in solo Deo posse gloriari. Si autem ex solis viribus naturæ posset credere etiam imperfectè, petere, vel desiderare auxilium gratiæ, vel facere quodcumque aliud opus, cuius occasione, vel intuitu Deus conferret primum auxilium præuenientis gratiæ, iam per sua naturalia (saltem absque Deo Redemptore, licet non sine Deo Creatore, qui est auctor omnium) se discerneret ab alio, cui non sunt collata eiusmodi auxilia, & posset in se ipso, & non in Deo auctore gratiæ gloriari; quia nimirum ex se fecit illud bonum opus morale, cuius intuitu Deus contulit illi auxilia præuenientis gratiæ, quæ tamen non sunt alteri collata; quia non fecit quod est in se ex facultate naturæ. Præterea id ipsum apertè significasse videtur Apostolus ad Rom. 9. cum ait: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Et subiungens humanam que

Rom. 9.

rimo-

rimoniam, & eam reijciens, ait: *Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quibus verbis concludit Apostolus, quod sicut in eadem luti massa eodem modo præparata, non præintelligitur aliqua ratio, etiam minima, cuius occasione, vel intuitu figulus faciat ex ea vnum vas in honorem, aliud in contumeliam, sed id procedit ex simplici eius voluntate, absque eo quod possit quis conqueri de figulo: ita ex duobus hominibus eodem modo per vires naturæ præparatis, Deus vnum eligit, cui pro suo mero beneplacito conferat auxilia gratiæ, & facit illud vas in honorem, alium verò non eligit; sed reprobat, & permittit, vt fiat vas in contumeliam. Ergo nullum opus supponitur ex parte liberi arbitrij, cuius intuitu Deus conferat priora auxilia præuenientis gratiæ; alias nunquam contingeret, quòd ex duobus hominibus æqualiter conantibus per vires naturæ Deus vni conferat auxilia præuenientis gratiæ, non autem alteri, quod tamen est falsum. Nam vt pluribus in locis docet sanctus Augustinus sæpissimè Deus non vocat ad fidem, sed in sua infidelitate relinquit multos intendentes bonis operibus, quantum possunt per naturam, & alios vitijs quamplurimis deditos fideles efficit, & ad gratiam salutarem eligit. Ergo. *S. August. q. 2. ad Simplic. in fin.*

VIII. Secundo probatur diffinitionibus Conciliorum, præsertim ex Concilio Arausicano 2. Canone 3. cuius verba sunt. *Si quis per inuocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, Inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui his, qui me non interrogabant.* Vbi per inuocationem humanam intelligit orationem ex solis viribus humanæ naturæ procedentem: & nomine gratiæ comprehendit quodcumque donum supernaturale, siue sit habitualis gratiæ, siue auxilium actuale. Sentit ergo, intuitu eiusdem orationis, seu inuocatio- *Concilium Arausic. Can. 3. Isaiæ 65. Rom. 10.*

nis

nis, seu inuocationis humanæ non conferri à Deo gratiam præuenientem, sed potius Deum sua gratia præuenire hominum voluntates, vt inuocetur à nobis. Et
Concilium Arausic. Canon. 4. Can. 4. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à*
Philipp. 2. *Domino; & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.*
Disp. 2. de Aux. nu 9 & 21. Damnatur in hoc Canone error Fausti Regiensis, & Cassiani, qui vt disput. 2. de auxilijs num. 9. & 21. visum est, asseruerunt, Deum expectare nostram voluntatem, & quosdam naturæ conatus à nobis exigere, vt sua gratia nos præueniat. Non ergo potest dici, quod Deus obseruet, vel expectet voluntatem nostram, aut aliquem eius conatum naturalem, vt eius occasione, vel intuitu gratiam præuenientem nobis conferat, qua purgari velimus. Sed necessario asserendum, ipsum velle purgari, procedere ex auxilijs præuenientis gratiæ, quo præparatur voluntas à Domino, quo & operatur in nobis velle, & perficere. Idem colligitur ex Ca-
Concilium Arausic. Canon. 5. non. 5. vbi diffinitur, quodcumque initium fidei, quantumuis imperfectum, *& ipsum credulitatis affectum*, procedere ex auxilio præuenientis gratiæ, ac per consequens nullum actum etiam imperfectum præcedere in nobis, cuius intuitu Deus conferat auxilium gratiæ.

IX. Clarius id videtur diffinitum aduersus Massilienses Canon. 6. eiusdem Concilij, cuius verba sunt. *Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur: aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium; nec vt obedientes, & humiles simus, ip-*
1. Corinth. 4. ibidem 15. *sius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid habes, quod nō accepisti? Et gratia Dei sum id, quod sum.* In hoc Can. sub formalibus verbis damnatur sententia Massiliēs. præsertim Fausti, & Cassian. qui, vt ex locis

indu-

inductis disput. 2. de Auxilijs num. 12. 13. 14. 24. 25. & 28. constat, asseruerunt, auxilium gratię Dei misericorditer conferri nobis prius ex facultate naturæ credentibus, quærentibus, pulsantibus, &c. Quo loquendi modo etiam vsus est Cassianus lib. 12. de institutis cœnobiorum cap. 12. Vnde & Sanctus Augustinus lib. de Dono perseuerantiæ cap. 23. & alijs pluribus in locis illum propter hoc vehementer impugnat. Vbi est obiter obseruandum, quod nomine misericordiæ Patres Concilij comprehendūt quamcumque gratiam supernaturalem, & quodcūque auxilium speciale, quod propterea nomine misericordiæ significare maluerūt; quia Massilienses, quos impetebat illa definitio, contendebant non destrui rationem gratiæ, sed gratuitam semper manere, etiam si daretur nobis prius credentibus, volentibus, desiderantibus, &c. ex sola facultate naturę. Vnde Faustus lib. 1. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. *Sed ante omnia* (inquit) *arrogantiam laboris fugiamus, nec nobis quidquam de eius meritis vindicemus.* Et Cassian. Collat. 13. c. 13. *nec ita*) inquit) *laboribus suis* (humana fragilitas) *diuinam imminuit gratiam, vt non semper gratuita perseueret.* Idem repetit cap. 16. vbi Pelagianorum repræhendit prophanam opinionem, *qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundum meritum vniuscuiusque definiunt.* Relinquitur ergo, sacrum Concilium verbis inductis excludere voluisse quemcumque liberi arbitrij conatū, cuius occasione, vel intuitu Deus conferat auxilia præuenientis gratiæ, & quodcumque initium illius, licet dicatur non esse meritorium gratię, etiam de congruo; sed solum conditionem, sine qua non, vel occasionem, vt loquitur Cassianus, qua Deus motus dona suæ gratiæ distribuit.

Cassianus.

Augus. lib. de dono perseu. ca. 23.

Misericor. nom. quid intelligat Concilium Arausic.

Faust. lib. 1. de grat. & lib. arbi. cap. 17.

Cassianus col. 13. cap. 13.

X. Eamdem prorsus doctrinam confirmat Concilium Tridentinum sess. 6. de iustificatione Canon. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quid autem per *gratiam iustificationis*, quid per illud verbum, *sicut oportet*, intelligat, tam Conc. Arausic. quam Trid. patebit infra nu. 28.

Concil. Tridentin.

Ter-

Tertio probatur conclusio auctoritate Sancti Augustini, qui inter alia ob hoc præsertim Massilienses, & Pelagianos impugnat; quia initium fidei, aut piæ operationis constituerunt in natura, quo auxilium gratiæ, vt à Deo perficiatur, consequantur, & ex eorum doctrina infert gratiam secundum merita nostra dari. Etenim lib. de Prędestinatione Sanctorum cap. 2. ait: *Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali Iudicio Palęstino, sicut eadem gesta testantur, damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quasi non pertineat ad Dei gratiam, quod credere cœpimus; sed illud potius, quod propter hoc nobis additur, vt plenius, perfectiusque credamus, ac per hoc initium fidei nostræ priores damus Deo, vt retribuatur nobis, & supplementum eius, & si quid aliud fideliter poscimus.* Et infra. *Quis autem dicat, eum, qui iam cœpit credere, ab illo, in quem credit, nihil mereri: vnde fit, vt iam merenti cætera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Et circa finem capitis. *Videte si aliud agitur isto modo, nisi, vt gratia Dei secundum nostra merita detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis; debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœpta fides aucta, neque attenditur cum hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum debitum istam mercedem credentibus imputari.*

August. de prędest. c. 2.

Fidei initium, & cuiuscũque piæ operationis ex gratia.

XI. Expendatur illud Verbum, *quolibet modo*: per illud enim excludere intendit Augustinus omnem modum meriti, siue sit de condigno, siue de congruo, siue etiam sit conditio, sine qua non, siue quodcumque aliud, cuius intuitu detur primum auxilium præuenientis gratię. Quod dixi de fide extendit Sanctus Augustinus ad obseruantiam cuiuscumque mandati, siue sit ordinis gratię, siue naturę, qualia sunt præcepta Decalogi. Contendit enim, nullum esse initium obedientiæ ex viribus naturę comparatione alicuius mandati, cuius intuitu Deus conferat auxilia pręuenientis gratię. Sic enim loquitur lib. de Bono perseuerantię cap. 17. *Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate,*

August. lib. de bono perseu. cap. 17.

citate, de perseuerantia, & ne pergam per singula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veracissimè dici potest. Est ad idem confirmandum alius insignis locus eiusdem Augustini lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. vbi ait. *Fortassis ergo ipsi eo modo saltem seruant locum gratiæ, vt sine illa putent, hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non per illam facilius posse: sed nisi per illam omnino non posse: verum etiam sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari, quod in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnare timendo, damnauit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur.* Et lib. 4. contra Iulianum cap. 6. ait. *Ibi vos, vt video, ponere iam cœpistis merita gratiam præcedentia, quòd est petere, quærere, pulsare, vt ijs meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur: tanquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit, vt beatificum bonum peteretur à Deo, vt quæreretur Deus, vt pulsaretur ad Deum, frustraque sit scriptum, Misericordia eius præueniet me.* Et lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. *Vos autem in bono opere sic putatis, adiuuari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate nihil eum credatis operari. Quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti, in malum Diaboli suggestionibus incitari? sed dixisti in bono opere à Dei gratia semper adiuuari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus in ipso iam opere diuinitus adiuuetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac sic gratia iam non sit gratia.* Et lib. 2. cap. 9. *Dicunt se confiteri, gratiam quoq; adiuuare vniuscuiusq; bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere. Hoc quippè ita dicunt, velut homo à se ipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum, studiumque virtutis, quo merito præcedente, dignus sit adiuuari, Dei gratia subsequente.*

August. lib. 4 contra Iulian. c. 6.

August. lib. 2. c. 9. contra duas Epistolas Pelag.

Ad hæc testimonia, & ad alia, quæ ex Cōcilijs addita sunt, plures, sed planè insufficientes adhibētur solutiones. Prima solutio est quòd loquuntur de opere pietatis, seu pertinentie ad pietatem. Et sensus est, hominē nullum actum pietatis, etiam inchoatum, & imperfectū posse facere ex solis viribus naturæ, quo primū auxiliū gratiæ cōsequatur: sed ad quodlibet opus pietatis præerequiritur auxiliū præuenientis gratiæ. Illa autem opera naturę bona moraliter, propter quę Deus confert auxilia prçueniētis gratiæ, nō sunt opera pietatis, nec pertinent ad pietatem. Vnde non est inconueniens, quod petentibus, credentibus, pulsantibus, desiderantibus, vel conantibus, quantū possunt, per facultatem nature, dentur auxilia præuenientis gratię. Videtur hæc solutio habere fundamentū in Sancto Augustino libro de Prædestinatione Sanctorū cap. 2. vbi explicans illud Apostoli 1. ad Corint. 3. *Nō sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiētia nostra ex Deo est*, ait: *Quod ergo ad religionē, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si nō sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobis metipsis, sed sufficiētia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobis metipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est.*

1. Solutio.

August. de prædestin. Sanct. c. 2.
3. Corint.

XIII. Cōfutatio. *Ad pietatē potest aliquod opus tripliciter pertinere.*

Hæc solutio est insufficiens, nec videtur satisfacere locis Conciliorū & S. Augustini supra inductis. Ad cuius euidentiam considerandum est, tripliciter posse aliquid pertinere ad religionem, vel pietatem. Primo ex obiecto formali; & isto modo quilibet actus, qui versatur circa obiectum formale alicuius virtutis Theologicæ, & quodlibet eius initium, vel inchoatio pertinet ad religionem, & pietatem, sicut assentiri mysteriis fidei propter diuinam reuelationem, tanquam propter rationē formalem credendi, petere, vel desiderare gratiam, qua initiatiuè, vel formaliter iustificamur, vel saluamur. Secundo potest dici, opus aliquod pertinere ad religionē, vel pietatem ex causa efficiente, vel mouente, quamuis ex obiecto, & secundum se sit merè naturale, seu pertinens ad ordinem naturæ, vt v. g. dum quis ex motione speciali Spiritus sancti manducat, vel bibit ad sustentationem

tionem proprij corporis. Tertio ex parte finis, ad quē ordinatur, vel cum quo habet aliquam connexionem, vt sustentatio proprij corporis relata in finem supernaturalem, vel quæ aliquem ordinem dicit ad consequutionem gratiæ habitualis, vel actualis, tanquam dispositio, aut motiuum, propter quod misericorditer à Deo confertur. De huiusmodi quippè, & alijs consimilibus actibus bonis loquitur Apostolus, cum dixit: *Siue manducetis, siue bibatis, siue quid aliud faciatis, omnia in gloriam Dei facite.* Etenim licet huiusmodi actus ex obiecto, & secundum se non transcendant ordinem naturæ, sed sint merè naturales, ex fine tamen, ad quem ordinantur, vel cū quo habeat aliquā annexionē, pertinēt ad religionem, ac pietatem, & aliquo modo ingrediuntur ordinem supernaturalem, & censentur ordinis gratiæ. 1. Cor. 10.

Ex ijs facile impugnatur solutio; nam actus, seu conatus naturæ, propter quos Semipelagiani asserebant, Deū misericorditer conferre auxilia præuenientis gratiæ, licet non pertineant ad religionem, seu pietatem primomodo, pertinent tamen secundū Aug. ad pietatē secūdo, vel tertio modo, & in hoc etiā sensu negabāt Massilienses actus illos naturæ ad pietatem pertinere; quia ipsi fatebantur esse merè naturales, & nasci ex vigilantia liberi arbitrij, vt manifestè constat, tum ex ipsismet eorum verbis, præsertim ex dicto illo Cassiani: *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis conspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam, vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Et infra: *Nam cum viderit nos Deus ad bonū velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat: ad vocem enim clamoris sui, statim vt audierit, respondebit tibi.* Tum etiam, quia si asseruissent, conatus illos non esse merè naturales ex parte causæ efficientis, sed procedere ex motione speciali Spiritus sancti, non fuissent propter hoc in Concilio Arausicano damnati, nec eos impugnasset Sanctus Augustinus; quia tunc primum initium nostræ salutis non constitueretur in natura: sed in auxilio præuenientis gratiæ, vnde non procederet contra Massilienses argumentum illud Sancti Augustini sæpius repetitum, quo infe- XIV. Respons. Cassianus collat. 13. cap. 8.

rebat ex eorum dictis, gratiam secundum merita nostra dari, ac per consequens non esse gratiam. Idem constat ex verbis illis Concilij Arausicani secundi: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, per solas vires naturæ absque motione speciali Spiritus sancti.* Quod magis explicat Canon. 7. cum ait: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, &c.* Vbi illud verbum, *per naturæ vigorem*, idem significat, quod per solas vires naturę. Relinquitur ergo, Sanctum Augustinum per conatus naturę pertinentes ad religionem, vel pietatem intelligere, & comprhendere quemcumque actum, etiam imperfectum moraliter bonum, & qualemcumque illius inchoationem, quæ secundo, vel tertio modo pertinet ad pietatem. Constat autem, quemlibet conatum bonum naturæ, siue sit petere, siue desiderare, &c. cuius occasione, vel intuitu Deus prima auxilia præuenientis gratiæ distribuit, pertinere ad religionem, & pietatem secundo, vel tertio modo, vt ex præmissis patet. Ergo Concilium Arausicanum, & Augustinus statuere voluerunt aduersus Massilienses, eiusmodi conatus naturæ non precedere gratiam; ita nimirum, vt gratia præueniens eorum occasione, vel intuitu donaretur à Deo. Nec enim fuit olim solum controuersia, vtrum illi conatus essent propriè loquendo meritorij præuenientis gratiæ merito condigni, vel congrui: sed etiam an præcederent gratiam; ita vt eorum occasione, vel intuitu donaretur à Deo, an verò subsequerentur primum auxilium gratiæ. Quod significasse videtur Sanctus Augustinus verbis illis superius inductis: *Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo.*

Concil. Arausic. 2. Can. 6.

Gratia præueniẽs non confertur occasione, vel intuitu alicuius boni conatus naturæ.

Augustin. lib. de prædest. cap. 2.

XV. S. Prosper.

Vnde Sanctus Prosper lib. contra Collatorem cap. 6. impugnans Cassianum asserentẽ gratiam Dei dari credentibus, petentibus, pulsantibus ex facultate naturæ, ait: *Quomodo autem non aduertis, te in illud damnatum incidere, quod, velis, nolis, conuinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid precedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? non enim nullius meriti haberi*

potest

potest petentis fides quærentis pietas, pulsantis instantia, præcipue cum omnes eiusmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur. Quibus verbis Cassian. ex dictis eius conuincit, gratiam secundum merita nostra dari, quantumuis ipse Cassianus contenderit locis superius allegatis, *gratuitam semper ipsam gratiam perseuerare.* Ergo solutio assignata non videtur temperare propositionem à Cõcilio Arausicano, & S. Augustino damnatam.

Confirmatur hoc; nam, vt sequenti cap. patebit, fundamenta potissima, quibus Massilienses conuicti introducere contra doctrinam S. Augustini conabantur sententiam, quæ asserit: *Facientibus, quod in se est, ex viribus naturæ dari auxilia præuenientis gratiæ,* eò tendebant, vt probarent ex opposita sententia sequi, Deum vim inferre libero arbitrio, esseque acceptorem personarum, frustra esse correptiones, exhortationes, & comminationes, si nullo habito respectu ad præcedentem bonum vsum, vel conatum liberi arbitrij, pro suo mero beneplacito distribueret dona præuenientis gratiæ. Hæc autem inconuenientia arbitrabantur non aliter posse euitari, nisi aliquod initium gratiæ, qualecumq; illud sit, constitueretur in natura. Etenim si semel statuatur, liberum arbitrium incipere libertate sua bene vti, quærendo, petendo, pulsando, &c. & illo bono vsu gratiam præuenientem comparare, hac via putabant, quod lib. arb. iam nullam vim ab ipsa gratia pateretur, sed potius ipsa gratia penderet ex aliquo bono vsu libertatis humanæ. Item etiam posito ex nobis aliquali initio gratiæ, iam posset assignari aliqua ratio ex parte nostra, propter quam vni daretur gratia præueniens potius quam alteri, ac per consequens in distributione præuenientis gratiæ nulla videretur esse suspicio acceptionis personarum, quæ non contingit, cum ex rationabili causa vnus præfertur alteri. Deniq; admissa hac sentẽtia, vt existimabant Massil. daretur locus correptionib⁹, exhortationib⁹, & cõminationib⁹, quibus inducerẽtur homines ad conatus illos præcedẽtes gratiã, ad petendũ, quærẽdũ, pulsandũ, vt gratiã sibi cõpararẽt; nam hoc pacto, & conatus ipsi, ac per consequens gratia, quæ huiusmodi conatibus acquiritur, esset constituta XVI.

in

in eorum potestate. Hæc autem omnia æquè ipsi defendere possent, si semel concederetur illis aliquod initiũ boni operis, quo obtinerent à Deo auxilia præuenientis gratiæ, etiam si diceretur, illud initium nõ esse opus pietatis primo modo ex superius explicatis, neque esse meritorium gratiæ de condigno, vel de congruo, sed solum occasionem, vel motiuum, cuius intuitu Deus conferret auxilia præuenientis gratiæ. Signum ergo est, hoc, & nihil amplius intendisse Massilienses in propositione illa à Concilio Arausicano, & Sancto Augustino reprobata.

2. Solutio. Secunda solutio est, Concilium, & Sanctum Augustinum loqui de credentibus, quærentibus, pulsantibus *prout oportet ad salutem, vel iustificationis gratiam consequendam*. Nam Massilienses contendebant, gratiam iustificantem dari immediatè credentibus, quærentibus, pulsantibus ex facultate naturæ, quod tamen non asserunt auctores primæ sententiæ. Sed hæc solutio cum alijs inferius erit impugnanda, *inter respondendũ ad quartum argumentum Massiliensium*.

XVII. Tertio probatur conclusio ratione Theologica. Si Deus in tempore præbet auxilia præuenientis gratiæ petentibus, quærẽtibus, pulsantibus, & facientibus, quod in se est, ex solis viribus naturæ, aut propter alium bonum vsum liberi arbitrij: ergo ab æterno prædestinauit, & præordinauit, se daturum illis gratiam propter eundem bonum vsum liberi arbitrij. Nihil enim Deus facit in tempore, quod ab æterno non præordinauerit se esse facturum: Ergo prædestinatio ad gratiam esset dependens ex præuisis meritis, vel operibus naturæ; ac perconsequens nõ reduceretur in meram, & gratuitam Dei voluntatem, quod tamen nullus Catholicus potest admittere. Hanc rationem prosequitur Sanctus Augustinus contra Massilienses lib. de Bono perseuerantiæ cap. 17.

August. lib. de bono perseuerãtia cap. 17

Quarto probatur. Initium gratiæ non est ex nobis, vt constat ex Concilio Tridentino sess. 6. de iustificatione cap. 5. vbi declarat, *Ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existen-*

Concil. Trident.

existentibus meritis vocantur. Sed petere, desiderare gratiam, vel quilibet alius conatus arbitrij, cuius intuitu, vel occasione Deus auxilia præuenientis gratiæ conferat, est re vera aliquod initium gratiæ, vt expressè fatetur Sanctus Augustinus lib. de Correpṫ. & gratia cap. 1. vbi ait: *Quis autem confugit ad gratiam, nisi cum à Domino gressus hominis diriguntur, vt viam eius velit, ac per hoc & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est, de quo ait ille Et dixi nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi*. Ergo, &c.

Augus. lib. de correpṫ. & grat. c. 1

Psalm. 76.

Psalm. 37.

XVIII.

Quinto. Illud, cuius intuitu datur gratia præueniens, aliquo modo conducit, disponit, ac præparat hominem ad susceptionem illius; alias nulla haberetur ratio eius in collatione gratiæ: sed omnis dispositio, etiam remota ad formam, est efficienter ab agente producente formam, & est eiusdem ordinis cum illa: Ergo si intuitu alicuius operis liberi arbitrij confertur gratia, oportet, quod illud opus pendeat efficienter à Deo auctore gratiæ, & sit eiusdem ordinis cum gratia. Non ergo potest procedere ex solis viribus naturæ: Ergo impossibile est, quod primum auxilium gratiæ detur intuitu alicuius operis naturæ.

XIX.

Secunda conclusio. Non potest dici, esse aliquam legem à Deo statutam conferendi auxilia præuenientis gratiæ facientibus, quod in se est, ex facultate naturæ, ita nimirum, vt occasione, vel intuitu alicuius operis naturæ deutur ex certa lege auxilia prę̨uenientis gratię. Hanc conclusionem defendi disp. 56. de auxilijs, & eam probant à fortiori argumenta facta in confirmationem præcedentis. Si enim Deus numquam confert auxilia prę̨uenientis gratię occasione, vel intuitu alicuius operis naturę facientibus, quod in se est, per naturales vires arbitrij, vt ex præmissis constat, multò minus affirmari potest, Deum statuisse certam legē conferendi facientibus, quod in se est, per vires naturæ auxilia prę̨uenientis gratię.

Nulla lex est conferendi auxilia gratiæ facientibus quod in se est ex sola facultate naturæ.

Præterea probatur ex Apostolo ad Rom. 4. *Ei autē, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Et cap. 11. *Si autem ex operibus, ergo gratia iam non est gratia*. Vbi Apostolus concludit,

Roman. 4.

cludit, destrui rationem gratiæ, si detur ex operibus, hoc est, ex meritis, vel occasione, aut intuitu alicuius operis naturæ, quod generali ratione, vt supra dictum est, clauditur nomine meriti.

XIX. Nec satis est respondere, illam legem factam fuisse à Patre cum filio propter merita passionis eius, non autem intuitu præuisi boni operis naturæ. Contra hoc enim est, quod Christus non ordinauit sua merita, vt talis lex fieret, imo talis lex non potuit cadere sub meritis Christi; alias meruisset, quod eius gratia non esset gratia, nec daretur gratis; sed redderetur tanquam debita ex lege statuta facientibus, quod in se est, ex facultate naturæ.

S. Prosper libro 1. de vocat gentium sanct. cap. 9. Confirmantur hæc omnia auctoritate S. Prosperi lib. 1. de Vocatione Gentium cap. 9. *Manet* (inquit) *prorsus, & quotidiè impletur, quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donauit.* Quibus verbis apertè videtur excludere prædictam legem; alias illa promissio facta Abrahæ, *In nomine tuo benedicentur omnes gentes*, esset conditionata. *Genes. 22.*

XX. Tertia Conclusio. Concedi non potest, quod idem conatus creati arbitrij ex solis viribus naturalibus eius procedens perficiatur, & adiuuetur per gratiam; vt idem actus solis viribus naturæ cœptus fiat supernaturalis, & qualis ad salutem oportet. Probatur rationibus factis pro conclusionibus præcedentibus, & præterea quoniam similem assertionem sæpè damnauit in Pelagianis Augustinus, præsertim lib. 1. contras duas Epistolas Pelagian. cap. 19. cuius verba superius sunt adducta. Etenim istæ duæ propositiones sunt æquiualentes, videlicet, sua voluntate nulla Dei gratia bonum opus aggressus in ipsomet opere infallibiliter addiuuatur, & ista: Facienti totum, quod in se est, ex viribus naturæ, petendo, quærendo, pulsando, &c. Deus infallibiliter confert auxilia præuenientis gratiæ; vt sic illo eodem conatu eliceret dispositionem supernaturalem ad gratiam. Sed primam damnauit Augustinus in Pelagianis verbis superius inductis: Ergo secunda admitti non potest.

Secundo probatur. Sequeretur ex opposita sententia,

gra-

gratiam esse pedissequam humanæ voluntatis, quod in Pelagianis sæpe reprehendit Augustinus. Nam si prius est hominem facere, quod in se est, ex solis viribus naturæ, quam Deum conferre illi præuenientem gratiam, qua id, prout oportet, ad salutem exequatur: Ergo gratia præueniens est pedissequa, & subsequitur ad opera naturæ, & ad voluntatem facientis quod in se est. Ex quo rursus sequeretur, gratiæ adiutorium subiungi voluntati, & obedientiæ humanæ, cuius oppositum definitum est in Concilio Arausicano Canone 6.

Respondent, gratiam esse pedissequam, non est, liberum arbitrium prius, gratiam posterius natura influere in opus supernaturale: sed est, liberum arbitrium, prius quam vllum gratiæ auxilium acceperit, per suas vires posse facere opus bonum, aut saltem habere bonum propositum, per quod donum fidei, vel gratiam iustificationis mereatur. Itaque, vt gratia dicatur pedissequa, requiritur, vt liberum arbitrium suis viribus faciat, aut velit aliquid sine gratiæ auxilio, cuius volitionis, vel operis merito gratiā obtineat, qua vel credere possit, vel iustificari. De hac enim gratia loquuntur Patres. Denique humanæ obedientiæ subiungere gratiæ adiutorium, non est, gratiæ vsum, & influxum in opus esse subiectum libertati arbitrij: sed est mereri, & impetrare auxilium gratiæ per obedientiam solis naturæ viribus præstitam; ita vt prius re ipsa sit obedire, vel proponere obedire Deo, quam habere auxilium gratiæ. XXI. *Lessius c. 10. cit. nu. 2.*

Hæc solutio facile impugnatur ex dictis disputat. 2. de Auxilijs num. 15. 25. & 26. Vbi ostensum est, Massilienses, qui & Semipelagiani dicuntur, etiam asseruisse, opera naturę, quorum intuitu conferebatur primum auxilium gratiæ, non esse meritoria eiusdem gratiæ: sed semper gratuitam perseuerare. Quod etiam innuit Concilium Arausicanum Canon. 6. cum ait: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri,* &c. *misericordiam,* inquit, quo nomine significauit, Semipelagianos dixisse adiutorium gratiæ conferri credentibus, petentibus, &c. non quidem ex debito, tanquam merces pro merito: sed ex gratia, & misericordia Dei: nihi-

hominus quoniam asseruerunt, intuitu operum naturæ conferri à Deo infallibiliter adiutorium gratiæ, conuincuntur sensisse, gratiam secundum merita nostra dari, vt contra Collatorem arguit Sanctus Prosper cap. 6. cuius verba superius adduxi. Præterea impugnatur eadem solutio. Nam gratiam esse pedissequam, nihil aliud est, quam subsequi ad opera naturæ: ergo si prima gratia actualis subsequitur ad opera naturæ facta humana voluntate, talis gratia erit eiusdem voluntatis pedissequa, & non præuia.

XXII. Quarta Conclusio. Etiam admitti non potest illa propositio, quod nisi præcedant opera naturę modo superius explicato, Deus præuenientem gratiam conferre non solet. Probatur ex dictis. Nam gratia præueniens non dependet ex operibus naturę, nec datur à Deo intuitu eorumdem operum: Ergo etiam si non præcedant, consueuit Deus eandem gratiam præuenientem conferre.

Confirmatur. Multoties Deus etiam repugnantes, & non facientes, quod in se est, ex solis viribus naturæ pręuenit sua gratia excitante, vt sæpe docet Augustinus. Præterea Cassianus solum asseruit, quod interdum Deus exigit, vel expectat conatus naturæ, vt sua gratia hominem pręueniat, vt patet Collat. 13. cap. 13. Vbi ait: *Et ita semper gratia Dei in bonam partem cooperatur arbitrio atque in omnibus illud adiuuat, protegit, ac defendit, vt nonnũquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis, vel exigat, vel expectet: ne penitus dormienti, aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur: occasiones quodam modo quęrens, quibus humanæ segnities torpore discusso non irrationabilis munificentia sua largitas videatur.* Et idem dicit, & explicat alijs verbis, quę refert S. Prosper contra Collatorem cap. 8. Vbi ait: *Et nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Deo dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possunt. Nonnunquam,* inquit, *non semper.* Et tamen Sanctus Prosper cap. 8. & duobus præcedentibus acriter Cassianum reprehendit, quod dixerit, *interdum, vel nonnũquam* bonarum voluntatum prodire principia, quæ per gratiam dirigantur, &c.

tur,&c. ostendens per illius positionem, gratiam secundū merita nostra dari. Multo ergo magis illum impugnasset, si dixisset, quòd Deus non consueuit adiutorium gratiæ hominibus conferre, nisi prius faciant quod in se est, ex solis viribus naturæ. Hęc autem omnia patebunt amplius ex solutionibus argumentorum.

CAPVT VI.

Argumenta Masilienſium contra præmiſſa ex Sancto Proſpero, & Hilario deſumpta, & earum ſolutio ex doctrina Sancti Auguſtini.



RIMA obiectio est. Si nihil præcedit ex parte nostri liberi arbitrij, quod faciendo totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ, primam vocationem possit sua diligentia, & industria impetrare, & obtinere à Deo, vt benè illa gratia vtendo obtineat alia dona, sine quibus homo saluari non possit, sequeretur, quod non sit in potestate hominis eius salus: sed solum in potestate Dei, qui gratiam præuenientem pro suo mero beneplacito absque consideratione alicuius laboris, aut operis præcedentis tribuit, quibus vult, & quando vult. Hoc autèm non est dicendum: Ergo asserendum est, labori humano, voluntati, aut orationi humanę subiungi præuenientē gratiam, quæ conatus liberi arbitrij foueat, ad perfectionemq; perducat. Hoc fuisse potissimum Semipelagianorum argumentum fatetur Pater Suarez 1. p. lib. 2. de causa prædestinat. cap. 6. num. 4. vbi sic ait: *Post victam Pelagium insurrexerunt in Gallia contra Augustinum multi viri Catholici, inter quos præcipue fuerunt Cassianus, & Faustus, qui contra Pelagium fatebantur gratiam Dei esse necessariam ad opera sanctitatis præstanda, & gloriam promerendam, & obtinendam dispositio-*

I. Prima Obiectio.

Suarez.

nem conuenientem ad remissionem peccati, aliquod tamen initium salutis reseruatur libero arbitrio, vt propria salus sit in potestate hominis constituta. Et ideo dicebant, necessarium esse, vt homo incipiat per aliquem bonum motum, quem Deus postea promoueat, & perficiat. Et ita in hoc bono motu constituebant primā causam salutis ex parte nostra, eamque dicebant esse meritum omnis gratiæ supernaturalis. Idem argumentum multis prosequitur, & confirmare nititur Faustus lib. 1. de libero arbitrio cap. 9. & 10. præsertim ex illo Deuter. 30. *Posui ante faciem tuam vitam, & mortem; bonum, & malum, elige vitam, vt viuas.* Et 2. ad Timot. 2. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.*

Respons. Salus qualiter sit constituta in manu naturæ, & lapsæ

Respondetur, quod in natura integra salus erat cōstituta in manu hominis; quia per iustitiam originalem, per gratiam habitualem, & virtutes infusas habebat in se ipso vnde posset pie operari, perseuerare vsque in finem, si vellet, & saluari: sed hanc potestatem primus parens, & nos in illo amisimus per originale peccatum, secundum illud, quod dicit S. Augustinus epistola 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Hanc autem potestatem in natura lapsa nemo habet, nisi per gratiam Domini nostri Iesu Christi. Dicit enim Sanctus Ambrosius. *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quod omnis qui humiliter, & veraciter pius est, esse verissimum sentit:* ex quo testimonio S. Augustinus lib. de Dono perseuerantiæ cap. 8. sic concludit. *Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filij Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem; ad quod bonum sumendum, & tenendum, & in eo perseueranter vsque in finem proficiendum, non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobis metipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est, in cuius est potestate cor nostrum, & cogitationes nostræ.* Idem dicit cap. 13. bis repetens locum præallegatum Ambrosij, & lib. 1. retractat. cap. 9. explicans illud Apostoli: *Velle adiacet mihi, ait, quod homo non habet in potestate, vt bonus sit.* Et lib. 2. cap. 1. sub-

S. August. Epist. 107.

Ambr. lib. de fuga sæculi cap. 1.

S. Aug lib. de Dono perseuer. cap. 8.

1. Cor. 3

S. Augustinus lib. retract. cap 9

Rom. 7.

subdit: *Hanc ad bene viuendum desuper accipimus potestatem, cum preparatur voluntas a Domino.* Et libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. explicans illud. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini: *Hoc (inquit) non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant; quæ præcepit, non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit: alioquin, vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ.* Quia ergo per gratiam Dei, quam ex parte sua paratus est omnibus conferre, potest quilibet homo, dũ est in via, conuerti ad Deũ, & saluari; ideo per liberũ arbitriũ hominis stat quod nõ cõuertatur, & saluus fiat. Licet enim suis viribus nihil possit facere, quo gratiã præuenientẽ acquirat: potest tamen per se ipsũ peccando impedimentũ præstare, ne sibi à Deo donet; quia (vt 1.2. q.112.ar.3.ad 2.dicit S.Tho.) *Defect⁹ gratiæ prima causa est ex nobis; collationis gratiæ prima causa est à Deo, secũdũ illud Oseæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantũmodo in me auxiliũ tuũ.* De quo vidẽdus est S.Doctor 2.2.q.2.ar.5.ad 1.& 3.Cont.gen. cap.159.& 160.& ibi Ferrariensis.

S. Aug. lib. de præd. Sanctorum cap. 10.
Rom. 4.
Promissiones Dei firmitas fundatur in potestate promittentis.
S.Thom. 1.2.qu.112. ar 3 ad 2.
Oseæ 13.
S.Tho 2.2. q.2. art.5. ad 1. & 3. cont gent. cap.159. & 160.

II.
2. Obiect. Fausti.

Secũda obiectio. Si De⁹ gratiã præuenientẽ distribuit pro suo mero beneplacito nullo habito respectu, aut cõsideratione humani laboris præcedẽtis, sequeretur ipsũ vti iure dominantis, & quasi tyranni, qui prout libet dona sua tribuit; nõ autẽ vt ordine regẽtis, qui iuxta cuius uis dispositionẽ dona distribuit. Hęc obiectio fuit Achilles Fausti Regien. cont. doct. S.Aug. Nã lib.2.de grat.& lib.arb. c.6.explicãs Faust. illud Apost. *Sed ex vocãte dicitur est &c. His verbis* (inquit) *hoc vult intelligi gẽtilitiæ persuasionis impietas, q. De⁹ abſq, vllo inter bonũ, et malũ moderationis examine nõ ordine regẽtis, sed iure dominationis illũ affectu dignũ reddat, hũc odio; illum recipiat studio; hũc excludat imperio; & inter duos peractos, nulla cõsideratio laboris, nulla deuotionis habeatur: sed vnus sine rõne cęſsãtibus officijs assumat, alter sine discretione damnatur; &c.*

Rom 9.
Faustus.

Re-

Responsio ad 2. obiectionem.

Respondetur, Deum in distributione gratiæ, vti quidem iure dominantis; quia dominus *vniuersorum est*, vt dicitur Ester 13. non autem vti iure quasi tyranni, aut Principis iniusti; quia (vt patebit infra) in gratuitis non habet locum iniustitia, vel personarum acceptio. Accedit, quod Deus pro loco, & tempore auxiliũ sufficiens hominibus tribuit misericorditer, quo possint bene operari, si velint; ex culpa autem hominis prouenit, quod non pie operetur. Vnde non in Deum, sed in defectum arbitrij creati referendum est, quòd homines pereant.

III. *Tertia obiectio Fausti.*

Tertia obiectio. Per doctrinam, quæ asserit, quod ex mera Dei voluntate ante omnem præscientiam humani laboris vnus eligitur à Deo, & confertur ei gratia præueniens, alius reijcitur, inducuntur homines in quandam desperationem: nam si prædefinitio Dei habet, quod isti dentur auxilia gratiæ, non illi; impossibile est, vt ille, cui nõ est prædestinata gratia, eam obtineat; quia decretum Dei est immutabile. Hoc argumentum tangit idem Faustus lib. 1. de Gratia, & libero arbitrio cap. 4. cum ait: *Quid enim vltra speret, quem iam gratia suũ fecit? in quo è contrario non desperet, quem prædefinitio violenta damnauit? in hoc culpa, in illo gratia locum non habet.* Et infra. *Si vnus ad vitam, alter ad perditionem, vt asserunt, deputatus est, sicut quidam Sanctorum dixit, non iudicandi nascimur; sed iudicati.* Idem argumentum Massiliensium refert Sanctus Prosper Epistola ad Sanctum Augustinum, versiculo: *Hoc autem propositum vocationis Dei, &c.* cuius verba adducenda sunt infra. Et S. Hilarius scribens ad Augustinum, postquam eius circa prædestinationem gratuitam retulit sententiam, *His (inquit) verbis sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicunt quandam desperationem hominibus exhiberi.*

S. Prosper, & S. Hilar. Epist. ad August.

Respons. ad 3 obiect.

Ex prædest. & reprobation. ante præuisa merita non inducuntur homines in desperationem.

Respondetur, quod vt disput. 110. de Auxilijs ad vltimum argumentum ostendimus, & patebit amplius cap. 14. & 18. ex gratuita prædestinatione ad gratiam, vel ad gloriam, non inducuntur homines in desperationem aliquam; sed potius excitantur, & monentur, vt spem suam non in libero arbitrio humano, quod est defectibile,

bile, sed in Deo constituant, & cum timore, & tremore, iuxta verbum Apostoli, suam operentur salutem.

Quarta obiectio. Si gratia prædestinatorum ex sola voluntate Dei donatur, nullo habito respectu ad opera præcedentia, quæ ex vigilantia, & industria liberi arbitrij procedunt, sequeretur frustra esse orationes, frustra exhortationes, & increpationes, quibus homines inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo. Nam si Deus absoluta voluntate ante præuisum omnem laborem humanũ præordinauit ex suo beneplacito, quibus esset daturus quibus non esset daturus dona gratiæ, fieri non potest hominum orationibus, exhortationibus, aut correptionibus, vel alia humana diligentia, vt decretum illud immutetur, aut consequantur gratiam, qui ad illam prædestinati non sunt. Hoc etiam argumentum referunt Sanctus Prosper, & S. Hilarius locis superius allegatis. Et illud latius prosequitur Faustus lib. 1. c. 4. citato. Vbi ait: *Sed dicis: Ideo orare debet, quia ex qua parte sit nescit. Quis non putet rationabiliter, & sapienter fuisse responsum? Sed quid orare homini proderit in vna harum duarum conditione omnimodis constituto? Nam & si ad quam partem fuerit deputatus, ignorat vtramque tamen partem defixam esse, & immutabilem non ignorat. Quid refert, si nondum nouerit locum suum qui definitissimè nouit; quia nullum iam recipiat, vel dextera periculum, vel sinistra profectum.* IV. *4. Obiectio Fausti.*

Respondetur, quod quamuis decretum Dei absolutũ sit immutabile; nihilominus non fiunt frustra orationes, exhortationes, & correptiones, quibus homines inducuntur, vt declinent à malo, & faciant bonum. Non enim hæc media adhibentur, vt decretum Dei absolutum immutetur, aut fiat irritum; sed vt per easdem orationes, exhortationes, & correptiones affectum charitatis, quem indifferenter erga omnes vnusquisque habere debet, ostendat, & vt per hæc erudiantur electi, & inexcusabiles iniqui reddantur. Legatur Sanctus Augustinus toto libro de Correptione, & gratia, in quo hanc obiectionem Massiliensium dissoluere intendit, sed præsertim cap. 13. vbi nostram solutionem confirmans, inquit. *Patiantur ergo homines se corripi, quando peccant,* *Respons. ad 4. obiect.* *Orationes & corrept. nõ sunt frustra, etiam si decretũ Dei sit immutabile.* *S. Aug. lib. de correpti. & gratia cap. 13.*

eant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem; quia & peccatis iusta pœna debetur, & ad istam pertinet iusta correptio, qua medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est, vt si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet, sit correptio pœnale tormentum. Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cuius exitus ignoratur, & pro illo, cui adhibetur, orandum est, vt sanetur: & cap. 15. eiusdem libri alia multa prosequitur, quibus hæc nostra solutio magis illustratur.

V. 5. Obiect. Fausti. Quinta obiectio. Per absolutam electionem ad gratiam ante omnem laborem humanum præuisum destruitur libertas nostri arbitrij, & inducitur fatalis necessitas; quia homo non potest quidquam facere contra illam Dei prædestinationem absolutam, neque vlla negligentia electus potest excidere, aut reiectus potest in numerum electorum intrare. Hanc etiam obiectionem prosequitur Faustus toto illo cap. 4. Vbi inter alia, quæ videnda sunt, inquit: *Quomodo, si sub prælato mentiti eius habitu subito hostis appareat, aut si se inimici dolosa subtilitas transfiguret in Angelum lucis: ita sub pietatis fronte gentilitatis malum, & intra gratiæ vocabulum absconditum erit fatale decretũ. Si ergo vnus ad vitam, alter ad perditionem (vt asserunt) deputatus est (sicut quidam Sanctorum dixit) non iudicandi nascimur, sed iudicati. Neque vlla sibi iuxta hæc poterit æquitas constare iudicij. Nam si nihil Deus famulo dedit, à famulo quid reposcit?*

Confirmabant hoc; nam eadem doctrina electis est occasio teporis, & lapsis curam adimit resurgendi. Refert hoc argumentum nomine Massilienſium Sanctus Prosper epistola ad Sanctum Augustinum cum ait: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reiciendorum dicitur facta discretio, vt secundum, quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, vel lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre, eo quod in*

utram-

vtramque partem superstitis labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint non posse aliud erga eos, quam Deus definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.

Respondetur hanc argumentationem solum concludere, quod liberum arbitrium creatum non sit primum liberum simpliciter independens ab alio, tanquam à primo mouente, non solum in essendo; sed etiam in operando: hoc enim est proprium solius Dei. Per decretum autem absolutum, quo Deus ante omnem humanum laborem præuisum statuit quibusdam auxilia præuenientis gratiæ tribuere, non autem alijs, fatalis necessitas non inducitur: quia licet non possit homo quidquam facere contra decretum Dei efficax, & absolutum; potest tamen facere, & non facere, vel ex se ipso, vel ex auxilio gratiæ, quodcumque bonum sibi propositum; *quod quidem auxilium, quibuscumque diuinitus datur, misericorditer datur, quibus autē non datur, iustè nō datur in pœnā præcedentis peccati*, vt ex S. Aug. lib. de Corrept. & gratia cap. 5. & 6. docet S. Thomas. Videantur circa istam solutionem, quæ diximus in lib. de Auxilijs præsertim disp. 22. 23. 25. 115. & 116. vbi latissime ostendimus, qualiter cum efficacitate diuini decreti, & cum necessitate præuenientis gratiæ salua semper consistat nostri libertas arbitrij.

Respons. Ad quintā Obiect.

S. Thom. 1. 2 qu. 2. art. 5 ad. 1.

Ad confirmationem, qua etiam quidam Theologi moderni, (vt patebit infra) probare nituntur prædestinationem absolutam ad gloriam pendere ex præuisis meritis gratiæ, respondetur, non sequi ex nostra sententia, quod detur electis occasio teporis, aut lapsis curam adimat resurgendi, sicut id non sequitur ex gratuita prædestinatione ad gloriam ante præuisa merita gratiæ. Id quod ex professo manifestum fiet cap. 18. vbi eadem obiectio latius proponenda est, & soluenda; Faciunt

Teporis occasio non datur hominibus per gratuitam prædestinationem.

ciunt enim in illa magnam vim auctores, qui sentiunt, prædestinationem absolutam ad gloriã factam fuisse in signo rationis post prçuisa merita gratię, & non antea. Sed quam sit infirma hæc obiectio c. 18. allegato parebit.

VI. *Sexta obiectio Lesiij lib. de gratia efficaci cap. 10. num. 4.* Concil. Trident.

Sexta obiectio. Quamuis liberũ arbitriũ circa supernaturalia nihil possit conari ex solis viribus naturæ eo modo, *sicut oportet*, id est conatu, & actu, tam perfecto, & sancto, vt gratia iustificationis ei conferatur, vt definit Concilium Tridentinum sess. 6. Canon 3. aut etiam fides ei infundatur, nihil tamen vetat quin possit conari actu imperfecto, & insufficienti: Sed nullum apparet inconueniens, si quis dicat, Deũ *Se huic cõatui inserere, & inspirare auxilium præueniens*, quo possit perfectius conari, quam per vires naturæ ante conabatur: Ergo. Maior probatur. Homines auditis hæresibus absurdissimis possunt velle eas perpendere, examinare, & credere solis naturæ viribus. Ergo audita prædicatione Euangelica summa probabilitate per omnes fidei notas proposita possunt decernere apud se illam perpendere, & vbi perpenderint fide quadam humana credere. Item etiam proposita per Alcoranum falsa beatitudine in rebus infimis constituta possunt illam optare, & à Deo petere: Ergo proposita vera beatitudine, quæ in clara Dei visione consistit, poterunt ex solis viribus naturæ eam optare, & concipere maximum desiderium tanti boni, & petere à Deo ad illud perduci. Non enim quia bonum aliquod supernaturale est, ideo viribus naturæ appeti nequit: imò eò facilius, & ardentius appetitur, si putetur aliqua ratione posse obtineri, quia quò supernaturalius, eò est excellentius: quò autem excellentius est, eò magis aptum est allicere ad se voluntatem. Minor probatur. Deus sæpissimè inspirat auxilium præueniens non facientibus, quod in se est, nihil conantibus circa obiecta supernaturalia, imò & resistentibus, & omnia contraria meditantibus: Ergo à fortiori id faciet in conantes, quantum in se est; cum in his non solum non inueniat repugnantiam; sed etiam quandam ad gratiam subordinationem, etsi non dispositionem.

VII. Respons.

Respondetur, quod neque actu perfecto, neque imperfecto, & inchoato potest liberum arbitrium conari

circa

circa supernaturalia absque auxilio præuenientis gratiæ, ita vt eiusdem conatus occasione, vel intuitu auxilia præuenientis gratię conferantur, vt ex præmissis patet. Neque ex Canone 3. Sess. 6. Concilij Tridentini colligitur oppositum; quia (vt patebit infra) per gratiam iustificationis non intelligit dumtaxat gratiam formaliter iustificantem, scilicet gratiam habitualem; sed etiam illam gratiam, quę dispositiue, vel initiatiue iustificat; nimirum totam seriem auxiliorum, seu donorum supernaturalium, quibus Deus adiuuat hominem, vt proxime, vel remote ad iustificationem disponatur. Vnde illud verbum, *sicut oportet*, non est coarctandum ad gratiam habitualem; ita vt sensus sit, sicut oportet, vt gratia formaliter iustificans absque alia noua dispositione infundantur immediate, sicut infunditur elicienti actum contritionis, & charitatis, sed extendendum est ad quamlibet aliam gratiam supernaturalem. Et significare voluit Concilium, neminem posse ex solis viribus naturæ, sperare, diligere aut pœnitere, sicut oportet, vt donum gratiæ, siue habitualis, siue auxilij actualis consequatur. Sic enim intelligendum est Concilium secundum Arausicanum Canon. 6. Vnde locus ille Concilij potius facit pro nobis. Igitur ad argumentum in forma, neganda est maior. Ad probationem dicendũ, quod malum est ex nobis: bonum est ex Deo, secundum illud Oseæ. *Malum tuum Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Vnde, & S. Prosper lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 26. ait, quod liberum arbitrium *de sua habet mutabilitate, si deficit; de gratia opitulatione, si proficit.* Assentiri autem hæresibus est opus malum, & peccatum. Vnde talis assensus potest esse in nobis ex nobis, absque speciali auxilio gratiæ; nam ad peccatum sufficit liberum arbitrium, quod (vt docent communiter Sancti Doctores) *ex eo peccabile est, quia ex nihilo factum est.* Cæterum expendere mysteria fidei, vt credantur, & illis assentiri, tanquã reuelatis a Deo, seu propter diuinã reuelationẽ, quæ est ratio formalis fidei Christianæ, est actus bonus, dicens aliquem ordinem ad gratiam. Vnde non potest esse ex nobis; sed ad illum necessario prærequiritur speciale auxilium præuenientis gratiæ.

Concil. Trident.

Gratiæ iustificationis nomine quid intelligit Concil. Trid.

Concil. 2. Arausic.

Oseæ 13. S. Prosper.

Aug. lib. 2. de vitijs, & concup. c. 28 lib. 1. de Ciu. Dei cap. 1. S. Thom. in 2 d. 34. q. 1. art. 3. ad 4. Dãn lib. 2. fidei orthodoxæ c. 27.

Fatemur tamen, posse hominem ex viribus naturæ expendere, & sibi propositis mysterijs fidei assentiri assensu quodam opinatiuo, non quidem propter diuinam reuelationem, sed propter aliud motiuum, aut rationē humanam, sicut assentitur hęreticus, vt docent communiter Doctores, præsertim S. Thom. 2. 2. quæst. 5. art. 2. & 3. Hoc.n. modo etiam *Dæmones credunt, & contremiscunt*, vt dicitur Iacobi 2. Sed tamen eiusmodi credulitais, seu assensus opinatiuus nullam connexionem habet cum auxilijs præuenientis gratiæ, neque eius occasione, vel intuitu conferuntur à Deo sic credentibus.

S. Thom.

VIII. *Beatitudo falsa appeti potest ex solis virib. naturæ, nō autem beatitudo vera.*

Idem dicendum proportionabiliter ad id, quod obijcitur de falsa beatitudine proposita per Alchoranum. Ex eo enim, quòd possit homo ex viribus naturæ illam appetere, & desiderare, non sequitur, quod eisdem viribus possit veram beatitudinem, quæ in donis consistit supernaturalibus gratiæ, & gloriæ, petere, vel desiderare absque speciali auxilio præuenientis gratiæ. Ad minorem eiusdem argumenti dicendum, magna inconueniencia sequi ex eo, quòd asseratur, Deum per gratiam præuenientem se inserere conatibus naturæ, vt eos ad perfectionem perducat. Hoc enim est potissimū, quod Massilienses aduersus doctrinam S. Augustini contendebant, vt refert S. Prosper epistola ad eundem Aug. cum ait: *Consequens putāt, vt qui præuaricatur, ideo dicitur non obedisse; quia noluit: fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus obedisse; quia voluit, & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere, quem bona appetentem gratia Dei foueat, mala sectantem damnatio iusta suscipiat*. Fouere autem appetitum bonis, & alios conatus naturæ, idem est, quod gratia pręueniēte eos acuere, & magis excitare, vt perfectiores fiāt. Hoc enim est, quod Faustus cap. 4. allegato in principio ait: *Totum planè gratiæ est, sed omnibus eam offert & ingerit ad salutem omnium conditor, & redemptor*. Nā per verbū, *ingerit* significare videt gratiā præuenientē se *inserere*, quęrentibus, pulsantibus, & facientibus, quod in se est, ex solis viribus naturæ. Vnde S. Tho. quodlibeti art. 7. in corp. referens Pelag. & Massilien. errorē ait:

S. Prosper Epistol. ad Augustin.

Fouere Deum opera naturæ dixerūt Massilienses.

S. Tho quodlib 1. art 7. in corp.

Pela-

Pelagiani asseruerunt, quòd homo poterat per liberum arbitrium implere legem & vitam aeternam mereri, neque indigebat auxilio diuino, nisi quantum ad hoc, quod sciret, quid facere deberet, secundum illud Psalmi 142. Doce me facere voluntatem tuam: sed quia hoc nimis parum videbatur, vt solam scientiam haberemus à Deo. Charitatem autem, qua praecepta legis adimplentur, haberemus à nobis: ideo postmodum Pelagiani posuerunt, quod initium boni operis est homini ex se ipso, dum consentit fidei per liberum arbitrium: sed consumatio est homini à Deo. Praeparatio autem ad initium boni operis pertinet. Vnde ad errorem Pelagianorum pertinet dicere, quod homo possit se ad gratiam praeparare absque auxilio diuinae gratiae, & est contra Apostolum, qui dicit ad Philippenses 1. Qui coepit in vobis opus bonum, ipse perficiet. Et 1. par. q. 23. artic. 5. in corpore ait: *Posuerunt Pelagiani, quòd initium benefaciendi sit ex nobis, consumatio autem ex Deo: & sic ex hoc contingit quod alicui detur praedestinationis effectus, & non alteri; quia vnus dedit initiũ se praeparando, & nõ alius.* Et sub eisdẽ verbis refert Pelagianorũ errorẽ, vbicũq; illum cõmemorat, praesertim 2. 2. q. 6. art. 1. 3. Cõtra Gen. c. 149 ad Rom. 7. lect. 3. in fine. Et ad Ephes. 1. lect. 1. & alijs pluribus in locis. Ex quibus facile colligitur, quantũ incõueniẽs sit, asserere, hominẽ ex viribus naturae incipere aliquẽ actũ bonũ, quẽ Deus se inserẽdo per gratiam praeuenientẽ foueat, acuat, & perficiat, vt sit supernaturalis, & qualis ad salutẽ oportet. Videat S. Aug. lib. 1. cont. duas ep. Pelag. c. 18. & 19. vbi ꝓpter eãdẽ assert. Pel. impugnat.

Psalm. 147

Pelagian. error.

S. August.

IX.

Sept. obiect. eiusdem cap. 10 cit. num. 24.

Septima obiectio. Sententia, quae asserit, Deũ infallibiliter, & ex lege statuta cõferre auxilia praeueniẽtis gratiae volẽtibus, desiderãtibus, conãtibus, petẽtibus, quaerentibus, pulsantibus, & faciẽtibus, quantũ possũt ex viribus naturae, nullo modo pertinet ad errorẽ Massil. in Cõc. Arausic. damnatũ: Ergo ad minus est probabilis. Consequentia ex eo patet; nam sententiã illam ex eo rejciũt multi, quia putant ab errore Massiliensium non satis dissidere. Antecedens autem probatur; nam alioquin fatendum esset, omnes Doctores scholasticos (excepto vno, vel altero) iam à quingentis fere annis dam-

natum

natum errorem tenuisse, & plurimos doctissimos viros hoc tempore, etiam nunc tenere. Vnde vlterius sequeretur, Ecclesiam penè totam in eodem; errore nam populus Christianus, vbique terrerum tenet, quod à suis Parochis, & Episcopis docetur: hi autem docent, quod à Doctoribus in scholis audiuerunt communiter, vel quod in eorum scriptis legerunt. Atqui Doctores per quingentos prope annos, & fortè multò amplius docuerũt cõmuniter, si homo faceret, quod in se est, etiam per vires naturæ, Deũ illi auxilia gratiæ largiturũ, quibus, si etiam bene vteretur, maiora impetraret, & sic sensim posset ad salutem peruenire: Ergo.

Confirmatur idem antecedens. Hæretici huius sæculi primi hanc sententiam cõmunem Doctorũ reprehenderunt, & erroris Pelagiani accusarunt, vt de Luthero patet in assertione art. 36. apud Roffens. & de Calu. lib. 2. Instit. c. 3. vbi vocat illud Occamicum axioma. Ergo, &c.

X. Respons. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicendum, Doctores Scholasticos præsertim antiquos (vno, vel altero excepto, qui minus propriè, aut minus cautè in hac parte loquutus est) nullo modo aduersari nostræ sententiæ, vt ex dictis constat, & patebit amplius cap. sequenti, vbi eorum testimonia proferenda sunt in medium, & examinanda. Vnde multò minus affirmari potest, vniuersam penè Ecclesiam à quingentis annis vsq, ad hæc nostra tempora tenuisse contrarium, quin potius nostra sententia est expressa S. August. & S. Tho. vt alios auctores, qui eam defendunt, omittã, qui ẽt fundãtur in locis Scripturæ, & Concil. superius inductis.

Lutherus, et Caluinus quare fuerunt in Conc. Trident. damnati.

Ad confirmationem respondetur, quod Lutherus, & Caluinus, atque eorum sequaces illam sententiam reprehenderunt, quatenus affirmat, vel supponit, hominem habere liberum arbitrium, quo possit, si velit, gratiam oblatam acceptare, vel illi refragari, vt inferius patebit; & in hoc ipsi veluti hæretici reprehendẽdi sunt, & reijciendi, sicut etiam reprehenduntur tanquam hæretici, quia dixerunt, liberum hominis arbitrium fuisse per peccatum extinctum, & hominẽ in quolibet opere suo peccare. Propter has quippe assertiones, & alias huiusmodi damnati sunt in Concilio Tridentino, præ-

sertim

sertim sess. 6. de iustificatione Canon. 5. & 25. Hoc autem errore excluso, quid sentiendum sit de illa propositione, Facienti, quod in se est, per solas vires naturales arbitrij Deus tribuit ex certa lege auxilia præuenientis gratię, ex sup. dictis facile poterit vnusquisq; colligere.

Octaua obiectio; Quia non videtur credibile, tantos motus fuisse excitandos in Ecclesia ad habendum pro errore contra fidem Catholicam, si tantum voluissent dicere, viribus naturæ posse hominem à Dei misericordia impetrare aliquam inspirationem remotam, & salutarem, per quam, si vellet, posset vlterius progredi, & maiora auxilia, & tandem iustitiam obtinere. Hæc enim sententia non ita videtur à fidei doctrina aliena, neque ex ea videntur sequi illa incommoda, quæ Patres ex sententia Massiliensium colligebant. Primo enim inferebant, initium salutis, aut fidei esse ex nobis. Secundo, gratiam dari ex meritis humanis, & ita non esse gratiam. Tertio gratiam esse pedissequam. Hæc autem nullo modo inferuntur ex prædicta sententia Theologorum. Non primum; quia initium fidei est primus actus credendi, vel ipse credulitatis affectus, quo proxime ipsum donum fidei promeremur, quorum vtrũque iuxta illam sententiam non esset ex viribus naturæ, sed ex auxilio gratiæ. Non secundum; quia fides, & gratia iustificans, & auxilia propinqua non darentur ob aliquod meritum humanum, seu propter opus viribus gratiæ elicitum, ijs nimirum, qui se per auxilium gratiæ præuenientis disposuissent. Non tertium; quia iustificatio, aut donũ fidei non subiungerentur meritis humanis (cum oporteat alios actus per gratiam elicitam interuenire) imò nec ipsum auxilium præueniens, quia ille actus non proprie illud merebitur: Ergo prædicta sententia nihil commune habet cum errore Massiliens. XI. *Obiect. oct. eiusdem c. 10 allegat. num. 30.* *Ex Massiliens. sententia, quæ inconuenientia sequãtur.*

Ad hanc obiectionem, patet ex toto discursu huius & præcedentis capitis, quid sit dicendum, & ex his quæ capite sequenti adiungenda sunt. Ad illud verò, quod tangitur in eodem argumento, de initio fidei, respondetur, quod, vt ostensum est, qualecumque initium constituatur in natura, cuius intuitu infundatur fides, vel dentur auxilia præuenientia, quibus eliciat XII. *Respons. ad oct. obiectionem.*

actum

actum fidei Christianæ; siue sit credulitatis effectus, siue sit petere fidem, siue quilibet alius actus, constitueretur initium fidei, & salutis in ipsa natura; & consequenter gratia daretur secundum merita nostra: conprehemdendo nomine meriti occasionem, vel motiuum, cuius intuitu datur gratia; ac denique etiam sequeretur, gratiam esse pedisequam, non præuiam humanorum meritorum, vt supra ostensum est, quod in Pelagianis damnant Concilia, & Patres.

Nona obiectio eiusdem c. 10. cit nu. 25. et seqq

Nona obiectio. Sententia Catholicorum, qui docent, facienti, quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deũ ex certa lege conferre auxilia præuenientis gratię, quâ id, vt oportet ad salutem, exequatur, in multis differt à damnata sententia Massiliensium: Ergo non est cum illa confundenda. Antecedens probatur. Nam inter vtramque sententiam septẽ sunt manifestę differentiæ. Prima differentia est; quia Doctores scholastici, quando loquuntur de viribus naturæ, non excludunt auxilia extrinseca Dei, Angelorum, vel hominum, vt custodiam Angelicam, virtutis diabolicæ compressionem, doctrinam Magistrorum, institutionem parentum, operam concionatorum, exempla virtutum, & similia. Neque etiam intrinseca, quę secundum substantiam suam sunt ordinis naturalis, vt sunt varię cogitationes per diuinam prouidentiam homini incidentes de bono sequendo, & malo vitando, vt ex Sancto Thoma 2. distin. 28. art. 4. colligi potest, quæ etiam in statu nudę naturę non defuissent, & cooperatio diuina, qua Deus ad omnia bona opera cooperatur: sed excludunt sola auxilia supernaturalia intrinseca, quibus aliquid supra vires naturę possumus: at Massilienses hęc non admittebant, & in multis alijs, in quibus Auctores Catholici ab illis discernuntur, videntur errasse.

S. Thom.

Massiliens. error qualiter à quibusdam explicetur.

1. Differẽt. Cassianus

Primo quidem non requirebant auxilium externum quo Dęmonis potentia comprimatur, nisi eatenus, vt non reddat hominem amentem, sicut constat ex verbis Cassiani Collatione 13. cap. 14. citatis apud Prosperum cap. 32. cont. Collatorem. Secundo nullam constituebant peculiarem Dei prouidentiam ad bonam cogitationem; quia (teste Prospero Epistola ad Augustinum)

2. Differẽt.

stinum) dicebant: *Quantum quisque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum, parique momento, animum se, vel ad vitia, vel ad virtutes mouere.* Itaque sicut mala cogitatio non est donum Dei, nec per prouidentiam eius peculiarem procuratur: ita quoque sentiebant de bona. Idem quoque colligitur ex Diuo Augustino, qui auxilium præueniens ponit in bona cogitatione, quæ vt incidat, non est in nostra potestate, vt lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. in fine, & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. & de bono perseu. c. 19. Augustin.

Tertio ad omne bonum inchoandum nihil aliud requirebant, quàm naturam liberi arbitrij dono creationis acceptam, vt patet ex sancto Prospero Epistola ad Augustinum, vbi sic ait: *Quidam vero horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cum ad confitendam Christi gratiam, quę omnia præueniat merita humana, cogantur (ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur) ad conditionem hanc velint vniuscuiusque hominis pertinere; in qua eum nihil prius merentem (quia nec existentem) liberi arbitrij, & rationalis gratia creatoris instituat, vt per discretionem boni, & mali ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem; atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando; vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat; quia bono naturæ benè vsus, vt ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Et intra: *Ac sic cum in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutē Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare, qui saluat; vt voluntas hominis Diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subijciat voluntatem.* 3 Differēt. S. Prosper.

XV.

Quarto asseruerunt, actus illos imperfectos ex solis viribus naturę procedentes, vt petere, quærere, pulsare, desiderare salutem, &c. esse initium gratiæ, & impetrare auxilium gratiæ per modum meriti, saltem ex congruo, sicut oratio ex fide profecta, iuxta sententiam 4. Differēt.

Augustini, valet ad gratiam impetrandam, eamque meretur ex congruo. Colligitur hoc ex verbis Prosperi supra inductis, & ex Hilario Epistola ad Augustinum dicente: *Consentiunt, omnem hominem in Adam perijsse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari: sed id conueniens asserunt veritati, vt cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint, et crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum*, idest, vt volendo credere, & credendo (scilicet per vires naturæ) mereantur sibi dari augmentum fidei, & volendo sanari, seu iustificari, mereantur à Deo iustificari. Idem apertè colligitur ex Cassiano collat. 13. cap. 9. & sequentibus. Nam cap. 9. multis exemplis conatur ostendere, quòd aliquando liberum arbitrium præueniat gratiam, & aliquando gratia præueniat liberum arbitrium. Tandem addit: *Etiam per natura bonum, quod beneficio creatoris indultum est, non nunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consumationem virtutum peruenire non possunt. Apostolus testis est dicens, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*. Hic voluntatem, seu propositum seruandi omnia mandata, sicut oportet ad salutem, tribuit libero arbitrio, quod manifeste patet ex capite sequenti, vbi ponit exempla de omnibus virtutum operibus, etiam de fide in Christum, & perseuerantia in bono, & dicit, nos omnia ista liberi arbitrij viribus posse velle, sed illud velle esse infirmum ad perficiendum opere, nisi gratia subuenerit, posse tamen nos per illud desiderium gratiam impetrare ad perficiendum.

Hilar. Epist. ad Augustinum.

Cassian. col. 13. cap. 9.

XVI. 5. Differét.

Quinto dixerunt, gratiam esse comitem, non præuiam humanorum meritorum, ac per consequens, initium salutis ex nobis esse. Ita refert Prosper Epistola ad Augustinum in hæc verba: *Nec considerant, se gratiam Dei, quam comitem, non præuiam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præuentas*. Et infra: *Ac sic cum in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operantur*

rantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare, qui saluat; vt voluntas hominis Diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subijciat voluntatem. Ex quo Patres inferebant aduersus Massilienses, gratiam dari ex meritis humanis, ac per consequens non esse gratiam, quæ vtique gratis datur. Inferebant etiam, gratiam esse pedissequam naturæ, & similia.

Sexto. Massilienses volebant, facienti, quod in se est, per vires naturæ, immediatè conferri donum fidei, vel gratiam iustificationis, vel certe tale auxilium præueniens, vnde infallibiliter hæc sequerentur, quod probatur. Primo; quia dicebant, hominem *ad gratiam qua in Christo renascimur peruenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat; quia bono naturæ benè vsus, vt ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ* (id est liberi arbitrij gratis donati) *ope meruerit peruenire*, vt refert Prosper. Secundo; quia etiam illi, qui minimum tribuebant libero arbitrio, dicebant, hominem solis naturæ viribus posse credere, & velle sanari, eique, si hos actus haberet, donum fidei, & gratiam iustificationis conferri, vt patet ex Epistola Hilarij, vbi sic ait: *Quod enim dicitur, Crede, & saluus eris, vnum horum exigi asserunt, aliud offerri, vt propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur.* Et infra referens eorum verba, ait. *Non quidem Deus elegit opera, quæ ipse largitur, cum dat Spiritum Sanctum, vt per charitatem bona operemur, sed tamen elegit fidem; quia nisi quis credat, & in accipiendi volũtate permaneat, non accipiet donum Dei, idest Spiritum sanctum, per quem infusa charitate possit bonum operari. Non ergo eligit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præscientia; vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Ex quibus verbis clarum est, omnia, quæ præcedunt gratiam iustificationis, iuxta ipsos: esse ex solis naturæ viribus, ea autem, quæ post iustificatio-

XVII. 6. Differẽt.

Prosper.

Hilar. Epist. ad Aug.

tionem fiunt, tribui Deo ratione gratiæ iustificantis, à qua vim promerendæ vitæ æternæ habent. Quod autem hi minimum tribuerint libero arbitrio, patet ex Diuo Augustino cap. 1. de Prædestinatione Sanctorum illis verbis: *Peruenerunt etiam,* &c.

Augus. lib. de prædest. Sanct. c. 1.

Tertio; quia totam gratiam præuenientem constituebant in vocatione externa ad baptismum, vt quicũque vellet, posset per vires naturæ venire ad baptismũ, & per illum consequi gratiam. Itaque prima gratia interna, iuxta ipsos, erat gratia regenerationis, vt patet ex Prospero in principio epist. & circa medium §. *Propositum autem,* &c.

Cassianus.

Quarto; quia Cassianus lib. 12. de institut. cœnob. cap. 11. gratiam Dei in eo constituit, quòd ob paruum opus viribus naturæ factum, & minimè dignum tanto præmio cõdonet peccatum, & hominem iustificet: ideoque hominẽ dici saluari dono, & gratia Dei, quòd opus illud, cuius occasione salus confertur, non sit tanta remuneratione dignum, idq; explicat exemplo Latronis, & Dauidis pœnitentis. Idem docet cap. 14. eiusd. lib. & Coll. 13. cap. 14.

Concil. Arausic.

Quinto idem patet ex Can. 3. 4. 6. 8. & alijs Conc. Arausicani, in quibus damnatur hic error: *Viribus naturæ impetrari, vt à Deo purgemur, vel iustificemur.* At Doctores Catholici non asserunt, facienti, quod in se est, per vires naturæ, dari immediatè donum fidei, vel gratiam iustificationis; sed tantum dari auxilium aliquod præueniens, cum quo si rursus fecerit, quod in se est, dabitur auxilium maius, & sic deinceps donec ad iustitiam pertingat: Ergo non debet eorum sententia cum errore Massiliensium confundi.

XVIII. 7. Differẽt.

Septima differentia; nam Massilienses non admiserũt auxilium diuinæ cooperationis: quia sicut Pelagiani putabant, tolli libertatem, si cooperatio Dei diceretur esse necessaria: ita etiam videntur isti existimare. Non enim est minor, sed potius maior difficultas de cooperatione diuina, quomodo non impediat libertatem, quam quomodo auxilium præueniens eam non impediat: atqui negabant, auxiliũm præueniens requiri, ne impediretur libertas, vt refert Diuus Prosper in Epistola

stola ad August. Ergo multo magis negabant, cooperationem esse necessariam. Deinde si putassent cooperationem necessariam, facile dixissent, in hac esse gratiam Dei, sicut dicebant, eam esse in natura liberi arbitrij gratis à Conditore concessa, vt constat ex Epist. prædicta Prosperi. Item omnes bonas voluntates esse dona Dei, nos nihil posse, nisi Deo auxiliante, &c. & sic facile argumenta Prosperi, & aliorum elusissent. Denique ad hanc eorū sententiam videtur respexisse Conc. Arausicanum, quando Can. 22. definit, *Neminem habere de suo, nisi mendacium, & peccatum.* Vbi excludit omne opus, non solum moraliter bonum; sed etiam naturale & indifferens, quod alia ratione verum esse nequit, nisi quia egemus ad hoc auxilio diuinæ cooperationis nobis in hunc finem communicato. Concil. Arausic. Can. 22.

Respondetur, quod non temperatur vllo modo propositio, de qua est controuersia, etiamsi non excludantur auxilia extrinseca Dei, neque intrinseca ordinis naturalis, vt cogitationes per Dei prouidentiam, vt est auctor naturæ, homini incidentes de bono sequendo, & malo vitando. Etenim controuersia Sancti Augustini, & aliorum Patrum contra Massilienses non fuit, an illi conatus naturæ, quorum intuitu Deus conferebat auxilia gratiæ, procederent ex solis viribus naturalibus absque Deo auctore naturæ, aut absque illius prouidentia respiciente ordinem naturæ: sed quæstio fuit, vtrum illi conatus penderēt ex sola facultate arbitrij, an ex auxilio speciali præuenientis gratiæ. Nec Massiliens. vnquam negauerunt diuinam prouidentiam, nec Angelorum, vel hominum custodiam, nec alia auxilia pertinentia ad ordinem naturæ, quod ex eo constat, quia numquam propter hoc fuerunt in Concilio Arausicano damnati, vel à Sanctis Patribus, præsertim Sancto Augustino, & eius discipulis Prospero, Hilario, Fulgentio, vel alio aliquo Doctore impugnati. Respons.

Ad primum discrimen, quo arguens probat, primam sententiam discerni ab errore Massiliensium, & nihil commune habere cum illo, respondetur, Cassianum quidem asseruisse, datum esse à Deo externum auxilium, quo Dæmonis potentia comprimatur, ne Sanctum Ad 1. differentiam.

lob

Iob amentem redderet, sed tamen ex hoc non rectè infertur, Cassianum negasse alia auxilia externa ordinis naturalis, præsertim superius commemorata; nam argumentum ab auctoritate negatiua est nullius momenti. Dato etiam, & non concesso, quod alia auxilia externa negauerit Cassianus, quæ Auctores primæ sententiæ concedunt, vel non excludunt, non tamen propter hoc temperatur prima sententia, vel probabilis efficitur; nam, vt dictum est, controuersia cum Cassiano, & alijs Massiliensibus non erat de auxilijs externis ordinis naturæ, sed de auxilio speciali præuenientis gratiæ. Vnde Sanctus Prosper expendens dictum præallegatum Cassiani, non illum impugnat, quod negauerit alia extrinseca Dei auxilia, sed quoniam asseruerit, victoriam Iob non ex auxilio gratię, sed ex viribus liberi arbitrij processisse. Sic enim ait: *Quod autem dicis, gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendam non penitus recessisse, quod tentatori eius tantam Deus tribuit potestatem, quantum & illum resistendi nouerat habere virtutem, nonne rectius, veraciusq; loquereris si vbi dixisti, quantam etiam illum resistendi nouerat habere virtutem, diceres potius, quantam, & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem. Vnius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliqua temperasset, vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adiutorio, & libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es natura humanæ diminuere laudem, si ei profitereris a Deo datam esse virtutem; itaque conflictus illius, atque victoriæ, non vis credi cooperatorem Deum fuisse; sed tantummodo spectatorem.* Et nomine cooperationis non intelligit solum concursum Dei simultaneum, quo Deus concurrit vna cum libero arbitrio ad piam operationem, si nos volumus operari: nam (vt lib. 5. cap. 1. probaui) etiam Pelagius influentiam Dei generalem non negauit; sed intelligit etiam influxum gratiæ in liberum arbitrium, vt in causam; quo Deus efficit, vt velimus. Hanc enim cooperationem negauerunt Cassianus & alij Massilienses, obtendentes cum libertate arbitrij cohærere non posse, vt eodem lib. & cap. nu. 8. & 11. visum est.

Cassian. nõ negauit auxilia externa ordinis naturalis.

S. Prosp. lib. contra collat. cap. 35.

Notanda verba Prosperi.

XIX.

Ad 2. differentiam.

Ad secundum discrimen respondetur, quod si per prouidentiam Dei peculiarem intelligat arguens prouidentiam specialem supernaturalem, quæ est prædestinatio gratuita, verissimum est, Massilienses non admisisse huiusmodi prædestinationem ad gratiam ante præuisum bonum vsum liberi arbitrij quærentis, petentis, & pulsantis: sed hanc etiam prouidentiam, seu prædestinationem difficile saluare poterunt auctores primæ sententię; quia si Deus in tempore confert gratiam præuenientem intuitu alicuius operis, sequeretur quod ab æterno statuisset conferre gratiam præuenientem intuitu eiusdem operis, ac per consequens prædestinatio ad primum auxilium gratiæ esset ex præuisiis operibus naturæ. Si autem nomine prouidentiæ particularis intelligat prouidentiam ordinis naturalis, qua omnia naturalia in particulari disponit & ordinat in finem, sibi proportionatum; certum est, Massilienses hanc prouidentiam peculiarem non negasse, nec circa hoc fuit vnquam illis mota quæstio, vt ex præmissis constat. Vnde illud discrimen non subsistit.

Ad 3. differentiam.

Ad tertium discrimen respondetur, quod non omnes Massilienses, vel Semipelagiani, sed aliqui, dixerunt, ad omne opus bonum inchoandum sufficere naturam liberi arbitrij dono creationis acceptam, quod satis apertè indicant verba illa inducta Prosperi, *Quidam vero horum, &c. Quidam* inquit, non omnes; nam plerique ex illis, licet asseruerint, ad primum initium fidei sufficere vires liberi arbitrij dono creationis acceptas, tamen ad opera pietatis, quæ sequuntur fidem, nedum perficienda, sed etiam inchoanda admiserunt, necessarium esse auxilium speciale præuenientis gratiæ; vt expressè docet Sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 1. *Peruenerunt* (inquiens) *isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, vt credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per iustitiam secundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque, vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere*

S. Prosper.

S. August.

posse consentiant. Retenta ergo ista, in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt. Sententia autem, quæ asserit, facientibus, quod in se est, ex sola facultate naturæ, quærendo, petendo, pulsando, vel quodlibet aliud bonum opus aggrediendo, dari auxilium gratiæ, per quod opus illud foueatur, perficiatur, & fiat supernaturale, & eiusdem ordinis cum gratia, sicut ad salutem oportet, videtur constituere in natura non solum initium fidei; sed etiam cuiuscumque alterius bonæ operationis, cuius intuitu dentur auxilia gratiæ, vnde in hoc nullo modo videntur discerni à Massiliensium sententia.

XX. Ad 4. diff. *Massiliens. excluserũt omne meritum ab operibus nat.*

Ad quartum discrimen respondetur, Massilienses constituisse quidem aliquod initium gratiæ in illis bonis actibus naturæ, non autem asseruisse, per illos actus, hominem mereri etiam de congruo auxilium præuenientis gratiæ: sed potius è contrario contendebant, gratiam semper gratuitam perseuerare, vt disp. 2. de Auxilijs nu. 15. & 26. ostensum est. Ad locum inductum ex Sancto Prospero respondetur, illum nomine meriti comprehendisse quodcumque, & qualecumque initium, cuius occasione, vel intuitu daretur gratia. Ex hoc enim inferebant Sanctus Augustinus, & alij Patres, gratiam secundum merita nostra dari, vt ex præmissis constat. Et similiter dicendum ad locum Cassiani ex cap. 9. collat. 13. inductum. Iam enim supra ostensum est, ipsum non posuisse aliquod meritum ex condigno, vel congruo in operibus naturæ præcedentibus gratiam, sed solum occasionem, cuius intuitu daretur gratia.

Ad 5. diff.

Ad quintum discrimen respondetur, quod cum Massilienses dixerunt, gratiam esse comitem, non præuiam humanorum meritorum, id intellexerunt de gratia adiuuante. Putabant enim, Deum per hanc gratiam non efficere, vt voluntas consentiat, & piè operetur: sed solum concurrere cum illa ad opus meritorium, si ipsa voluerit pro sua libertate piè operari, alias non poterant intelligere quomodo illæsa conseruetur humani libertas arbitrij, vt lib. 5. cap. 3. nu. 19. & 20. visum est. Etenim gratiam excitantem admiserunt præuiam esse piarum operationum, quæ sequuntur primum initium

tium fidei, vt ex Sancto Augustino supra ostensum est. At quia omnes Massilienses statuerunt, primum initium fidei esse ex nobis, propterea Sancti Patres aduersus illos inferebant, gratiam dari ex meritis humanis, esse pedisseqnam naturæ, & similia. Hæc autem omnia videntur sequi ex prima sententia superius explicata; quia non solum constituit in natura quamdam inchoationem actus credendi, sed etiam operationis cuiuscumque virtutis, cuius occasione, vel intuitu Deus sua dona præuenientis gratiæ distribuat. Vnde etiam ruit hoc discrimen.

Ad sextum discrimen respondetur, Massilienses non fuisse solicitos, vt concederetur eis, Facienti quod in se est, per vires naturæ, conferri immediatè donum fidei, vel gratiam formaliter iustificantem, sed solum contenderunt, esse naturæ viribus concedendum aliquod initium, qualecumque illud sit, fidei, vel alterius operationis, cuius occasione, vel intuitu donaretur auxilium præuenientis gratiæ, quo auxilio, si homo pro sua libertate bene vteretur, faciendo quod in se est, cum eodem auxilio Deus conferret illi vlteriora auxilia, quibus habitualem fidem, & gratiam iustificantem obtineret. Vnde consequenter ad illud primum initium exhibitum viribus naturæ, tanquam ad primam causam, vel occasionem, referebant totam seriem auxiliorum, & donorum, quibus ad iustificationem, & ad vitam æternam peruenitur. Hoc non aliter probatur, quam ex his, quæ superius dicta sunt, præsertim ex argumentis Massiliensium cap. præcedenti propositis, quæ quidem solum contendunt, esse libero arbitrio tribuendam aliquam inchoationem fidei, aut boni operis, cuius intuitu, vel occasione detur gratia præueniens: siue habitus fidei, aut habitus gratiæ infundatur à Deo mediatè, vel immediatè propter illud initium boni operis præstiti ex viribus naturæ. Per hæc sufficienter manent exclusa ea, quæ afferuntur in prima, & secunda probatione sexti discriminis. Ad tertiam probationem negandum est, Massilienses, saltem omnes, constituisse gratiam totam in vocatione externa ad baptismum; nam admiserunt gratiam internam, qua Deus post primum initium XXI. Ad 6. differentiam.

fidei, vel alterius boni operis præueniret hominum voluntates, vt ex Sancto Augustino supra ostensum est, & disp. 2. de Auxilijs num. 6. Ad quartam probationem dicendum, Cassianum locis superius inductis satis aperte se ipsum explicasse. Et cum ait, propter initia imperfecta naturæ Deum condonare peccatum, vel hominem iustificare, non intellexit, quod immediatè propter opus factum ex viribus naturæ infunderetur peccatori gratia habitualis, qua remittitur peccatum: sed medijs alijs dispositionibus, quas Deus sua gratia præueniente operabatur nobiscum fouendo, incitando, & confortando opera naturæ; quia ad hæc omnia (eius sententia) liberum arbitrium viribus proprijs exhibuerat aliquod initium; ideò inquit, quod propter illud, siue eius occasione Deus salutem conferat, & gratiam, quæ propterea semper gratuita perseuerat. Ad quintam probationem ex Canonibus Concilij Arausicani respõdetur, ex illis validissimè corroborari nostram sententiam, vt ex præmissis constat.

Cassiani error expenditur.

XXII. Ad septimum discrimen respondetur, Massilienses, sicut & Pelagianos, nũquam negasse concursum Dei generalem simultaneum, quo Deus vna cum omnibus causis secundis influit in earum operationes, vt lib. 5. c. 1. nu. 8. & 11. probaui: nec de hoc fuit vnquam illis controuersia cum Sancto Augustino, Prospero, Hilario, & alijs Patribus. Idem sentiunt alij doctissimi Theologi, & in doctrina Sancti Augustini eruditissimi. Quod autem Massilienses non negauerint eundem concursum simultaneum, quo Deus concurrit cum homine ad bonũ opus, si ipse voluerit operari, constat; nam, vt refert Sanctus Prosper, illi admiserunt gratiam comitem humanorum meritorum, & negauerunt præuiam: nec potuerunt vlla ratione, etiam leuissima, moueri, aut suspicari, eiusmodi concursum Dei simultaneum arbitrij libertatem euertere. Si enim Deus concurrit mecum ex lege, si ego voluero operari, concursus Dei sequitur liberam determinationem arbitrij, & ab ea pendet. Quomodo ergo tollit eius libertatem? Quin potius in eorum sententia magis tolleretur summa libertas Dei, quia non posset ad alium actum concurrere, nisi ad illum, ad quem volun-

Massilienses non negauerunt concursum Dei simultaneum, & generalem

voluntas creata se determinaret. Eorum igitur argumẽtum contendebat euertere necessitatem præuenientis gratiæ. Putabant enim auferri libertatem, si homo ex viribus naturæ non potest operari initiũ fidei, vel aliorum actuum bonorum absque auxilio præuenientis gratiæ, vt ex præmissis constat. Nec per illum concursum simultaneum effugere poterant Massilienses argumenta ex Sacris litteris desumpta, quibus à Sanctis Augustino, & Prospero premebantur, vt gratiam Dei per Iesum Christum confiterentur esse necessariam ad salutem, & ad quodlibet initium fidei, vel piæ operationis; nam gratia Christi, quam requirebat Sanctus Augustinus, non operatur solum opus pium, si nos volumus: hæc enim fuit gratia Adæ collata: sed etiam efficit, vt velimus. Nec infirmat hoc, sed potius confirmat id, quod adducitur ex Concilio Arausicano Canone 22. Cum enim diffinit, *neminem habere de suo, nisi mendacium, & peccatum*, non intelligit, hominem non posse ex solis viribus naturæ operari aliquod opus moraliter bonum, sed significare voluit, hoc ipsum, quod est, hominem concurrere ad illud opus bonum, non habere liberum arbitrium à se ipso, sed à Deo mouente; quia vt in 3. sentent. d. 37. quæst. 2. art. 2. in corpore often dit S. Thomas, *Illud, quod non habet à se esse, non habet à se operari*. Et in solutione ad secundum, explicans qualiter Deus cooperetur ad actum malum, in quantum actus est, & non cooperetur ad malum, subdit. *Illud Igitur ad malum cooperatur, quod inclinat ad actionem, secundum quod actio deformitati subiiat, vnde mala est: hoc autem Deo non conuenit, & ideo non oportet, vt ad malum cooperari dicatur, quamuis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est*; & idem dicit in solutione ad tertium. Quia vero Deus, nec præuia motione, nec auxilio concomitante cooperatur homini ad mendacium, vel peccatũ, nec ad actũ malum, in quantũ subiiat malitiæ; sed totũ hoc prouenit ex causa deficiente, nempe ex libero arbitrio operante cõtra regulam rationis: ideo dixit Conc. *neminẽ habere de suo*, hoc est, à se ipso, *nisi mendaciũ, & peccatũ*.

Conc. Arausic.

Homo à se non habet nisi mendacium. S. Thom.

XXIII. 10 *Obiect. eiusdem c. 10. cit. n. 2.* Decima obiectio tendit ad destruendum potissimum fundamentum nostræ sententiæ. Ex eo enim probat, quod gratia præueniens non detur ex certa lege facientibus, quod in se est, ex solis viribus naturæ, desiderando ipsum auxilium gratiæ, & illud petendo, & medicum querendo, &c. nam alias sequeretur, quod initium gratiæ, & humanæ salutis esset ex nobis: sed hoc non sequitur. Ergo. Minor probatur. Nam vt dicit Concilium Tridentinum sess. 6. de Iustificat. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.* Ergo ex hoc, quod constituantur in natura aliqui actus imperfecti, quorum occasione, vel intuitu Deus distribuat auxilia præuenientis gratiæ, vt desiderare gratiam, petere, pulsare, &c. non sequitur quod initium salutis, vel iustificationis nostræ constituatur in natura. Etenim petere, vel desiderare gratiam, non est fides, vel actus fidei, nam fides est in intellectu; desiderium autem, & amor est actus voluntatis.

Concil. Trident.


Fides quare dicatur initium, & radix iustificationis. Respondetur, quod fides, id est, actus fidei, est initium iustificationis ex parte actuum, quibus pœnitens se ipsum ad iustificationem disponit: sed tamen ante ipsam fidem præcedit ex parte Dei vocatio gratuita, seu gratia præueniens, qua homo excitatur, & mouetur ad actum fidei: non autem esset vocatio gratuita, si daretur intuitu bonorum operum naturæ. Et iuxta hanc expositionem intelligenda sunt verba inducta Conc. Tridentini. Colligitur hæc explicatio ex eodem Concilio: nam in cap. 5. eiusdem sessionis ait. *Declarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atq; adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Et c. 6. eiusdem sessionis, *Disponuntur* (inquit) *ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, &c.* Ante hanc autem vocationem, seu gratiam præuenientem, à qua

etiam,

etiam, iuxta verba Concilij, primum initium iustificationis desumendum est, asserimus, nullum præcedere opus naturæ, quantumuis imperfectum, cuius occasione, vel intuitu Deus huiusmodi auxilia præuenientis gratiæ distribuat: alias vocatio diuina, & excitatio gratuita non esset simpliciter prima gratia præueniens: sed esset præuenta ab operibus naturæ, propter quæ, vel quorum intuitu daretur à Deo: & ita primum initium salutis, & gratiæ non ex Deo, qui saluat; sed ex natura, quæ saluatur, esset desumendum. Hæc autem omnia patebunt amplius capite sequenti.

CAPVT VII.

Examinantur testimonia scholasticorum, quæ pro contraria sententia referuntur: ostenditurque parum illi, aut nihil fauere, sed potius nostra.



Ndecima obiectio desumitur ex auctoritate plurium scholasticorum, qui pro contraria sententia referuntur; & eidem plurimum fauere putantur, quorum sententia à quingentis annis, & infra, esse communem opinionem asseritur, quibusdam paucis exceptis; ac subinde, nihil habere commune cum errore Massiliensium; cum tamen multi ex illis expressis verbis nostram sententiam defendant; alij vero parum, aut nihil faueant oppositæ. Quod vt euidenter appareat, referenda sunt eorum testimonia, & examinanda, atque expendenda.

I. 11. Obiect. *eiusdem c. 10. cit. nu. 5. & 19.*

Allegatur in primis Sanct. Thomas de Veritate quæst. 14. art. 11. ad. 1. vbi ait. *Si aliquis nutritus in syluis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ sunt credenda,*

Allegationes Lessij lib. de gratia effic. c. 10. nu. 5. & 19.

denda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum Ad Cornelium. Et 3. Contra Gent. cap. 159. scribit ijs valde consentanea. Et in 2. sent. d. 28. art. 4. inquit. *Si accipiatur gratia pro quocumque excitatiuo voluntatis exhibito homini ab ipsa diuina prouidentia, qua omnibus rebus gratis impendit ex sua bonitate ea, quæ ipsis conueniunt; nulli dubium est, quod homo sine gratia Dei non potest se præparare ad habendum gratiam gratum facientem. Vt enim 8. physicorum ostenditur, mutatio voluntatis effici non potest sine aliquo mouente per modum excitantis: omne enim motum necesse est ab alio moueri, nec refert quicquid sit illud, quod huiusmodi variationis occasionem præbeat, quasi voluntatem excitando, siue sit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquid huiusmodi, quæ omnia constat, diuinæ prouidentiæ subiecta esse, & in bonum electorũ ordinata. Vnde quicquid illud fuerit, quod hominem excitauerit ad conuertendum se, gratia gratis data dici potest: & sic sine gratia gratis data, homo ad gratiam se non præparat.* Vbi Sanctus Thomas nullam aliam gratiam tanquam necessariam requirit, vt homo ad gratiam habendam se possit præparare, nisi excitationem, monitionem hominis, ægritudinem corporis, vel alia huiusmodi immissa ex diuina prouidentia, qua omnibus rebus de necessarijs prouidet, iuxta earum naturam.

Bonauent. Sanctus Bonauentura in 2. d. 28. art. 2. quæst. 1. dicit, *vix, aut numquam liberum arbitrium destitui gratiã gratis data, per quam homo se potest aliquando ad gratiam disponere.* Sed per hanc gratiam intelligit quosdam affectus naturales, vt quod aliquis valde reformidet pœnas inferni, aut ab infantia insita sit visceribus eius quædam pietas.

Altisiodorus. Gulielmus Altisiodorensis lib. 3. summ. tract. 2. q. 5. vbi quærit, *vtrum hæc argumentatio sit necessaria. Iste facit quicquid in se est: Ergo Deus dat ei gratiam.* Et respondet affirmatiuè, & in fine concludit, *quod licet det sæpè gratiam ijs, qui non faciunt quod in ipsis est, tamen ei qui facit, quicquid in se est semper dat gratiam: aliter non reciperet confugientes ad se.*

Alc-

Alexander Alensis p. 3. q. 69. memb. 5. art. 3. *Concedendum igitur, quod si homo faciat quod in se est, Deus dat ei gratiam, etiam necessario, id est immutabiliter.* Nempè quia sic ab æterno statuit. Et explicans infra, quid sit facere, quod in se est, apertè docet, se loqui de homine per solas naturæ vires operante. Sic enim ait: *Videndum, quid est facere, quod in se est. Notandum, quod in quolibet homine per naturam est recta ratio, & hæc rectitudo boni est motio indita à creatione; qua qualibet anima potest cognoscere suum principium, scilicet Deum, &c. Per hoc enim, quod quilibet homo naturaliter scit, se non semper fuisse, scit se factum esse, & ita scit se habere principium, & scit quod ab illo principio habet, quicquid habet, & totum bonum quod habet, & non à se. & scit quod ab illo debet petere bonum, & per illum debent suppleri omnes defectus. Si ergo secundum istam notionem operetur homo suo arbitrio recurrendo ad illum, quem scit suum esse principium & quem scit esse orandum sibi, & petat ab illo lumen cognitionis fidei, & boni, dabitur ei.* Albertus in 2. d. 28. art. 1. ad 4. vbi ait. *In nobis est aliquid facere, quo facto, habeamus potestatem ex gratia: hoc autem est, facere quod in nobis est; quia si hoc fecerimus, Deus immutabiliter dat gratiam, quia ipse vno modo semper se habet ad nos, scilicet gratiam porrigendo, sed nos vno modo non habemus nos ad Deum, quando auertimur, sed si conuertimur faciendo, quod in nobis est, statim accepimus.* Et loquitur de gratia diuinæ inspirationis. II. *Alexand. Alens.* *Albertus Magnus.*

Riccardus 2. sentent. d. 28. art. 1. q. 2. respondet, *quod dispositio ad gratiam gratum facientem duplex est, quædam remota, & indirecta, quædam propinqua, & directa. Loquendo de remota dispositione, liberum arbitrium per sua naturalia cum generali motione primi mouentis, quam supponit qualibet actio creatura, potest se ad gratiam gratum facientem disponere, quia hoc modo, qui libero arbitrio suo rectè vtitur, quantum potest, disponit se ad gratiam gratum facientem.*

In fauorem eiusdem sententiæ allegatur Durandus in 2. sentent. dist. 28. q. 5. Egidius Rom. ead. dist. art. 2. Scotus in 4. dist. 14. §. De 2. Caiet. Tom. 1. Opusc.

III. Sotus. Inter recentiores allegatur Sotus in 4 d. 1. q. 2. art. 3. vbi ait. *Seruanti iui natura Deus singulari auxilio affulsisset:* Vega. Andreas Vega lib. 13. in Concilium Tridentinum cap. 12. *Vel hoc argumento possemus conuincere, quemlibet viatorem posse secundum legem communem conuerti, quia nullus est ex viatoribus, qui non possit bene vti naturalibus: ei autem qui hoc fecerit, Deus, qui nemini deest facienti, quod in se est, auxilium sine dubio praestabit sufficiens ad obtinenda bona supernaturalia.* Gerson. Gerson. p. 1. alphab. 24. in reg. moral. littera M. *Nulli facienti quod in se est, hoc est; bene vtenti donis Dei iam habitis deest Deus in necessarijs ad salutem, siue illa sint credenda, siue operanda.* Per dona Dei intelligit omnia, quæ homini præsto sunt, tam naturalia, quam Driedo. supernaturalia, sicut reliqui Nominales. Driedo de Concordia liberi arbitrij pag. 51. dicit, *id pie credi, nec perniciosè in eo errari.* Riccardus art. 7. pag. 348. ait, Ricc. 348. *quod tamen Deus adest etiam facienti quod in se est, ex puris naturalibus ad illustrationem & instinctus diuinos, ad quos ex immensa erga peccatores charitate inuitatur, non autem ex vllo merito, vel dignitate, piè creditur. Sed quod semper, & quasi ex infallibili ordinatione eis adsit, vt necessaria salutis largiatur ex Script. non certò constare potest: piè tamen hoc confidimus, ne de aliquo desperetur.*

Nicol. Nicolaus de Orbellis in 2. d. 27. vbi refert hanc de re Vict. rel. 3. sentent. Riccard. eamque approbat Franciscus Victoria releċt. 3. de peruenientibus ad vsum rationis nu. 4. vbi Medina. hanc sentent. tribuit S. Thom. Bartholomęus Medina 1. 2. q. 109. art. 6. q. 3. ad. 3. dicit, hanc sentent. *esse probabilem,* & pro ea in argumento citat S. Thom. Matth. Feli- Mat. Felis. sius ex ordine Minorū Inst. Christianæ disp. 24. c. 20. & 21. & multi alij recentiores, qui omnes non intendunt aliud asserere, quam quod primi Doct. Scholast. affirmarunt. Vnde axiomatis, & pronunciati loco ab omnibus passim habetur, Si homo faceret quod in se est per vires naturę, Deum daturum illi gratiam, idest, auxilia supernaturalia, quibus sensim maiora, & tandem iustitiam obtinere posset. Auctoritas autem horum Doctorum, & aliorum plurium, qui à quingentis annis sequuti sunt hanc sententiam, sufficit ad reddendam eam probabilē. Ergo.

R E-

RESPONSIO.

PRopositionem illam duobus capitibus præcedentibus impugnatam eo modo intellectam, quo supra expositum est, vetustate non posse defendi, sicut teste Prospero Epistola ad Augustinum contendebant Massilienses, satis constat ex dictis, & patebit amplius discutiendo testimonia Scholasticorum superius inducta, qui à trecentis annis, & infra de hac materia scripserunt. Respondetur ergo prima solutione generali ad omnes præallegatos Doctores, quod nullus eorum docuit vmquam, vel asseruit, Deum ex certa lege, vel pacto conferre auxilia prima præuenientis gratiæ facientibus, quod in se est, ex sola facultate naturæ, cum illis adiunctis, siue adiectis propositionibus cap. 5. propositis, & capite 6. impugnatis. Primo quidem; quia nullus eorum dixit, quod talia auxilia dentur propter opera naturæ præcedentia, vel eorum intuitu. Secundo; quia nullus dixit, quod nisi hæc opera naturæ præcedant, Deus præuenientem gratiam conferrè non solet. Tertio nullus etiam asserit, quod idem actus solis viribus naturæ incœptus eleuetur, & adiuuetur per gratiam præuenientem, vt fit supernaturalis, & qualis ad salutem oportet. Hanc enim assertionem in Massiliensibus notauit S. Prosper Epist. ad Augustinum versic. *Quem bona appetentem gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta suscipiat*. Quarto nullus vmquam dixit, Patrem æternum legem statuisse propter merita Christi, vel pactum aliquod fecisse conferendi hominibus auxilia præuenientis gratiæ sub hac conditione, si nimirum ipsi prius facerent, quod in se est, ex sola facultate naturæ. Nam lex statuens aliquid conferrè alicui pro aliquo opere, si fiat, adimpleta conditione, inducit aliquam obligationem iustitiæ. Iustum enim est, vt promissio talis impleatur, & seruetur promissum. Vnde licet bona opera naturæ secundum se nullam habeant proportionem cum donis præuenientis gratiæ; nihilominus suppositis meritis Christi, & supposita lege prædicta, aliquam proportionẽ haberent cum eisdẽ donis, ac per consequens non darentur omnino gratis.

IV.

Solutio generalis.

Nec satis est respódere, quod hæc lex facta fuit propter merita Christi: licet enim ex vna parte hæc responsio eadem merita extollere videatur, ex alia tamen ea deprimit; nam ex illa sequeretur, Christum meruisse, gratiam illius secundum merita nostra dari, & quod gratia eius non esset gratia. Præterea gloria datur prædestinatis propter bona opera fundata in meritis Christi, & nihilominus datur illis ex debito, siuè ex iustitia supposita lege, & promissione diuina, iuxta illud Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et 2. Thim. 4. *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius.* Ergo per se loquendo, & ex natura rei, quod illa lex dandi auxilia præuenientis gratiæ propter opera naturæ facientibus totú, quod in se est, fuerit facta propter merita Christi, non tollit, quin eadem gratia detur ex debito facientibus, quod in se est, ex viribus naturæ. Cum his ergo qualitatibus, & explicationibus adiunctis nullus ex præallegatis Doctoribus asserit, vel defendit sententiam, quam impugnamus. Quod si vnus, aut alter in hac parte minus cautè, aut minus propriè loquutus est, non propterea recedendum est à sententia S. Augustini, quæ tot pro se habet auctores, & tot Scripturæ sacræ, & Conciliorum testimonijs corroboratur. Et quamuis hæc solutio sufficeret ad omnia testimonia superius inducta contra nostram sententiam, singulis tamen ad maiorem claritatem satisfacere oportet.

V. Ad Sanct. Thom.

Quod attinet ad Sanct. Thomam, respondetur, absque vllo fundamento allegari pro sententia contraria; nam expressè docuit semper nostram, & illam propositioné, *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*, semper intellexit de faciente, quod in se est, ex auxilio præuenientis gratiæ; non autem ex solis viribus naturæ, vt constat ex locis cap. 5. num. 4. inductis. Nec in quæstione illa de Veritate docuit, vel insinuauit oppositum. Intelligitur enim de puero faciente, quod in se est, sequendo ductum naturalis rationis in appetitione

Ad quæst. 14. de Veritate.

boni,

boni, & fuga mali; non quidem ex solis viribus naturæ; sed ex speciali motione Spiritus Sancti, vt disput. 56. de Auxilijs nu. 21. ostensum est: quia sine gratuita Dei motione non potest liberum hominis arbitrium in natura lapsa in omnibus sequi ductum rationis, aut habere absolutum propositum operandi vniuersaliter bonum, & fugiendi malum, vt disp. 52. & 54. de Auxilijs dictum est.

Ad locum inductum ex 2. sentent. respondet Caietanus 1. 2. q. 109. art. 6. §. Nec obstat, *quod S. Thomas dicta sua in 2. sentent. ad meliorem sensum in 1. 2. reduxit, declarãdo, & addendo.* Eod. modo respondet Dried. & Ruard. Taper locis inferius allegandis. Nec est admittendum, S. Thomam retractasse in 1. 2. id quod in 2. sentent. docuerat: etenim, vt obseruauit Caietanus, quando S. Thomas suam sententiam retractat, id expressè aduertere consueuit per hæc, aut similia verba, *quamuis olim docuerim oppositum*. Vnde per gratiam gratis datam intelligit S. Thomas in 2. sentent. speciale auxilium præuenientis gratiæ; sicut alij Doctores inferius allegandi. Cum ergo affirmat in illo artic. 4. sine gratia gratis data hominem se ipsum non posse ad gratiam præparare, relinquitur, apertè intellexisse, quod specialis motio præuenientis gratiæ debeat præcedere omnem præparationem, qua homo se disponit ad consequutionem gratiæ. Nec obstat, quod S. Thom. inter illa, quæ excitant hominem, enumerat admonitionem hominis, vel ægritudinem corporis, vel alia huiusmodi, ex quo videtur colligi, quod disiunctiuè sufficiat excitatio per admonitionem hominis, aut ægritudinem corporis, &c. vt homo se præparet ad gratiam. Hoc, inquam non obstat. Nam S. Thom. constituit exemplum in motiuis externis, quibus Deus vtitur, vt ipse per auxilium speciale præuenientis gratiæ interius excitet voluntatem, vt se præparet ad iustificationis gratiam consequendam, de quo in illo art. 4. loquebatur: nunquam tamen asseruit, nec insinuauit S. Doctor, quod per solam externam excitationem hominis, aut illam, quæ fit per ægritudinem, aut alios exteriores motiuos sufficienter homo se præparet ad iustificantem gratiam cõsequẽdam, nec vllus Theologus hoc vnquã illi imposuit, Caietan.

VI. Ad S. Bonauentur. Sanctus etiam Bonauentura malè similiter allegatur contra nostram sententiam; nam potius facit pro nobis. Etenim in 2. sentent. dist. 28. q. 1. expressè intelligit eandem propositionem de faciente, quod in se est, ex auxilio speciali præuenientis gratiæ; nam cum proposuisset argumentum de faciente, quod in se est, respondet nu. 35. in hæc verba. *Ad illud, quod obijcitur, sufficienter se disponere, qui facit, quod in se est, dicendum quòd facere, quod in se est, potest dupliciter intelligi. Vno modo positiuè, quia facit aliquid ordinatum ad gratiam, & tantum facit quantum potest, & hoc modo veritatem habet sermo prædictus. Alio modo potest intelligi priuatiuè, vt dicatur facere, quod in se est; quia facit, quod potest, quamuis illud non sit ordinatum ad gratiæ susceptionem; & hoc modo liberum arbitrium gratia destitutum potest facere, quod in se est, & sic prædictus sermo non habet veritatem. & per hoc patet responsio ad sequens. Quod enim quæritur, aut potest aliquid, aut nihil; dicendum, quod aliquid potest; sed illud aliquid nihil est respectu gratiæ suscipiendæ: sicut posse comedere, aliquid posse est, nihil tamen facit ad hoc, quod aliquis suscipiat donum gratiæ.* Et art. 2. eiusdem quæstionis ait, *vix, aut nunquã liberũ arbitriũ destitui gratia gratis data, per quã homo se potest aliquando ad gratiam disponere.* Ergo intelligit illam propositionem de facientibus, quod in se est, ex auxilio præuenientis gratiæ.

Facere, quod in se est contingit dupliciter.

VII. Respondet Lessius, Sanct. Bonauenturam per gratiam gratis datam intelligere etiam quosdam affectus naturales, quod aliquis valde reformidet pœnas, aut ab infantia insita sit visceribus eius quædam pietas. Sed hæc explicatio non congruit verbis Sanct. Bonauenturæ; nam gratiam gratis datam, qua liberum arbitrium operatur aliquid ordinatum ad consequutionem gratiæ gratum facientis, condistinguit Sanct. Doctor ab omni dono ordinis naturalis; & inquit, *quod liberum arbitrium gratia gratis data destitutum potest facere, quod in se est, seu quod potest: sed id faciendo nihil facit ad hoc, quod recipiat donum gratiæ,* quasi diceret, Facienti totum, quod potest ex solis viri-

viribus naturæ, non datur infallibiliter donum gratiæ, nec per hoc se præparat ad illud suscipiendum. Præterea Sanct. Bonauentura ibi loquitur de præparatione sufficienti ad gratiam gratum facientem, vt patet ex contextu literæ. Manifestum est autem, quod ad gratiam gratum facientem non potest se homo sufficienter præparare per affectus naturales procedentes ex sola gratia gratis data pertinente ad ordinem naturæ (vt auctores, cum quibus disputamus, ingenue fatentur:) Ergo nomine gratiæ gratis datæ solum intelligit Sanct. Bonauentura auxilium speciale supernaturalis ordinis. Ad hæc in corpore articuli assignans rationem, propter quam absque gratia gratis data non possit se homo sufficienter ad gratiam gratum facientem præparare, sic ait, *Quia ipsa* (scilicet gratia gratum faciens) *est quid diuinum, & res existens super liberum arbitrium, & etiam supernaturale iudicium, ideo liberum arbitrium numquam assurgit, nec ad cognoscendam gratiam, nec ad petendam, nisi aliquo modo à sursum excitetur, & per additionem gratiæ gratis datæ, quæ tenet quasi medium inter donum gratiæ gratum facientis, & naturalem libertatem voluntatis*. Nec obstat, quod in corpore eiusdem articuli ponit exemplum in timore seruili, vel pietate aliquorum visceribus inserta ab infantia. Nam timor seruilis pœnarum inferni, si voluntatem peccandi excludat, est donum Dei, vt in argumento, Sed contra, eiusdem articuli dixit Sanct. Bonauentura: & colligitur ex Concilio Tridentino session. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 4. & idem dicendum de pietate aliquibus ab infantia inserta. Hæc enim, quatenus dicit ordinem ad gratiam gratum facientem; siue quatenus operatur modo diuino, est donum Dei, vt in 3. sentent. distinct. 34. quæst. 3. artic. 2. quæstiunc. 1. dicit Sanctus Thomas, quod etiam docet Sanct. Bonauentura eadem distinct. quæst. prima, & secunda.

VIII. Ad Altisiodorens.

Altisiodorens. loco allegato etiam non fauet sententiæ, quam impugnamus; quia non loquitur de faciente, quod in se est, ex solis viribus naturæ, sed intelligendus est de faciente, quod in se est, confugiendo ad Deum ex auxi-

auxilio gratiæ, vt colligitur ex eodem Auctore lib. 2. summæ tractat. 11. cap. 1. quæst. 4. Vbi docet, non posse nos *sine gratia gratis data aliquod bonum operari*, vbi per gratiam gratis datam intelligit speciale auxilium præuenientis gratiæ, sicut S. Bonauentura, vt patebit infra. Potest etiam huic auctori solutio generalis numero 4. assignata adaptari.

Ad Alex. Alensem. Alexander Alensis loco inducto intelligendus similiter est de faciente, quod in se est, ex auxilio gratiæ, non ex solis viribus naturæ; nam orare, & petere lumen cognitionis fidei, & boni, non fit absque speciali auxilio gratiæ. Vnde idem Alexander 3. part. quæst. 69. art. 2. num. 1. docet, non posse liberum arbitrium declinare à malo, & facere bonum sine auxilio gratiæ. Et eodem modo accipienda sunt quæ dicit inter explicandum, quid sit facere, quod in se est. Cum enim ait, *Si ergo petat ab illo lumen cognitionis fidei, & boni, dabitur ei*, intelligi non potest de petente lumen fidei ex solis viribus naturæ: nam petere fidem initium fidei est, vt ex supra dictis constat, ac per consequens talis petitio fieri non potest ex solis viribus naturæ. Accedit, quod hic auctor non asserit, gratiam præuenientem conferri ex certa lege propter opera naturæ, vel eorum intuitu, neque cum alijs qualitatibus in generali solutione nu. 4. adnotatis. Vnde minime fauet sententiæ, quam impugnamus.

IX. Ad Albertum. Albertus Magnus eodem modo intelligendus est de facientibus, quod in se est, ex speciali auxilio præuenientis gratiæ; nam loquitur de his, qui conuertuntur ad Deum, & per huiusmodi dispositionem gratiam iustificantem accipiunt infallibiliter. Constat autē, quod per conuersionem ad Deum procedentem ex solis viribus naturæ, homo non consequitur gratiam iustificantem, vt fatentur auctores, cum quibus disputamus: Ergo Albertus eorum sententiæ non fauet.

Ad Riccardum. Riccardus non loquitur de dispositione ad primum auxilium præuenientis gratiæ, qua posita detur infallibiliter ex lege statuta idem auxilium; sed loquitur de dispositione ad gratiam gratum facientem, & nomine dispositionis indirectæ intelligit dispositionem valde remo-

remotam, quæ impropriè est dispositio, & solum est minor quædam repugnantia respectu formæ, sicut est siccitas in ligno comparatione formæ ignis, vt docet Magister Medina 1.2.q.109.art.6 q.3.conclus.3. vbi ait. *Opus moraliter bonum & quidquid homo facit ex facultate naturæ propriè non est dispositio ad gratiam: sed est veluti siccitas in ligno, quæ propriè non est dispositio, sed potius potentia passiua.* Et infra docet, quod omnis propria dispositio ad gratiam, siue sit proxima, siue remota, debet procedere ab eodem agente à quo est gratia; quod etiam ex professo ostendi disput. 55. de Auxiliis conclus. 2. & in hoc sensu interpretandi sunt Doctores, qui dicunt, posse hominem solis viribus naturæ se disponere ad gratiam; quod si vnus, aut alter aliter sentit, reijciendus est.

Durandi sententia in hac parte ab omnibus Theologis reprobatur; quia in 2. sentent. distinct. 28. quæst. 5. tenuit, quod absque speciali adiutorio Dei animum mouentis, & inspirantis bonum potest homo se ipsum ad iustificantem gratiam præparare. Vnde eius auctoritas nihil iuuat ad sententiam, quam impugnamus, defendendam. Ad Dur.

X. Ægidius Rom. in 2.dist. 28. art. 2. loquitur in eodem sensu, quo S. Thomas. Etenim in responsione ad secundum ait. *In his, quæ non possumus sine gratia, non sunt frustra increpationes quantum ad mala & monitiones quantum ad bona: quia possumus facere quod in nobis est, quod faciendo, etsi non ex condigno; tamen ex congruo Dominus dabit nobis gratiam. Valent ergo admonitiones, vt faciamus, quod in nobis est, quod faciendo promittit nobis Dominus se esse arguendum, nisi faciat quod in se est. Quod totum ex benignitate sua procedit, qui vult omnes homines saluos fieri, & vult nos non perire, si faciamus totum, quod in nobis est.* Quod intelligit, si faciamus totum, quod in nobis est, ex auxilio gratiæ: quæ explicatio colligitur ex articulo eius 3. vbi hic ait. *Per gratiam, quæ est diuina motio, introducitur gratia gratum faciens, quæ est gratiosa forma animæ & gratiosa eius perfectio. Patet ergo quomodo sine gratia non possumus nos sufficienter præparare ad gratiam. Nisi* Ad Ægid.

forte

fortè aliquis diceret, quod in potestate nostra est, facere quod in nobis est; & si faciamus quod in nobis est, Deus infundit nobis gratiam: Ergo possumus nos sufficienter mouere ad gratiam; sed vt patet per iam dicta, nisi præcedat diuina vocatio, & bonarum cogitationum à Deo immissio, quæ est quædam gratia, non possumus per liberum arbitrium nos sufficienter mouere ad gratiam. Ad istas ergo cogitationes non sumus sufficientes ex nobis, quasi ex nobis, quod sufficienter possimus nos mouere ad gratiam; sed ista sufficientia ex Deo est, primo nos ad gratiam mouente: & si sequamur liberi arbitrij motionem illam, postea nobis gratiam infundet, scilicet habitualem.

XI. Ad Scoti. Scoti etiam sententia à multis reijcitur; nam in 4. dist. 14. §. De 2. asseruit, peccatorem posse ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & id detestari cum debitis circumstantijs, ita vt talis detestatio, quam appellat attritionem, sit dispositio, siue meritum de congruo ad delectionē peccati mortalis. Potest tamen eius sententia explicari, ita vt per communem influentiam intelligat auxilium speciale præuenientis gratiæ, quod est communis influentia ordinis gratiæ. Et sic eum explicat Andreas de Vega, vt patebit infra: nam Scotus solum docere intendit ad illam attritionem, non esse necessarium habitum,

Quod attinet ad Caietanum, certum est, retractasse illam sententiam, quam Tomo primo Opusc. tenuit circa dispositionem ad gratiam. Etenim in 1. 2. q.109. Caietan. art.6. §. *Nec obstat,* docet illud commune dictum, Homo faciendo, quod in se est, disponit se ad gratiam, esse intelligendum de faciente, quod in se est, speciali auxilio gratiæ. Sic enim ait: *Et rursus de dispositione simpliciter accipiendo intelligitur, vt faciat quod in se est, motus specialiter à Deo, obsequendo scilicet motioni diuinæ, vt in responsione ad secundum auctor hic dicit, dicta sua in 2. sentent. ad meliorem sensum reducens, declarando, & addendo.* Et in calce articuli subdit. *Quemadmodum nihil natura sine Deo, vt principio naturali: ita nihil gratia sine eo, vt principio gratiæ, facere*

re

re possumus: ac per hoc, quia facere hominem, quod in se est, ita ut per hoc sit sufficienter præparatus ad gratiam (sic enim in proposito sumitur facere quod in se est) aliquid gratiæ est: ideò sine Deo, ut specialiter influit gratiam, quod est dicere sine speciali adiutorio Dei, non potest homo facere, quod in se est, & non potest præparare se ad gratiam.

Magister Sotus absque vllo fundamento refertur pro sententia contraria, cum nostram multis in locis expressè doceat. Et quidem art. 3. allegato ad primum ait, *Deum ob id Gentes condemnasse, quod Deum, quem naturali lumine cognouerant, non subinde qualiter ius natura iubebat, coluerint: quod si ius illud naturæ seruassent, Deus illis altiori fidei radio effulsisset, vt salui fierent.* Sed loquitur de seruantibus ius naturæ ex auxilio gratiæ, vt constat ex alijs eius locis, in quibus affirmat, hominem in natura lapsa non posse ex solis viribus sui arbitrij implere omnia præcepta naturalia, præsertim præceptum illud naturale dilectionis Dei super omnia, vt patet lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 21. conclus. 3. in §. *At dilectione Dei.* Et in §. *Igitur ad propositam quæstionem.* Vnde non potuit intelligere illam propositionem de seruantibus ius naturæ, siue omnia præcepta naturalia absque auxilio præuenientis gratiæ. Accedit quod idem Magister Sotus lib. 2. de Natura, & Gratia cap. 3. præsertim §. *Vt ergo*, illam propositionem, Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, explicat de faciente, quod in se est, ex auxilio gratiæ. Sic enim ait. *Fide, qua supra nos est, docemur, quod illud donum ita solus Deus largiatur nobis, vt nihil à nobis nos præstare possimus, ex quo donum illud necessitate vlla, certitudine, aut infallibilitate consequatur. Alias necessario subsequeretur, quod nos essemus aliquo modo illius causa.* Et paucis interiectis ait. *Lex nulla est conferendi gratiam, nisi ei, quem Deus ad se traxerit.* Et infra solutione ad secundum argumentum, agens de puero perueniente ad vsum rationis, docet, quod *licet forsan cognitio,* (qua nimirum cognosceret, vnum esse Deum, cui seruiendum est, quasi remuneratori bonorum, & malorum) *naturalis esse posset, motus tamen voluntatis*

XII. Sotus.

in Deum, qui vltima esset, & propria dispositio ad gratiam, nisi auxilio speciali non posset illi contingere. Et paulo inferius subdit, *quod facere hominem quod in se est, non intelligitur ante auxilium Dei, sed potius præueniente Deo. Tunc enim homo facit, quod in se est quando Deo inspiranti respondet cooperans, & tunc certissima lege consequitur gratiam.* Et cap. 4. explicans illam propositionem: Congruum est, vt quisquis naturalibus bene vteretur, Deus misericorditer subueniret: inquit, id esse congruum, non quidem operibus nostris, sed misericordiæ, & bonitati diuinæ. Sentit ergo, non esse legem à Deo statutam conferendi auxilia præuenientis gratiæ facienti, quod in se est, ex solis viribus naturæ, alias eadem auxilia non darentur ex misericordia, sed ex aliquali ratione iustitiæ, & ex debito fundato in eadem lege.

Vega. Andreas de Vega potius fauet nostræ sententiæ, quam oppositæ: nam lib. 6. super Concil. Trident. cap. 10 in fine ait, *quod nulla lex est statuta, secundum quam Deus aliquos peccatores vocare, & præuenire debet.* Et in capite 10. sequenti reputat pro certo, quod si esset lex de hoc statuta, illud bonum opus naturale haberet rationem meriti de congruo respectu donorũ gratiæ. Et in vtroq; capite sæpius repetit, quod Deus nos præuenit, & quod nos non præuenimus Deum, neque inchoamus salutẽ. Et quæst. 11. de iustificat. in solut. ad 3. pro Scoto sic ait. *Ad tertium vero argumentum, quod magis pungit, dicendum est, cum dicitur pœnitentiam posse innasci ex naturalibus, intelligitur, vt patet ex antecedentibus, & consequentibus posse innasci ex naturalibus hominis sine vllo habitu infuso, quod vnum ibi agebatur: non autem ex naturalibus sine auxilio Dei speciali, & ita etiam possunt, & debent exponi quæ S. Thomas in 2. dist. 28. art. 4. de his dicit, cum ait, ex solo libero arbitrio posse se hominem præparare ad habendam gratiam gratum facientem, quia faciendo quod in se est gratiam à Deo consequitur, & ita eum exponit optimus illius expositor, & defensor Caietanus in Commentariis 1. 2. q. 109. art. 6.* Et iuxta eam doctrinam explicanda sunt, & intelligenda, quæ in lib. 13. in Concil. Trident. cap. 12. allegato docuerat.

Non enim ait illo in loco, esse legem à Deo statutam conferendi certò, & infallibiliter auxilia præuenientis gratiæ facientibus totum, quod in se est, ex sola facultate naturæ, neq; asserit huiusmodi propositionem cum alijs qualitatibus cap. 5. nu. 2. explicatis. Vnde locus ille nullo modo fauet sententiæ, quam impugnamus.

Gerson loco citato in argumento potius fauet nobis; nam facere quod in se est, docet esse bene vti donis iam habitis, vbi per donum intelligit auxilium, seu donum naturæ super additum, vt patet ex tractatu de vita spirituali lect. 1. Alphabeti littera 9. vbi sic ait. *Sequitur postremo, quod non est in potestate libera voluntatis creatæ, facere aliquod bonum morale, aut gratuitum, nisi ex dignificatione voluntaria primæ legis.* Et paulo post. *Patet insuper, necessitatem ponendi gratiam esse necessariam ad omne bonum supra gratuitam largitionem bonitatis naturalis.* Et infra: *Dico igitur, quod sicut omnis actus positiuus habet conformitatem naturalem ad primam bonum, & ideò bonus est, saltem bonitate naturali: ita si ille actus sit liber, tantum habet de bonitate honestatis, quantum habet de conformitate ad primam honestatem. Sed istam conformitatem non potest elicere nuda natura voluntatis, nisi communicata sit sibi facultas, & gratia in producendo alia quam sit, illam solum respiciens substantiam actus, & non cæteras circunstantias, quemadmodum sunt circumstantiæ finis, & directionis, intentionis, & similes; ex quibus consequenter deducitur necessitas humiliationis nostræ ad Deum, & quod non glorietur ante eum præsumptio omnis carnis, nec opponat vltra magnificare se homo super terram.* XIII. Gerson.

Ioannes Dried. lib. de Concordia liberi arbitrij pag. 51. expressè loquitur de facientibus, quod in se est, non ex solis viribus naturæ, sed ex speciali auxilio præuenientis gratiæ. Sic enim ait in fol. 50. pag. 2. circa fin. *Proinde Doctores, cum dicunt, Deum homini quantum in se est facienti, non deesse super his, quæ sunt homini illi ad salutem necessaria intelligunt de homine, quantum in se est faciente, cælitus attracto ad accipiendam gratiam Dei. Sic Sanctus Thom. quod de facere quantum in se est in 2. sent. minus eruditè disseruerat, ad saniorem,* XIV. Driedo.

rem, & meliorem intellectum declarauit in 1. 2. & in commentarijs Epist. ad Rom. 9. *Paruulus baptizatus & furtim sublatus à Paganis, atque educatus inter illos primum ad adultam perueniens ætatem, si faciat, quantum in se est, non deerit forsitan illi Deus super his, quæ sunt illi ad salutem necessaria; sed hoc non oportet sic consequens esse de alio paruulo non baptizato, qui nondum habet Spiritum Sanctum inhabitantem, & custodientem omnem hominem iustum, quantum in se est, facientem. Verum tamen non perniciosè fallitur, nec in hæresim consentit Pelagij, si quis tam piè de diuina sentiens misericordia credat, se se ad accipiendum, seu obtinendum gratiam præparare, & ita neminem ex adultis sic esse derelictum per totum tempus vitæ suæ in solis naturæ talentis; aut si fuerit sic derelictus, eumdem per ea, quæ facta sunt, seu per mundi fabricam, posse assurgere ad cognoscendum ipsius Dei creatoris inuisibilia, ex qua cognitione, si quantum in se est faceret, vt Deum glorificaret, ad illumque pro remissione peccatorum suspiraret, illuminaretur intus, vel prouideretur sibi de magistro, qui eum quod oporteat facere, doceret: quemadmodum solet dici, contigisse in Cornelio Centurione actuum 10. Et in Maccacnibus actuum 16. quibus quantum in se est, facientibus, diuinitus erat prouisum de magistris*. Et infra explicans, qualiter qui docent Deum dare gratiam hominibus, quantum in se est, facientibus, non consentiant hæresi Pelagianæ, inquit. *Quia loquuntur de his, qui pro loco, & tempore cœlitus inuitati, intusque vocati, faciunt quantum in se est voluntariè consentientes diuino Spiritui reuelanti, & pulsanti, consentientes Euangelio non suis solis viribus, sed præuenti persuasione Sancti Spiritus*. Et refert se ad ea, quæ circa eamdem propositionem dixit in lib. de capt. & redempt. generis humani, & in cap. de præparatione ad gratiam, vbi expressè docet, illam propositionem esse intelligendam de facientibus, quod in se est, ex auxilio gratiæ. Etenim lib. de captiu. & redempt. generis humani 2. c. 5. tract. p. 1. fol. 123. in principio sic ait. *Dicitur aũt Spiritus Sanctus in nobis ingemiscere, postulare, seu orare, quia ipse in nobis est bonũ bonorũ operũ effector,*

ipse

ipse facit in nobis, vt nos hac faciamus. In his verificatur communis sententia, Deus *facientibus, quantum in se est, non deest in necessarijs ad salutem. Quemadmodum per omnem locum docent Scriptura, quibus significatur* Deus *protector, illuminator, & adiutor esse iustorum, prope esse inuocantibus, omnibus ad esse, benefacere bonis, & rectis corde, inueniri à quarentibus, aperire pulsantibus, & dare Spiritum bonum petentibus se.* Et infra fol. 126. pag. 1. lit. C. ait. *Proinde quod dicimus, Hominem facere, quantum in se est, trifariam potest intelligi. Vno quidem modo facere, quantum in se est, est facere quantum ipsa natura potest ex se, id est ex suis solis viribus a conditore natura insitis, non peculiariter attractis a* Deo Patre, *veluti adificare domos, plantare vineas, diligere benefactores, honorare parentes, non furtum facere, non mentiri, non falsum testimonium dicere. Et sic faciens, quantum in se est, neque meretur gratiam, nec ad acquirēdū gratiā se se praparat; quia ad habendū gratiā praparaē volūtas à Dño. Secūdo facere, quantū in se est, est pro tēpore, & loco facere quantū ipsa natura absq; habituali gratia dono pōt facere ex rationalis natura virib' peculiariter à* Deo Patre *ad initia fidei attractis. Et sic facieti, quantū in se est,* Deus *largitur initiū fidei, ex qua ēt valeat orare, inuocare, quarere, implorare* Dei *misericordiā. Et hic iam est primus rationalis anima tractus, qui est ponendus non tāquam generalis* Dei *fluxus, omnibus semper hominibus secūdū conditionē humanæ naturę iam post lapsum Adę debitus, quēadmodum ratiocinari, aut benefactores diligere, quod & iuxta Saluatoris doctrinā ethnici faciut; sed est peculiaris & gratuitus tractus, ante quem rationalis animus neque orare potest, vt trahatur, neque desiderare gratiam, qua iustus efficiatur. Hunc tractū etiāsi* Deus *ad saluandū hominē non daret, non iniuste ageret erga hominem miserum iam damnationi mortis obnoxium, & omni salutis auxilio indignum. Tertio modo facere, quantū in se est, est facere quantum natura adiuta fide desuper data potest facere pro remissione peccati, aut pro perseuerantia gratię impetranda. & sic* Deus *facienti, quantum in se est, dat gratiam. Verum sic facere, quantum in se est, non potest quisquam absque*

Psal. 143.

Matth. 5.

auxilio habitualis gratiæ. Pro gratia etenim desuper impetranda nemo facit quidquam, nisi ex agnitione, fiducia, & desiderio gratiæ. Agnoscere autem, & desiderare gratiam, non est absque dono habitualis fidei gratuitæ. Et his duobus posterioribus modis intellexerunt Sacræ Theologiæ interpretes, docentes, Deum illustrare, & gratiam facere his qui faciunt, quantum in se est, intelligentes eos facere, quantum in se est, qui vel ad impetrandam gratiam, vel ad perseuerandum in gratia faciunt, quantum possunt, ex his quæ in se præstò habent, vt cumque sentientes iam Dei tractum. Consulto hæc omnia verba Driedonis adduxi, vt constet perperam allegari pro sententia contraria. Vnde cum inquit, *id piè credi, nec perniciosè in eo errari,* loquitur expresse de sententia asserenti, Omni adulto aliquid gratuiti auxilij adesse, quo valeat se ad gratiam præparare. Non autem sentit facienti, quod in se est, ex sola facultate naturæ dari infallibiliter, & ex certa lege auxilium præuenientis gratiæ intuitu operum naturæ. Nam expresse in locis adductis dicit oppositum.

XV. Taper. Ruardus Taper art. 7. contra Lutherum pag. 348. alias 339. in impressione Louanij, eodem modo loquitur, quo Driedo, & fere eisdem verbis, vt patet ex eadē pag. 339. Et in pag. 141. explicans illam propositionem, Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, dicit cum Sancto Thoma, esse intelligendam de facientibus, quod in se est, speciali auxilio præuenientis gratiæ. Sic enim ait. *Propriè itaque, & simpliciter verum est de iusto, & etiam impio diuinitus attracto, quod nunquam ei Deus deest in his, quæ sunt ad salutem necessaria, & ideò communem hanc sententiam, quæ dicit, quod Deus adest facienti, quod in se est, in necessarijs ad salutem Sanctus Thomas in 1. 2. q. 109. art. 6. in solutione secundi argumenti, & in art. 3 q. 112. in solutione primi argumenti intelligit de faciente quod in se est, præuento per motionem diuinam. Et in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. & de Veritate quæst. 28 dicit, quod nemo facit, quod in se est, nisi affectu, & desiderio conuertatur ad Deum per spem, & amorem, & peccatum detestetur. Et Card. Caietan. in art. 6. q. 109. 1. 2. dicit, quod commune dictum, Homo facien-*

faciendo quod in se est, disponit se ad gratiam, intelligitur de dispositione, & præparatione non simpliciter, sed quantum est ex parte sua; & rursus de dispositione simpliciter accipiendo intelligitur, vt faciat quod in se est, motus specialiter a Deo, obsequendo videlicet diuinæ motioni: Vt Sanctus Thomas inquit dicta sua in secundo sententiarum ad meliorem sensum hic reduxit declarando, & addendo. Et pro eadem sententia adducit Taper Sanctum Bonauenturam 2. sent. dist. 28. art. 2. q. 1. in solut. argum. & Alexandrum de Ales q. 99. art. 3. ad sextum argumentum, & subdit hæc verba in pag. 342. *Doctores hac sententia vtentes citant Scripturas quæ loquuntur de iustificatis, vel saltem de fidelibus, aut attractis. His enim non deest in necessariis ad salutem procurandam, & progrediendum, modo iugiter orent, ne intrent in tentationem, vtque perficiat Deus quod incepit.* Taper.

Nec obstat id, quod ait ipse Ruardus art. 7. cit. pag. 345. in principio. *Non videtur gratiæ derogare, si quis dixerit, hominem ex solis ingenitis naturæ stimulis, se modo quodam præparare, aptumque facere, ad quem adiuuandum veniat Deus, præsertim si per lumen rationis internæ ad vnum Deum ex mundi fabrica suspirat.* Intelligendus enim est de dispositione valde remota, quæ non meretur propriè nomen dispositionis: sed est minor repugnantia sicut siccitas in ligno impropriè dicitur dispositio remota ad formam ignis, vt late ostendit ex Mag. Medina 1. 2. quæst. 109. art. 6. quæst. 3. conc. 3.

Ad Nicolaum de Orbellis respondetur per ea, quæ dicta sunt ad testimonium Riccardi. Orbellis.

Magister Victoria intelligendus est, & explicandus, sicut exposita sunt verba S. Thomæ, cuius sententiam ille sequitur. Victoria.

Ad Bartholomæum Medina respondetur, quòd ille expressè docet nostram sententiam in eadem solutione ad 3. & eam tribuit S. Augustino. Sic enim ait: *Probabilius est, & magis consentaneum Sanctis Patribus, præcipuè Augustino, non esse legem infallibilem, quod homini peccatori facienti, quod in se est, ex facultate naturæ* XVI.

tare continuo conferatur gratia. Nam si esset lex infallibilis, certè initium, & bona pars iustificationis esset ex nobis; profectò haberemus, quid respōderemus Paulo interroganti, Quis te discernit; nam possemus dicere, discernit me meum propositum, quoniam facio, quod in me est, ex facultate naturæ. Deinde si est lex infallibilis, quomodo definiunt Scriptura, & Concilia, hominem ex facultate naturæ non posse aliquid facere, quod ad vitam æternam sit vtile sine gratia Dei speciali? certè vtilissimum est ponere dispositionem ex facultate naturæ, ad quam infallibiliter sequatur gratia, & post modum gloria. Hæc Medina. Et pro eadem sententia allegat Augustinum lib. 4. contra Iulianum cap. 5. lib. de Natura, & Gratia à cap. 1. vsque ad 5. & cap. 67. & 68. & lib. 2. contra Pelag. & Cælestium cap. 26. & epist. 105.

Nec obstat, quod idem Magister Medina inquit, *Esse probabilem sententiam Doctorum, quod facienti, quod in se est, ex facultate naturæ, Deus ex sua misericordia nunquam denegat gratiam.* Per hæc enim verba non fauet sententiæ, quam impugnamus; etenim non dicit esse probabile, quod ex certa lege statuta, Deus det gratiam facienti, quod in se est, ex sola facultate naturæ; ita vt illa gratia detur propter opera naturæ, vel eorum intuitu. Nec etiam ait, esse probabile, quod idem actus solis viribus naturæ inceptus adiuuetur, & eleuetur à Deo per gratiam præuenientem, vt sit supernaturalis, & qualis ad salutem oportet. Nec rursus admittit, esse probabile, quod Deus, nisi præcedant opera naturę, eamdem gratiam conferre non solet. Solum ergo concedit illam propositionem esse probabilem in sensu cap. 5. num. 6. explicato; ita videlicet, vt opera naturæ concomitanter se habeant, & per accidens in ordine ad collationem primi Auxilij præuenientis gratię; sicut etiam Deus ex sua pietate, & misericordia præuenit sua excitante gratia eos etiam, qui ex facultate naturæ non faciunt, quod in se est, sed potius repugnant Deo; sicut excitauit illos, de quibus Actorum 7. dixit Stephanus: *Vos Spiritui sancto semper restitistis.*

Ex Mattheo Fælicio nihil speciale adducitur, ad quod oporteat respondere.

Ex

Ex quibus omnibus constat, illam propositionē Facientibus, quod in se est, Deus non denegat gratiam, intellectam communiter fuisse à Doctoribus Scholasticis, de facientibus, quod in se est, ex prioribus auxiliis præuenientis gratiæ. His enim Deus non denegat posteriora auxilia, quibus succelsiuè ad gratiam iustificantem disponantur, ac demum post iustificationem, si fecerint, quod in se est, virtute gratiæ iustificantis, & eorūdem auxiliorum præuenientis gratiæ saluti fiant. *Deus enim* (sicut ait Sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 13.) *nisi ipsi illius gratię defuerint, sicut cępit opus bonum, ita perficiet operans, velle, & perficere.* Concil. Trident.

His suppositis, quæ præmittere oportuit ad illam difficilem quæstionem de absoluta, & gratuita Dei prædestinatione ad gloriam ante præuisa merita gratię, consequenter agendum est de eadem prædestinatione, circa quam septem sunt per ordinem consideranda.

Primo. Quænam fuerit mens S. Augustini circa prædestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita gratiæ.

Secundo ex Sanctis Prospero, & Fulgentio ostendendum, Sanct. Augustinum sensisse, prædestinationem absolutam ad gloriam non pendere ex præuisis meritis gratiæ.

Tertio. Idem probandum rationibus Theologicis.

Quarto. Occurrendum obiectionibus contrariæ sententiæ.

Quinto: Soluendæ sunt obiectiones ex sacris Literis contra eamdem prædestinationem.

Sexto: Occurrendum est alteri obiectioni ex Patribus desumptæ.

Septimo: Adducendæ sunt, & confutandæ decem rationes Theologicæ, quibus probatur, prædestinationem absolutam ad gloriam pendere ex præuisis meritis gratiæ.



CAPVT VIII.

Vtrum prædestinatio absoluta ad gloriam secundum S. Augustinum facta fuerit ante præuisa merita gratiæ.

1. 
Vamuis ex his, quæ diximus disp. 37. & 110. de Auxilijs diuinæ gratiæ, constet de mente S. Augustini circa gratuitam prædestinationem ad gloriam; quia tamen nonnulli contendunt illum in sententiam alteram pertrahere, & eius testimonia, quæ apertissima sunt, in alienum ab eo sensum interpretari, visum est eadem in præsenti expendere, & obiectionibus, quæ in contrarium adducuntur, satis facere.

Primum ergo testimonium Sancti Augustini, quo probatur, prædestinationem absolutam electorum ad gloriam factam fuisse à Deo ante præuisa merita gratiæ, habetur libro de Corrept. & gratia cap. 7. Vbi sic loquitur: *Quicumque ergo ab originali damnatione ista diuina gratia largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant; & si quando exorbitant, correpti emendantur. Et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis huius vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ.* Et infra. *Ex istis nullus perit; quia omnes electi sunt, &c.* Et paulo inferius. *Illi ergo electi, vt sæpe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti. Horum si quisquam perit vitio humano, vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Et explicans ad quid fuerint electi, subdit. *Electi autem*

tem sunt ad regnandum cum Christo. Et infra explicans illud Ioann. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi & vnus ex vobis diabolus est?* *Illos*, inquit, *debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Quo nihil potuit clarius dici in fauorem electionis, & absolutæ prædestinationis ad gloriam ante omnia præuisa merita gratiæ. Et cap. 13. eiusdem libri sic concludit. *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam vsque in finem perseuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia saluatoris sui, siue cum conuertuntur, siue cum præliantur, siue cum coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam Sancta Scriptura testatur, vbi Sanctus Dauid de Domino Deo suo dicit animæ suæ, Qui coronat te in miseratione, & misericordia.* Psalm. 102 Quibus verbis, prædestinationẽ absolutã ad gloriam ex misericordia processisse, nõ ex præuisis meritis gratiæ apertissimè docet.

II. Quidam Auctor, vt his apertissimis testimonijs respondeat, supponit, scopum Sancti Augustini esse, docere omnia bona opera, & ipsam perseuerantiam non esse ex nobis, id est, nudis liberi arbitrij viribus, sed esse ex gratia, & dono Dei. Similiter discretionem à massa damnationis, & electionem ad gratiam iustificationis, & ad gloriam non esse ex operibus, sed ex gratia, & gratuita Dei misericordia. Vbi cum dicit, hæc non esse ex operibus, non excludit opera, vt sunt ex gratia: sed solum opera facta ante gratiam, & fortè opera gratiæ, qua parte sunt ex nobis. Nulla enim opera nostra, vt ex nobis sunt, merentur aliquid horum. *Leonard. Lessius de prædestin. & reprob. sect. 4 nu. 43. & seq.*

Hanc esse mentem Augustini probat. Primo; quia ipsemet ita explicat illud, *Non ex operibus*, cum ait: *Electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia illis est omne meritum.* Id est, non ex meritis gratiam præcedentibus; quia omne meritum illorum est gratia, siue ex gratia: Ergo electio gratiæ, seu gratuita non excludit merita, quæ sunt ex gratia: sed solum ea, quæ non sunt ex gratia. Sicut enim

Apostolus disputans, & refutans Iudæos, qui putabant, operibus legis deberi iustificationis spiritum, & consequenter vitam æternam, crebrò vtitur hac loquutione, docens, homines ad ista esse à Deo electos, non ex operibus legis: sed gratis electione gratiæ, secundum Dei propositum; quibus tamen verbis non intendit excludere fidem, spem, pœnitentiam, dilectionem, & similia bona opera, quæ iustificationis gratiam præcedunt: ita Aug. disputans cõtra Pelagianos, & Semipelagianos in simili errore versantes, eadem loquutione, & eodem sensu vtitur, nec intendit excludere opera gratiæ, præsertim quatenus ex gratia procedunt. Hoc ergo sensu rectè dicimur gratis electi ad gloriam, ad regnandum cum Christo: quia ex nullo opere nostro, vt nostrũ est; cum omne meritum operis sit ex gratia, non ex libero arbitrio.

III. Secundò; quia S. August. non solum loquitur de ordine intentionis, sed etiam exequutionis, sicut & Apost. Paulus. Non enim tantum voluit indicare, Deum hæc dona gratis intendisse, sed etiam gratis, & non ex operibus conferre. Ergo non loquitur de operibus ex gratia factis: nam fide tenendum est, horum operum in iustificatione, & glorificatione rationem haberi: sed de operibus solis liberi arbitrij viribus præstitis, de quibus erat controuersia inter August. & Pelag. & eorum reliquias.

Tertiò; quia scopus S. August. erat, Pelagian. errorem refutare; qui in eo situs non erat, quod putarent, homines eligi ad regnum ex operibus gratiæ, sed longe ab hac sententia discrepabant. Pelagianorum enim error erat, homines immediatè eligi ad regnum ex operibus naturæ, seu propter opera bona, solis naturæ viribus patrata. Semipelagianorum verò error erat, homines ex operibus naturæ eligi immediatè ad gratiam, & consequenter ad regnũ, siue ad gratiam, qua regnũ possent mereri, esse prædestinatos ex operibus naturæ, vt ex Epistola Prosperi, & Hilarij ad S. August. constat. Nunquam autem S. Augustino fuit cum Pelagio, aut aliquo alio quæstio de electione ad gloriam ex operibus per gratiam factis: sed de electione, & præparatione, quam

voca-

vocamus prædestinationem, & de electione ad gloriam ex meritis naturæ. Ergo gratuita electio apud Diuum Augustinum solum excludit opera naturæ, non gratiæ. Quidquid enim Deus pro gratiæ operibus retribuit, rectè gratia esse, & gratis donari dicitur, vt docet S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. & 11.

Quarto arguitur. Ex eo S. Augustinus probat, prædestinationem, & electionem Dei non esse ex præuisis meritis; quia gratia Dei, quæ ad omne meritū requiritur, non præuenitur à meritis humanis: sed omnia bona merita præuenit: Ergo in sententia S. Augustini probabiliter dici potest, quod prædestinatio ad gloriam sit ex præuisis meritis gratiæ, cum tamen asseratur, quod gratia ipsa absque vllis præcedentibus meritis datur.

Quinto. Nam S. Augustinus doctrinam, quam circa prædestinationem tradidit, sæpe docet esse tanquam de fide tenendam, & in Sacris literis expressam: sed certum est, nunquam Augustinum sensisse, pertinere ad fidem, electionem absolutam ad gloriam esse factam absque intuitu meritorum procedentium ex gratia: etenim ipsa gloria est decreta ob merita, quæ sunt gratiæ dona: Ergo iuxta sententiam Augustini, dicendum est, prædestinationem absolutam ad gloriam esse ex præuisis meritis gratiæ.

Sexto S. Augustinus lib. de Dono Perseuerantiæ cap. 14. definit prædestinationem, quod sit *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Sentit ergo, prædestinationem absolutam ad gloriam pendere ex præscientia meritorum gratiæ: Ergo secundum Augustinum prædestinatio absoluta ad gloriam non fuit facta antecedenter ad præscientiam meritorum gratiæ. Augustin.

Septimo. In sententia S. Augustini, idem est, mereri gratiæ collationem, & mereri gratiæ prædestinationem, seu electionem ad gratiam. Ergo secundum eundem Augustinum, idem est, mereri gloriæ collationem, & mereri prædestinationem ad gloriam: sed prædestinati per bona opera procedentia ex gratia merentur collationē gloriæ, vt sæpe docent Scriptura, & Patres. Ergo per eadem bona opera merentur secundum Augustinum præ-

de-

destinationem absolutam ad gloriam. Ergo talis prædestinatio pendet ex præuisis meritis gratiæ. Aliæ rationes, quibus probatur, prædestinationē ad gloriam ex præuisis meritis gratiæ esse de mente s. Augustini cap. 15. & seqq. huius lib. attingendæ sunt, & soluendæ.

HÆc tamen sententia non videtur doctrinæ Sancti Augustini cōformis, sed ab ea prorsus aliena; quia Sanctus Doctor, non solum electionem ad gratiam, sed etiam electionem immediatam ad gloriam, docet fuisse à Deo misericorditer factam ante præuisionem meritorum: id quod ex testimonio præallegato sufficienter colligitur. Primo; nam ait, quòd *ex prędestinatis nullus perit; quia omnes electi sunt*, vbi illa causalis; *quia*, causam importat, ex qua procedit, quòd prædestinatus non cadat in peccatum; vel si cadit, resurgat, perseueret in gratia, & saluetur. Horum autem effectuum causam dicit esse electionem diuinam. Ergo secundum Augustinum gratuita electio, nedum ad gratiam, quę in præsenti confertur: sed etiam ad gloriam, qua in futuro seculo perfruuntur beati, præcessit in signo rationis omnia merita præuisa; causa enim pręcedit suum effectum. Id ipsum confirmant illa verba subsequentia, *Nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus*. Vbi illa causalis *quia*, ad diuinam electionem, vt ad causam primam, & ad omnipotentiam Dei, cui nihil potest obsistere, reuocat, vt ad primam radicem, quod prædestinati non pereant, sed vitam consequantur æternam. Secundo; nam iuxta doctrinam Sancti Augustini, Deus ideo præsciuit, seu præuidit futura merita electorum, quoniam prædestinauit, vt per liberum arbitrium fierent, vt patet ex libro de prædestinatione Sanctorum cap. 17. vbi ait: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prędestinatione, in qua Deus sua futura facta pręsciuit: electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prędestinauit, impleuit*. Et cap. 10. *Prędestinatione quippe Deus ea pręsciuit, quę fuerat ipse facturus. Vnde dictum est, Fecit, quę futura sunt*. Quibus verbis respondet quæstioni sibi à sancto Prospero in sua epistola propositæ: *Vtrum præscientia Dei ita secūdum propositum maneat, vt ea ipsa, quę sunt proposita, sint accipienda præscita &c.*

An

An vero uniformiter, licet diuidi prascientia à proposito temporali distinctione non posit, pręscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia diuina pręuenerit: ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit. Cum ergo Sanctus Augustinus respōdeat, præscientiam futurorum meritorum subniti proposito Dei prædestinantis, atque in illo fundari, relinquitur, illum apertè sensisse, prædestinationem electorom ad gloriam non fuisse factam ex præuisis meritis gratiæ, nec ea in signo rationis præsupponere. Tertio; nam Sanctus Augustinus in ipso contextu illius capitis 17. pluries dicit, se loqui de electione ad gloriam, quam ait non esse ex præuisis meritis: & lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. explicat locum illum ad Ephes. 2. *Elegit nos in ipso*, &c. de electione ad gloriam. Ephes. 2.

VI. Solutio.

Sed dicunt, Augustinum esse intelligendum de meritis procedentibus ex solis viribus naturæ, non autem de meritis in gratia fundatis. Contra hanc solutionem est efficacissimum argumentum. Nam Semipelagiani, contra quos Sanctus Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseuerantiæ conscripsit, asserebant, prædestinationem ad gloriam pendere ex præuisis meritis gratiæ, vt refert Sanctus Hilarius epist. ad Augustinum, cum ait: *Cæterum ad nullum opus incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Idem refert Sanctus Prosper Epistola ad Augustinum. *Hæc* (inquiens) *ipsorum definitio, ac professio est: Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari. Vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicumque ad fidem, & ad baptismum ascendere voluerint salui esse possint. Qui autem credituri sunt, quiue in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiā sit iuuanda, mansuri sunt, prascisse ante mundi constitutionem, Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Ideoque omnem hominem ad credendum, & ad operandum diui-*

Arg. effic.

Massiliens. sent. circa prædestinationem.

nis

nis institutionibus admoneri, & de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata. Expendantur illa verba, *quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit*, quibus euidenter ostenditur, Semipelagianos sensisse, absolutam electionem, & prædestinationem ad gloriam pendere ex præuisis meritis subsequentibus vocationem gratuitam, & ex præuisione perseuerantiæ vsque in finem. Vnde idem Sanctus Prosper circa finem eiusdem Epistolæ precatur Sanctum Augustinum, vt hanc difficilem dirimat quæstionem. *Illud* (inquiens) *etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quid retractatis piorum de hac re opinionibus penè omnium par inuenitur, & vna sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit; quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit. Sub ipso gratiæ adiutorio*, inquit, *non ex solis viribus naturæ.* Cum ergo S. Augustinus respondeat, merita electorum, & perseuerantiam in illis vsque in finem, non solũ esse præuisa, sed etiam prædestinata à Deo, & propterea præscita esse, quia prædestinata, relinquitur illum sensisse, prædestinationem ad gloriam non fuisse ex præuisis meritis, nedum ex solis viribus naturæ procedentibus: sed nec etiam ex auxilio præuenientis gratiæ. Accedit, quod, vt idem S. Augustinus lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 1. refert, Massilienses, contra quos disputabat, *peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse, consentiant.* (Augustin.)

VII. *Massiliens. quod initiũ grat. constituerunt in natura.*

Si dicatur, Massilienses posuisse initium fidei esse ex nobis, ac per consequens asseruisse, prædestinationem esse ex præuisis meritis fidei, quæ habetur ex solis viribus naturæ; Contra hoc arguitur; nam initium fidei, quod Massilienses constituerunt in natura, erat petere, & desiderare ipsam fidem, vel actus quidam imperfectus, quo propter diuinam auctoritatem, seu reuelationem

nem assensu merè naturali credebant, vera esse, quæ proponebantur credenda, quem assensum naturalem Deus statim sua gratia fouebat, vt esset supernaturalis, & qualis ad salutem oportet, id quod indicant verba illa Prosperi epistola ad Augustinum: *Quem bona appetentem gratia Dei foueat.* Et alia quæ disput. 2. de Auxilijs num. 11. & 12. adducta sunt. Hoc autem initium etiam videtur constituere in natura Auctor sententiæ contrariæ. Nam in §. *Dices*, obijcientibus, *Liberum arbitrium circa supernaturalia nihil posse conari, nisi ante diuinitus per sanctam inspirationem præuentum fuerit*, Respondet, *Non posse quidē conari eo modo, sicut oportet, idest conatu & actu tam perfecto, & sancto, vt gratia iustificationis ei conferatur, vt rectè definit Conc. Trident. sess. 6. can. 3. aut etiam, vt fidei ei infundatur: nihil tamen vetat, quin possit conari actu imperfecto, & insufficienti.* Et in §. *Ex his*, admittit, *Deum se huic conatui inserere, & inspirare auxilium præueniens, quo possit perfectius conari, quam per vires natura ante conabatur.* Quam sententiam cap. 6. latius impugnaui. *Lessius lib. de grat. efficaci cap. 10 nu. 3. & 4. & sequent.*

Præterea est argumentum contra eamdē solutionem. Discretio prædestinatorum à reprobis non procedit ab ipso fidei initio, nisi quatenus coniungitur cum fide perfecta, & pijs operationibus, & cum perseuerantia vsque in finem, quia fides prædestinatis, & reprobis est communis. Vnde non qui cœperit credere, *sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:* Ergo cum Sanctus Augustinus impugnat Massilienses, quod asseruerint, Prædestinationem esse ex præuisis meritis, voluit excludere etiam merita gratiæ, quæ sequuntur primam vocationem. Probatur consequentia; nam (vt dictum est) Semipelagiani admiserunt post primum initium & inchoationem fidei ad fidem perfectam, & ad omnia pietatis opera, atque ad perseuerandum in illis vsque in finem esse necessariam simpliciter gratiam præuenientem vocationis, & excitationis diuinæ; ac per consequens senserunt, omnia merita, quæ sequuntur primū fidei initium, ea præsertim, per quæ prædestinati discernuntur à reprobis, fundari in gratia: Ergo cum asseruerunt, prædestinationē esse ex præuisis meritis, id intelle- *Argumēt.* *Matth. 10. & 24.*

tellexerunt de meritis in gratia fundatis.

VIII. Lessius de grat. effic. c. 10. nu. 2.

Sed obijciunt Sanctum Prosperum Epistola ad Augustinum, vbi Massiliensium referens errorem, sic ait: *Quidam verò horum à Pelagianis semitis in tantum non declinant, vt cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur (ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur) ad conditionem hanc velint uniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem (quia nec existentem) liberi arbitrij, & rationalis gratia creatoris instituat, vt per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire, per naturalem scilicet facultatem, petēdo, quærēdo, pulsando, vt ideo accipiat, ideò inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè vsus est, vt ad istā saluantē gratiā initialis gratiæ ope meruerit peruenire.*

Respondetur, Sanctum Prosperum non asserere, omnes Massilienses id sentire, sed quosdam; ait enim; *quidam verò horum.* Nam de alijs Massiliensibus iam in eadem Epistola sermonem fecerat; affirmaueratq; eos sensisse, prædestinationem esse ex præuisis meritis gratiæ, vt patet ex verbis superius inductis, & ex his, quæ disputat. 2. de Auxilijs dicta sunt: vbi errorem Gallorum, præsertim Cassiani, & Fausti circa necessitatem gratiæ, & naturalem facultatē nostri arbitrij retulimus.

Inter Massiliens. qualis fuerit differentia

Augustin.

Secundus locus Sancti Augustini, ex quo electio, & prædestinatio ad gloriam ante præuisa merita comprobatur, est in libro de Dono Perseuerantiæ cap. 8. vbi interroganti, cur in eadem massa me potius, quam illum puniet, aut illum, quam me potius liberabit? respondet in hęc verba: *Hoc non dico, si quæris, quare; quia fateor me non inuenire quid dicam. Si & hoc quæris, quare; quia in hac re, sicut iusta est ira eius, sic & magna est misericordia eius, ita inscrutabilia iudicia eius. Adhuc pergat, & dicat, cur quibusdam, qui eum coluerunt bona fide, perseuerare vsque in finem non dedit. Cur putas, nisi quia non mentitur, qui dicit, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Quibus verbis perseuerantiam

1. Ioan. 1.

tiam

tiam in bonis operibus vsque in finem effectum esse docet consequutum ex electione, seu prædestinatione ad gloriam, quod magis explicat in processu eiusdem capitis, cum ait. *Ex duobus itaque paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille aũt, aut nõ ita vocetur, aut nõ ita vocetur, vt vocãtẽ sequatur inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse prædestinatum, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, mansissent vtique nobiscum.* Ecce ait, perseuerantiam vsque in finem procedere ex electione absoluta, & prædestinatione ad gloriam, & cum illa esse infallibiliter coniunctam. Sentit ergo, prędestinationem ad gloriam non esse ex pręuisione perseuerantię vsque in finem, neque eam pręsupponere in signo rationis pręcognitam à Deo: sed potius ad ipsam Dei gratuitam electionem, & prędestinationem subsequi, tanquam effectũ ad causam efficientem. Nec potest Sanctus Augustinus explicari de sola prędestinatione, aut prædestinatis ad gratiam; quia nomine electorum, vel prædestinatorum, cum in sacris Litteris, aut Patribus hęc nomina absolutè proferuntur absque vllo additamento, intelliguntur electi, & prędestinati, nedum ad gratiam, sed etiam ad gloriam, vt patet ex illo Matthęi 24. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Etenim prędestinati ad solam gratiam non dicuntur absolutè, & simpliciter prędestinati, sed secundum quid, sicut secundum quid dicuntur scripti in libro vitę, vt prima parte quęst. 24. art. 3. in corpore dicit Sanctus Thomas.

Perseuer. vsque in finem procedit ex prædestinatione diuina. Rom. 11.

Prædestini simpliciter qui dicantur. Matth. 24.

IX.

Huic testimonio Sancti Augustini respondet Auctor, non fauere illi absolutę electioni ante pręuisa merita, & assignat rationem; *quia si Augustinus agnosceret talem electionem, non dixisset, esse inscrutabile iudicium Dei, quod hic paruulus baptizetur, ille non baptizetur:*

Less. sect. 4. de præd. & rep. nu. 45.

quod iste impius ita vocetur, vt sequatur, iste non vocetur, &c. In promptu enim causam habuisset, quod iste sit electus ante omnem præuisionem futurorum, ille non sit electus. Ex hac enim electione prouenire, vt Deus res omnes sic gubernet, vt iste saluetur, ille non saluetur. Vt autem assignet rationem, propter quam Sanctus Augustinus docet nobis, id esse inscrutabile, subiungit: *Quod ergo ex duobus paruulis alteri procuretur baptismus, alteri non procuretur, potest prouenire, vel ex eo, quod Deus ex communi cursu rerũ, quod ita euenturum præuidet, nihil velit mutare, sed sinere res agi suis motibus, vel quia circa illum habet peculiarem curam, quam non circa istum, idque ob preces, & merita parentum aut aliorum, vel ex suo beneplacito, quo inæqualiter gratias suas distribuit, vel vt puniat parẽtes eius, qui ante baptismum moritur. Denique plurimæ possunt esse huius rei causæ, vt merito parentes debeant esse sollicitï, & hoc negotium magno studio* Deo *commendare.*

Præterea id confirmat; quia *si hoc totũ discrimen proueniret ex electione, & reprobatione, non deberent parentes esse sollicitï, sed* totum esset Deo permittendum. Si enim paruulus est electus, nemo eius baptismũ impediret: si non est electus, nemo efficiet, vt *illum obtineat.* Ait ergo nobis in particulari esse inscrutabile, quæ prædictarum causarum Deum mouerit, vt res ita regeret, aut sineret agi, sicut præsciebat futurum, vt alter baptizaretur, alter minimè.

X. Eodem modo philosophatur de vocatione diuina comparatione adultorum. Quærentibus enim, cur hunc vocet, illum non vocet? aut non ita vocet, vt sequatur? Respondet, quod ratio huius potest esse multiplex. Primo; quia ille pauciora habet impedimenta, cum sit pauper, humilis, imbecillis, multis obnoxius incommodis, nihil, vel parum habens in sæculo, quod illum detineat: tales enim facilius diuinam vocationem sequuntur. Qui vero multis sæculi vinculis sunt impliciti, diuitijs, honoribus, voluptatibus, fortiore, & rariore egent vocatione; vnde fit, vt alijs sequentibus, & fidem, ac iugum Christi amplectentibus, hi in infidelitate, vel peccatis suis permaneant. Secundo ex inge-

Idem loco cit. §. Pari modo.

nij

nij naturalis præstantia. Vt enim ait Diuus Augustinus libro de Bono Perseuerantiæ cap.14. habent quidam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa cõspiciant.] Tertiò preces aliorum fusæ pro hoc, non pro illo: item merita parentum. Quartò minora peccata, vel bona opera facta ex inspiratione diuina ante vocationem ad fidem. Hæc enim interdum possunt esse ratio, cur Deus efficacius hunc vocet, quam illum. Quintò; quia Deus etiam ex suo mero beneplacito dona sua inæqualiter distribuit, cum non omnes æqualiter amet, &c. Quam autem ex omnibus Deus spectauerit in illo discrimine, nobis pariter est inscrutabile. Idem dicendum esse ait *de Dono Perseuerantiæ*, cur huic detur, illi non detur; nam & huius discretionis multiplex potest esse ratio, sicut dictum est de vocatione. Sæpe enim illud pendet à re modica, ab aliquo peccato veniali, distractione, minori consideratione, &c.

XI. Hæc explicatio Sancti Augustini videtur ab eius mente prorsus aliena, & multa in confirmationem eiusdem explicationis afferuntur, quæ non modicam difficultatem habent. Nam prima illa ratio auctoris, ex qua prouenire ait, quod vni paruulo applicetur baptismus ante quam moriatur, alteri non applicetur; nẽpe, quia Deus ex communi cursu rerum, quod ita euenturum præuidet, nihil velit mutare, sed finere res agi suis motibus, non videtur vllo modo admittenda, & impugnari potest. Primo; nam illam reijcit expressis verbis Sanct. Augustin. lib.1.de peccatorum meritis, & remissione cap.21. & lib. de Dodo Perseuerantiæ c.12. *Nec enim*, inquit, *fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire; cum sit vtrisque causa communis: aut res humanas in paruulis, non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales, vel damnandæ, vel liberandæ sint animę, quandoque nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in cœlis est; aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quod paruuli sine baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia: tanquam ipsi, qui hoc modo male-*

Quod baptismus applicetur vni paruulo non alteri, vnde proueniat.

Augustin.

Matth.10.

mo-

moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint. Et cap. 7. de Correptione, & Gratia superius allegato ait, *quod prædestinatis procuratur audiendum Euangelium.* Ex quo infertur, quod etiam paruulis prædestinatis procuratur ex Dei speciali cura, & prouidentia regenerationis Sacramentum, vt per illud ad regnum cœlorum perueniant. Non ergo reuocandum est ad communem cursum rerum à Deo præuisũ, quod iste paruulus baptizetur antequam moriatur, sed ad gratuitam Dei electionem, & voluntatem, qua nexum secundarum causarum ita disposuit, vt per eas paruulus prædestinatus recipiat Sacramentũ baptismi, antequam moriatur: reprobis autem non præparauit, neque ita disposuit nexum earundem causarum, vt antequam expirarent, Sacramentum regenerationis reciperent. Vnde idem Augustinus Epistola 107. ad Vitalem ait. *Multi salui non fiunt, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, quod sine vlla caligine monstratur in paruulis.* Secundo; nam alias, vt ait Augustinus libro de Dono Perseuerant. cap. 12. sequeretur, fato, & fortuitis casibus prædestinationem, & reprobationem paruulorum esse subiectam, quod non potest admitti; quia (vt disput. 22. 23. & 29. de Auxilijs, ostensum est) Deus non solum præsciuit, sed etiam præuoluit, & præordinauit in particulari omnes effectus futuros, qui non habent rationem culpæ. Imo ex eo Deus præsciuit, tales effectus esse futuros, quia præordinauit, vt fierent. Ergo necesse est dicere, Deum non solum præuidisse ex communi cursu rerum istum paruulum esse baptizandum, antequam moriatur, non autem illum; sed etiam id suo æterno, & absoluto decreto præordinasse.

Augustin.

XII. Secunda ratio, ex qua prouenire putat, quod vnus paruulus baptizetur, non alius, lubrica est, & diuersos potest sensus habere. Cum enim ait, id prouenire, *vel quia circa istum paruulum habet Deus peculiarem curam quam non circa alterum*, idque ob preces, & merita parentum, aut aliorum, vel ex suo beneplacito, &c. plures inuoluit rationes. Et quidem, si intelligat, id prouenire ex speciali cura, & prouidentia Dei, qua mi-

misericorditer voluit huic paruulo subuenire, & ordinare, vt per preces, & merita parentum perueniret ad baptismum, ita videlicet, vt eiusmodi preces, vel alia media, quibus applicatur baptismus, fint effectus prædestinationis paruuli, consentit nobiscum, & cum doctrina Sancti Augustini. Sicut enim oratio Stephani effusa pro Paulo fuit effectus prædestinationis Pauli, eo quod Deus præordinauit propter orationes Stephani Paulum conuertere, secundum illud Augustini, *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum Apostolum non habuisset*: ita etiam propter merita parentum Deus paruulum conseruat quousque sacramentum baptismi ei applicetur: sed eiusmodi merita præuisa, secundum quod dicunt ordinem ad salutem paruuli, non sunt causa prædestinationis eius, neque conditio, à qua prædestinatio eiusdem paruuli in ratione absolutæ prædestinationis dependeat, sed potius sunt effectus illius. **Aug. serm. I. S. Stephani.**

Altera ratio, quæ subiungitur, scilicet, id prouenire, ex beneplacito Dei, quo inæqualiter gratias suas distribuit, efficacissima est, si sane intelligatur; ita videlicet, vt vni paruulo Deus velit applicari baptismum, & facere illi hanc gratiam, vt per illum ante adultam ætatem morte interueniente ad vitam æternam perueniat: non autem alteri. Hanc enim rationem sæpissimè reddit Sanctus Augustinus, vt patet ex locis inductis, & præsertim libro de Dono Perseuerantiæ cap. 8. vbi in huius confirmationem adducit illud Matthæi 20. *An non licet mihi, quod volo, facere.* Quem locum expendens, sic ait: *Recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laborauerunt, & eos qui hora vna. Nempe causa diuersa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Nunquid & hic audierunt murmurantes a patre familias, nisi hoc, volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla esset iniquitas: & isti quidem vtrique in bonis sunt, verumtamen, quantum ad iustitiam spectat, & gratiam, potest & de reo, qui liberatur, dici: Volo: Potest, & de eo, qui damnatur: tolle quod tuum est, & vade. Huic autem volo, quod non debetur, donare. An non licet mihi facere quod* XIII. **Augustin.** **Matth. 20.**

volo?

velo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? Hic ille si dicat, cur non & mihi merito audiet: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Neque ex hoc sequitur, parentes non debere esse sollicitos de salute paruuli prædestinati; sed potius sequitur oppositum. Nam Deus prædestinauit, vt per orationes, & sollicitudinem parentum consequeretur paruulus remedium contra originale peccatum, antequam moriatur.

Rom. 9.

XIV. Ex his facilè impugnari possunt aliæ rationes, ex quibus prouenire ait, quod istum vocet, illum non vocet, aut non ita vocet, vt sequatur. Prima ratio, quæ assignatur; quia nimirum ille, qui vocatur, habet minora impedimenta; excluditur à Sancto Augustino lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. circa finem, vbi ait. *Certe ita occulta est hæc electio, vt in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit: aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nisi, vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque; addamus, si placet, honestas, vtilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit, qui minimis peccatis irretitus, atque maculatus; nam nullis, quis potest? & acer ingenio & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit, vt confundat fortia; & stulta mundi, vt confundat sapientes, vt eum intuens, & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdã peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne aduertimus, multos fideles nostros ambulantes viam Dei ex nulla parte ingenio comparari, nõ dicam quorundam hæreticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus, quosdam homines vtriusque sexus in coniugali castitate viuentes sine querela, & tñ, vel hæreticos, vel paganos, vel et in vera fide, & vera Ecclesia sic tepidos, vt eos miremur meretricũ, & histrionum subito conuersorum non solum patientia, & temperantia, sed etiam fide, spe, & charitate superari?* Et libro primo de Peccatorum meritis, & remissione cap. 22. explicans illud ad Romanos 9. *Vt secundum electionem propositum*

Aug. loc. ad Simplicianum expenditur.

Rom. 9.

situm

situm Dei maneret non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c. Vnde fit, inquit, *vt homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras prouectior, aptiorque consurgat; & tamen eo loco sit, vbi ei prædicari gratia Christiana non possit; quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Rom. 3. *Alius autem tardus ingenio, libidini deditus, flagitijs, & facinoribus coopertus, ita gubernetur, vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter viuat. Vbi duo isti tam diuersa merita contraxerunt, non dico, vt iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis, sed vt iste audiat, quod credat, ille non audiat? Hoc enim non est in hominis potestate. Vbi* (inquam) *hæc tam diuersa merita contraxerunt?* Quibus verbis omnes fere rationes superius tactas excludit, & ad solum diuinum beneplacitum, & electionem gratuitam, tanquam ad primam radicem, & causam, reuocat, quod ex duobus hominibus, vnus audiat Euangelium, credat, piè operetur, & perseueret, altero in infidelitate sua, aut peccato permanente. Affirmatque, Deũ in distributione suæ gratiæ nullum habere respectum ad ingenij naturalis præstantiam, neque ad minora peccata, vel ad bona opera facta ex solis viribus naturæ, ante omne auxilium præuenientis gratiæ. Nec oppositum dicit cap illo 14. citato de Dono Perseuerantiæ, sed potius confirmat nostram sententiam; nam in verbis inductis loquitur conditionaliter: conditionalis autem nihil ponit in esse. Non enim ait, quod habenti maius ingenium detur auxilium præuenientis gratiæ, aut quod ex tali qualitate ingenij proueniat, quod conuertatur, aut perseueret cum eodem auxilio, cum quo alter, qui est rudioris ingenij, non conuertitur. Id enim esset reducere vltimatè discretionem iusti à peccatore, prædestinati à non prædestinato, ad aliquid naturale, quod sæpius reprobat Augustinus locis inductis: sed solum ait, quod si habentibus illud munus naturaliter intelligentiæ, proponerentur signa, vel audirent verba

suis mentibus congrui, mouerentur ad fidem, & id intelligit de motione morali, quantum est ex parte exterioris propositionis obiecti, vt disput. 83. de Auxiliis nu. 16. explicatum est, & in hoc lib. cap. 2. nu. 3. & 4. Sed tamen immediatè ante verba illa inducta, *Ex quo apparet, &c.* præmiserat, quod, *quia vt crederent, non erat eis datum etiam vnde crederent, est negatum.* Et in discursu eiusdem capitis totam discretionem credentium à non credentibus, electorum à reprobis, refert ad gratuitam Dei prædestinationem, cum ait: *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sydoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa, vidissent: sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: nec istis obfuisset, quod non poterant credere, si prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Et infra. *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est: non autem faciunt, siue audiant, siue non audiant, quibus non datum est.* Sed de hoc testimonio S. August. plura dicta sunt superius cap. 2. num. 3. & 5. quæ recolere oportet.

CAPVT IX.

Ex Sanctis Prospero & Fulgentio ostenditur, Sanctum Augustinum sensisse Prædestinationem ad gloriam non esse ex præuisis meritis gratia.

1. Icet ex supradictis satis constet de mente Sancti Augustini, visum est tamen ad maiorem confirmationem eorum, quæ dicta sunt, quædam testimonia Sanctorum Prosperi, & Fulgentij, qui veram intelligentiam doctrinę eiusdem S. Doctoris sunt assequuti, in præsenti adducere, & expendere, ex quibus gratuita prædestinatio ad gloriam ante præ-

nisa

uisa merita gratiæ corrobari possit, eamque esse de mente Sancti Augustini, deduci. Sanctus Prosper respondens ad excerpta Genuensium post multa, quæ circa electionem, & prædestinationem gratuitam ante præuisa merita dixerat in defensionem libri de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseuerantiæ, proponit dubium nonum Genuensium in hæc verba. *Nunc iam quod sequitur, quale sit videamus: sed aiunt, vt scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesia audientibus multis: ita se habet de prædestinatione definita scientia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel accepta perseuerantia, permanéatis in fide. Cæteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratia miserantis erexit. Verumtamen, si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis, & sitis electi. Et si qui obeditis si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis.* Cui obiectioni occurrit Sanctus Prosper ostendens illa verba, *Et si qui obeditis, si præsciti estis reijciendi, subtrahentur obedientię vires, vt obedire cessetis,* non esse Sancti Augustini, sed ab obtrectatoribus ex eius doctrina male deducta, & id probat ex eodem Augustino cap. 22. de Dono Perseuerantiæ. Vnde in calce eiusdem dubij in defensionem prædestinationis traditæ ab eodem Augustino sic concludit. *Quamuis enim nunquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit, horruerit, pia tamen, constantique doctrina abundanter probauit prędicandam esse Ecclesia prędestinationem, in qua est gratię præparatio, & gratiam, in qua est prædestinationis effectus: & præscientiam Dei, qua ante sæcula æterna, quibus esset collaturus sua dona, præsciuit. Cuius prædestinationis, quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adiutor.* Et Epistola ad Ruffinum post medium, agens de discretione infantium prædestinatorum, & reproborum, sic ait. *Inter saluatos paruulos, & non saluatos paruulos, quæ meritorum potuit esse discre-*

S. Prosper sententia circa gratuitam prædestinat. ad gloriam.

Aug lib. 2. cap. 15. de Dono Perseuerant.

tio? quid istos introduxit in Regnum Dei? quid istos exclusit à Dei Regno? Equidem si meritum consideres, non vna pars saluari meruit, sed vtraque damnari; quia omnibus in Adæ præuaricatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super vniuersos inculpata iustitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa, vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur; modo confiteamur neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari. Quibus verbis discretionē vnius paruuli ab altero non ad merita, vel orationes parentum, non ad cursum causarum naturalium: sed ad gratuitam Dei electionem, & prædestinationem docet, esse referendam. Loquitur autem de causa particulari, vel ratione illius discretionis tenente se ex parte nostra; & hanc dicit, sine fidei diminutione nesciri, & supra facultatem humanæ conditionis inquiri, innuens reuera inueniri non posse. Vnde Sanctus Thomas, qui mentem Sancti Augustini, & aliorum Patrum, præsertim circa prædestinationem, & gratiam penetrauit, ex mente eiusdem Augustini, nullam aliam prædestinationis ad gloriam rationem assignat, nisi diuinam voluntatem, dum ait: *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem.*

S. Thom. 1. p. q. 23. art. 5 ad 3.

II.

Fulgentij sent. circa gratuitam prædestin. ad gloriam

Idem confirmant plura testimonia Sancti Fulgentij, qui Sanctorum Augustini, & Prosperi fuit discipulus: & doctrinæ eorūdem Patrum fidelissimus defensor, & propugnator acerrimus, præsertim circa prædestinationē, & gratiam. Is enim lib. 1. de Prædestinatione ad Monimum §. Quantum igitur: *Prædestinationis,* inquit, *nomine, non aliqua voluntatis humanæ coactitiæ necessitas exprimitur, sed misericors, & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prędicatur.* Et infra explicans illud. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,* inquit. *Si ergo in his causa prædestinationis quęratur, non vtique alia; sed sola gratuita Dei misericordia reperitur.* Et post pauca. *Deus itaque omnia hominum opera, siue bona, seu mala præsciuit, quia eum latere nihil potuit. Sed sola bona prædestinauit, quę se in filijs gratiæ facturum esse præsciuit: mala vero futura opera illorum,*

Pagin. 12. in Impressione Basil.

Pagin 44. versiculo Deinde attendamus.

Pagin. 51

quos

quos non prædestinauit ad regnũ, sed ad interitum, præsciuit potentissima deitate & ordinauit prouida bonitate. Et in subsequentibus ostendit opera meritoria, per quę prædestinati ad vitam perducuntur æternam, non solum esse à Deo præscita; sed etiam prædestinata. Et quantum ad hoc constituit differentiam inter peccata, & bona opera, quod illa præscita sunt à Deo, sed non prædestinata: hæc vero, & præscita sunt, & prædestinata. Quod in fine eiusdem libri V. ad Monimum circa obiectionem 15. confirmat ex verbis illis Sancti Prosperi. *Dubium non est, sine vlla temporali differentia Deum, & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda, præcise autem tantummodo non etiã prędestinasse, quæ non ex ipso erant causã operationis habitura.*

Denique in libro de Incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 31. eamdem doctrinam multis, & elegantissimis verbis confirmat. Nam in principio eiusdem capitis sic loquitur. *Quo circa illos omnes, quos Deus vult saluos fieri, sic intelligere debemus, vt nec aliquem putemus saluari posse, nisi volente Deo; nec exsistimemus, voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim, quos Deus vult saluos fieri, sine dubitatione saluantur, nec possunt saluari, nisi quos Deus vult saluos fieri, nec est quisquam, quem Deus saluari velit, & non saluetur; quia Deus noster omnia, quęcumque voluit fecit, ipsi omnes vtique salui fiunt, quos omnes vult saluos fieri; quia hæc salus, non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona voluntate præstatur. Veruntamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult saluos facere, non totum omnino genus significatur hominum: sed omnium vniuersitas saluandorum. Ideo autem omnes dicti sunt; quia ex omnibus hominibus omnes istos diuina bonitas saluat: id est, ex omni gente, conditione, ętate, ex omni lingua, ex omni prouincia. In his omnibus ille sermo nostri Redemptoris impletur, quo ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Quod nõ ideo dixit; quia omnes omnino trahit: sed quia nemo saluus fit, nisi quem ipse traxerit. Nam & alibi dicit: Nemo*

III. 1. Thim. 2. Ioann. 12.

Ioann. 6. *mo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Item alibi. Omne, quod dedit mihi pater, ad me veniet. Hi ergo sunt omnes, quos vult Deus saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ecce ad absolutam, & efficacem Dei voluntatem, quæ semper impletur, refert, quòd electi saluentur. Et infra: *Sicut nihil naturaliter subsistit, quod ille non fecerit: ita nihil prouenit in salutem hominum, quod ille non in ęterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prędestinauerit, à quo, & fides gratis infunditur, per quam bene ambulemus, & perseuerantia donatur, per quam ad spem peruenire possimus. Hęc autem dona sua semper Deus in ęterna, atq; incommutabili habet voluntate disposita, in qua praordinauit, atque pręparauit & quę daret, & quibus daret. Ipse enim prędestinando prępárauit gratię donum, qui gratiam donando, implet prędestinationis effectum.* Et paucis interiectis: *Deus enim, qui hominem condidit, ipse predestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseuerantię ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit prępárauit, quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna, atque incommutabili habet voluntate dispositum.* Et ibi etiam explicans, quantum periculi sit in sententia contraria, mox subiungit:

Fulg. notāda verba. *Cuius prędestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prędestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitę pręsentis, impietatis suę contumaciam, qua Deo viuo, & vero rebellis obsistit, non abiecerit manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, & prędestinauit ad regnum.* Nec potest dici, Sanctum Fulgentium loqui de sola prædestinatione ad gratiam; nam illa verba *gratis elegit, & prædestinauit ad regnum,* clarè ostendunt, ipsum loqui nedum de gratuita prædestinatione ad gratiam: sed etiam de gratuita electione, & prædestinatione ad gloriam, ante præuisa merita gratiæ; præsertim cum docet, merita gratiæ effectum esse prædestinationis ad gloriam. Si enim gratis elegit, & prædestinauit

ad

ad regnum, ergo non ex præuisis meritis, vel operibus; nam (vt arguit Apostolus) *si ex operibus, iam gratia non esset gratia.* Rom. 11.

IV. *Obiectio Less. de Prædestin. & reprob. sect. 2. n. 9.*

Sed obijciunt contra hoc alium locum eiusdem Fulgentij, qui libro ad Monimum de duplici prædestinatione cap. 24. sic ait: *Ostensurus itaque Deus, quid reddendum presciuerit, & quid donandum, prædestinauit illos ad supplicium, quos à se præsciuit voluntatis malę vitio discessuros; & prędestinauit ad regnum, quos ad se præsciuit misericordia præuenientis auxilio redituros, & in se misericordię subsequentis auxilio esse mansuros*, vbi præscientia operum electioni, & reprobationi apertè supponitur. Et infra: *Quia misericors est dominus, & iustus, prędestinauit iustos ad gloriam, iniquos ad pœnã.*

Fulg. accipit præscire pro prædestinare.

Respondetur, quod apud Fulgentium verbum illud, *præsciuit*, sumitur pro præscientia, quæ sequitur decretum prædestinantis. Ideo enim præsciuit bona merita futura electorum, quoniam, vt fierent, prædestinauit, vt ex lib. 1. de Prædestinatione ad Monimum colligi potest, & præsertim ex verbis illius supra citatis. Imò ex verbis vltimis in contrarium adductis nostra sententia confirmari potest; nam verba illa; *quia misericors est dominus*, debent cum illis coniungi, *prædestinauit iustos ad gloriam*, sicut verba illa, *quia iustus est* Dominus, copulantur verbis illis, prædestinauit ad pœnam. In quo satis apertè significat, *Prędestinationem iniquorum ad pœnam* esse actum iustitiæ vindicatiuæ, quæ subinde præsupponit præuisionem culpæ, & finalis impœnitentiæ: prædestinationem autem iustorum ad gloriam in Dei intentione præconceptam, esse actum misericordiæ, quæ subinde non præsupponit præuisa merita gratiæ, sed potius est causa eorundẽ meritorũ. Si .n. prędestinatio ad gloriã esset ex prę uisis meritis gratiæ, sicut prædestinatio ad pœnã est ex præuisis demeritis lib. arb. nõ vtiq; dixisset Fulgen. *quia misericors est Dñs, prædestinauit iustos ad gloriã*, seu dicere debuisset, *quia iustus est Dñs, prędestinauit sanctos ad gloriã.* Etenim glorificatio ex meritis gratiæ actꝰ ẽ iustitię distributiuę, reddẽtis vni cuiq; iuxta opa sua, secũdũ illud Apo. *De reliquo reposita ẽ mihi corona iustit. q̃ reddet mihi dñs in illa die iustꝰ iudex* 2. Thim. 4.

Secun-

Secundo respondetur, quod, cum ait Fulgentius, *Deum prædestinasse ad Regnum, quos ad se præsciuit, misericordię prçuenientis auxilio redituros, &c.* explicandus est de prædestinatione, quantũ ad eius exequutionem: nam in exequutione gloria nũquam redditur iustis, nisi propter præcedentia merita gratiæ, vt infra dicetur ad alia consimilia testimonia Sanctorum Patrum.

CAPVT X.

Rationibus Theologicis ostenditur, Predestinationem absolutam ad gloriam factam fuisse ante prçuisa merita gratię.

I. Vamuis disputatione 37. & 110. de Auxilijs pluribus rationibus probauerim, prædestinationem absolutam ad gloriam non pendere ex præuisis meritis gratiæ, nihilominus aliquæ sunt in præsenti attingendæ, & corroborandæ; quoniam putantur nullam prorsus efficaciam habere.

Intentio efficax finis est prior electione mediorum. Prima ratio est, quoniam intentio efficax finis secundum rectum ordinem prior est, saltem ex parte obiecti voliti, quam electio, & ordinatio mediorum in finem, cum media in ratione mediorum non sint appetibilia, nisi propter finem: Sed voluntas eligendi aliquos ad gloriam est intentio efficax finis; nam gloria est finis, ad quem ordinantur merita: Ergo voluntas seu intentio efficax, qua Deus voluit electis gloriam, prior est in signo rationis, quam voluntas dandi merita gratiæ: Ergo electio absoluta ad gloriam non pendet ex præuisis meritis gratiæ; sed potius è conuerso merita gratiæ pendent ex electione absoluta ad gloriam, & eam in signo rationis præsupponunt.

Hanc rationem triplici solutione conatur eludere quidam ex Auctoribus sententiæ contrariæ. Prima solutio

1. Solutio.

lutio est ab inconuenienti. Si hoc argumentum (inquit) aliquid valeret, probaret, Deũ non posse aliter eligere, quia non potest nõ ordinatè procedere; & sane primus inuentor illius argumenti videtur hoc voluisse: sed profecto id est absurdum, & alienum à summa Dei libertate, & auctoritate.

Less. de prædestin. & reprob. sect. 5. nu. 49.

2. Solutio.

Secunda solutio, retorquet argumentum contra nostram sententiam in hunc modum. Ordinatissime volens aliquid boni in modum præmij, vel mercedis, non statuit absolute, quibus illud sit conferendum, nisi præuideat, qui illud sint promerituri, quique digni futuri. Sed Deus statuit communicare aliquod bonum (suum regnum) in modum præmij, vel mercedis, & non in modum doni omnino gratuiti, vt omnes fatentur. Ergo non statuit absolute, quibus illud sit communicandum, nisi præuisis hominum meritis.] Et ad maiorem propositionem assumptam in nostro argumento, respondet, quòd aliquid coloris haberet, si Deus statuisset gloriam electis conferre in modum doni gratuiti, non vt mercedem, coronam iustitiæ, & brauium: verum, cum constet non intendisse conferre, nisi, vt stipendium bonorum operum, non videtur quid probabilitatis maior assumpta habeat, vel ratio, quæ in illa fundatur.

3. Solutio.

Tertia solutio est, quod in alio sensu admitti potest maior propositio, & sic illa ratio bene probat, Deum prius intendisse gloriæ communicationem, quàm media delegerit; addit tamen, quod hæc intentio quatenus ferebatur in gloriæ communionem in genere, erat quodam modo confusa nostro modo intelligendi; vt vero applicabat gloriam singulis hominibus, non erat absoluta, sed conditionata; scilicet, si per gratiam se dignos illa redderent. Hoc enim erat ordinatissimum, cum non vellet illam communicare, nisi per modum coronæ iustitiæ, sicut Agonotheta absolute statuit dare præmia, sed non huic, vel illi, nisi visa eius victoria.

II.
Impugn.

Omnes istæ solutiones vim argumenti non euacuant, & facilè impugnantur ex dictis, & ex his, quæ dicenda sunt infra. Ad cuius euidentiam aduertere oportet, primum inuentorem argumenti adducti pro nostra sententia non esse Theologum aliquem, aut Doctorem

modernum, vt in prima solutione opponitur, sed illo vsi sunt quamplurimi Sancti, & Doctores antiqui ad probandum, electionem absolutam ad gloriam non pendere ex præuisis meritis gratiæ. Etenim inter Scholasticos Sanctus Thomas 1. par. quæst. 23. art. 4. cum

S. Thom. in titulo articuli proposuisset quæstionem: *Vtrum prædestinati eligantur à Deo*, respondet in corpore, quòd *prędestinatio secundum rationem pręsupponit electionē, & electio dilectionem. Cuius ratio est, quia prædestinatio (vt dictum est) est pars prouidentiæ, prouidentia autem sicut & prudentia est ratio in intellectu existens pręceptiua ordinationis aliquorum in finem vt supra dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quòd Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet electio, & dilectio. Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis æternę. Nam diligere est velle alicui bonum, vt supra dictum est. Electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus pręaliis vult, cum quosdam reprobet, vt supra dictum est.* Nec potest explicari Sanctus Thomas de electione conditionata, cum sit ita manifestum in eius sententia, electionem absolutam ad gloriam factam fuisse in signo rationis ante præuisa merita gratiæ, vt nullus, qui sincero animo legerit loca illius superius inducta, possit de hoc apparenti aliqua ratione dubitare.

III. *Scot. sent. circa gratuitam prædestinationem ad gloriam.*

Scotus etiam in primo Sententiarum distinct. 41. *§. Potest aliter*, probat eadem ratione, prædestinationem absolutam ad gloriam non esse ex præuisis meritis gratiæ. Sic enim ait: *Volens ordinate finem, & ea quę sunt ad finem, prius vult finem, quam aliquod entium ad finem; quia propter finem alia vult: Ergo cum in toto processu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectū finem, finis vltimus sit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid istius ordinis, primo vult huic creaturę beatificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia, quę sunt in ordine illorum, quę pertinent ad illum finem. Sed gratia, fides, merita, & bonus vsus liberi arbitrii, omnia ad istum finem sunt ordinata, licet quędam remotius, &*

quędam

quędam propinquius: Ergo primo isti vult Deus beatitudinem, quàm aliquod istorum. & prius vult ei quodcumq; istorum, quàm prępuideat, ipsum habiturum quodcumq; istorum. Igitur propter nullum istorum prępuisum vult ei beatitudinem. Habetque non modicum fundamentum hæc ratio in Sancto Fulgentio lib. 5. ad Monimum cap. 3. dicente: *Quos prędestinauit ad gloriam, prędestinauit ad iustitiam*, & in alijs Sanctis supra inductis, ex quibus habetur, prædestinationem absolutam ad gloriam fuisse prius in signo rationis prædestinatione ad iustitiam, & ad merita, per quæ in exequutione prædestinati assequuntur gloriam. Quod etiam non obscurè Apostolus insinuasse videtur, cum dixit. *Quos autem prędestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & magnificauit.* Quibus verbis primo loco constituit prædestinationem absolutam ad gloriam velut caput, & principium, ex quo prædestinatio ad dona gratię, nempè ad vocationem, & iustificationem, & ad alia bona merita, quibus prædestinati vitam æternam assequuntur, procedit. Quod etiam confirmari potest ex illo Actor. 17. *Crediderunt quotquot erant prçordinati ad vitam ęternam*, vbi præordinationem ad vitam æternam causam fuisse, quod illi crederent, ostenditur. Id ipsum colligi potest ex illo 1. Ioannis 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum.* Ex quibus verbis Sanctus Augustinus libro de Dono Perseuerantię cap. 8. colligit ex prædestinatione procedere. quòd electis detur donum perseuerantiæ vsque in finem, quod tamen reprobis non donatur. Verba Augustini sunt: *Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse prędestinatum, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prędestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, mansissent vtique nobiscum.* Et infra: *Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consequuti, non erant prædestinati secundum*

Fulgent.

Rom. 8.

Act. 17.

1. Ioann. 2.

Augustin.

Rom. 11.

dū propositū eius, qui vniuersa operatur. Nā si hoc essent, ex illis essent, & cū illis sine vlla dubitatione mansissent.

IV. His suppositis quæ (vt arbitror) negari non possunt, ad inconueniens, quod in prima solutione aduersus rationem factam infertur, respondetur. Quidquid sit de potentia Dei absoluta, cui non potest intellectus creatus terminos præscribere, nec modum, quo ea, quæ ab ipsius voluntate pendent, disponere debeat, certum est de facto, prius voluntate absoluta elegisse prædestinatos ad vitam æternam, & postmodum in signo rationis statuisse donare illis media, & merita, quibus ad destinatum gradum gloriæ infallibiliter peruenirent, vt supra ostensum est. Quod si Deus sua omnipotentia absoluta aliter prædestinasset homines ad vitam æternam, id fieret secundum rectum ordinem: quia ex eadē sapientia, & bonitate, atque ex beneplacito voluntatis eius, quæ regula est, & causa totius rectitudinis, talis prædestinatio processisset. Neque enim aliquid ab omnipotentia diuina est subtrahendum, nisi quod manifestam contradictionem inuoluit. Vnde S. Thomas 1. p. q. 25. art. 5. in corpore ait. *Ordo a diuina sapientia rebus inditus non adæquat diuinam sapientiam sic vt diuina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem, quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus à se factis imponit, à fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed diuina bonitas est finis improportionabiliter excedens res creatas. Vnde diuina sapientia non determinatur ad aliquē ordinē rerū, vt non possit alios cursus rerū efficere.*

S. Thom.

V. Secundo respondetur, fieri non posse, vt Deus aliquem ordinet ad vitam æternam sub conditione, quam ipse in nobis, atque nobiscum non causet. Neque enim potest Deus se habere, sicut Agonotheta, qui statuit dare præmium huic, vel illi militi, sub conditione, si ille à se ipso obtinuerit victoriam. Id enim omnipotentiæ, & causalitati diuinæ non modicum derogaret, si nimirum aliqua actio hominis bona ab eius præordinatione, & causalitate subtraheretur, qua in nobis atque nobiscum, vt operemur, operatur.

Agonoth. & Dei differentia.

Secun-

Secunda solutio vim argumenti nostri videtur effugere. Nam argumentum, quod retorquetur contra nostram rationem, solum procedit considerando beatitudinem, in quantum habet formaliter rationem præmij, & mercedis, quæ in exequutione propter merita præcedentia, & non aliter confertur. Præter istam autem rationem, habet æterna beatitudo rationem gratiæ, & boni gratuiti, ad quod Deus ante omnia præuisa merita prædestinatos elegit, vt supra ostensum est. Vnde ex illo argumento nihil concluditur contra nostram sententiam.

Beatitudo habet rationem mercedis, & gratiæ.

Secundo respondetur, quod quando ille, qui vult alteri aliquod bonum in modum præmij, vel mercedis, non potest causare in illo, vel per illum bona merita, & victoriam, per quam præmium illud possideat, verissimum est, quod absoluta, & efficaci voluntate non vult illi tale bonum, nisi eius meritis, & victoria præuisa, seu præsupposita, vt in exemplo Agonothetæ supra inducto. Cæterū Deus ipse, qui statuit conferre in exequutione electis suis vitam æternam, tanquam præmium, & coronam iustitiæ, ipse est qui electis suis tribuit victoriam, & in illis, atque cum illis operatur bona merita, vt supra dictum est. Vnde ante merita præuisa potuit absoluta, & efficaci voluntate velle illis vitam æternam, & ex intentione huius finis donare bona merita, per quæ in exequutione æternam gloriam in præmium suorum operum assequantur.

Ex his manet exclusa tertia solutio. Iam enim in superioribus ostensum est, quod intentio diuina, quatenus ferebatur in gloriam præparatam electis, erat absoluta, & efficax ante præuisa merita, quamuis in exequutione non essent illam consequuturi, nisi per modū coronæ iustitiæ debitæ ob præcedentia merita gratiæ.

VI.

SEcunda Ratio. Omnia opera bona, quibus prædestinati ad vitam perducuntur æternam, sunt dona Dei, vt docet Cælestinus Papa in epist. ad Episc. Galliæ cap. 12. *Tanta* (inquiens) *est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sūt ipsius dona, & pro his quæ largit' est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus.*

2. Ratio. Prædestinati sunt à Deo omnia bona opera electorum.

Quod

Quod etiam pluribus in locis dicit Augustinus: Ergo prius est, Deum velle illa dare, quam ea præuidere: sed non statuit illa merita dare, nisi ex intentione gloriæ, ad quam eadem merita ordinantur: Ergo prius intelligitur in Deo voluntas absoluta donandi gloriam, quam voluntas conferendi merita. Ergo electio ad gloriam prior fuit in signo rationis præuisione meritorum. Non ergo pendet ex præuisis meritis gratiæ.

Confirmatur. Ideo Deus præuidet bona merita electorum; quoniam statuit ea donare illis, vt contra Massilienses docet Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. vbi ait: *Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus, vnde dictū est. Fecit quæ futura sunt.* Et cap. 17 *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prędestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit. Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prędestinauit, impleuit.* Et cap. 19. *Cum ergo nos prædestinauit, opus suum præsciuit, qui nos sanctos, & immaculatos facit.* Et lib. de Dono perseuerantiæ cap. 14. *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset daturus, vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam? Quę vtique si præsciuit, profectò beneficia sua quibus nos dignatur liberare, præsciuit.* Idem repetit eodem libro cap. 17. 18. 21. & 24. Cum ergo illa bona opera sint prædestinata propter gloriam, ad quam electi sunt præordinati, relinquitur, prius esse in signo rationis absolutam electionem ad gloriam, quam voluntatem donandi bona merita.

Præsciuit Deus bona opera, quia prædestin. illa.

Ioann. 1.

Confirmatur secundo. Merita gratię sunt effectus prædestinationis ad gloriam, vt 1. p. q. 23. art. 5. in corp. & quæst. 6. de Veritate art. 2. ad vndecimum dicit Sanctus Thomas: Ergo cadunt sub ipsa prædestinatione. Non ergo possunt esse ratio illius, vel causa.

VII. *Lessius de Prædest. & reprob. sect. 5 nu. 55. § Hoc igitur.*

Respondet, opera bona non ita esse dona Dei, sicut bonæ inspirationes, & affectus diuinitus immissi, qui infunduntur nobis, aut quia voluntas ad ea per physicum impulsum prædeterminetur. Si enim ita esset, ratio proposita magnas vires haberet: sed ex eo dicuntur dona Dei, quia ad ea vires prabet, & inuitat, & nobis volentibus

tibus simul nobiscum ad illa producenda cooperatur. Hoc igitur sensu distinguit consequens. Si enim intelligatur de voluntate absoluta, quasi prius sit absolutè velle, vt opus sit, quam præscire futurum; sic negandum est; quia Deus ante præuisam determinationem voluntatis non prædefiniuit absoluto decreto, vt opus istud bonum existat. Si vero intelligatur de voluntate conditionata, sic est concedendum. Prius enim vult Deus hoc modo opus esse, quam præsciat illud futurum. Non enim esset futurum, nisi vires daret, vt facias, si velis.

Hæc solutio non videtur satisfacere, & multa innoluit, quæ non exiguam difficultatem habent. Fatemur quidem, opera meritoria vitæ æternæ non eodem prorsus modo esse dona Dei, sicut bonæ inspirationes & affectus diuinitus immissi, & nobis infusi, in quibus voluntas se habet merè passiuè; aut licet se habeat actiuè, quatenus vitaliter producit eosdem pios affectus, non tamen se habet liberè; quia præueniunt omnino liberum eius influxum. Non enim est eadem ratio, quantum ad hoc, de bonis operibus præsertim meritorijs vitæ æternæ; quia licet à Deo fiant in nobis per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti, vt ait Concilium Arausicanum secundum Canon. 6. cuius verba lib. 2. Responsionum cap. 10. num. 4. retuli, & expendi; non tamen fiunt in nobis sine nobis, libere consentientibus, & cooperantibus eosdem actus. Sed tamen quia ipsum cooperari cum auxilijs gratiæ est effectus auxilij efficacis, & operationis diuinæ, quæ facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur, vt disputat. 36. de Auxilijs ostensum est, & lib. 4. Responsionum cap. 6. & 7. ideo eadem bona opera non ex eo tantum censenda sunt dona Dei, quia per gratiam excitantem allicit, & inuitat ad eadem opera; aut quia vires sufficientes tribuit, vt facias, si velis; aut quia nobis volentibus simul nobiscum producit eadem opera meritoria concursu simultaneo: sed etiam, quia per gratiam præoperantem, seu efficacem verè efficienter facit nos liberè cooperari, & influere in easdem pias operationes. Itaque non solum cooperatur nobiscum, si volumus, sed etiam efficit, vt velimus, vt supra ostensum est. *Opera bona qualiter sint dona Dei.*

Illud

VIII. Illud autem, quod in eadem solutione asseritur, videlicet, non esse prius, Deum absolutè velle, vt bonum opus sit, quàm præscire futurum, non videtur doctrinæ Sancti Augustini locis superius inductis congruere, in quibus asserit, Deum ideo præscire bona opera electorum, quoniam, vt fierent, prædestinauit. Præterea; nam si prius est in signo rationis, Deum præscire opus meritorium liberi arbitrij, quàm Deum absolute velle, vt opus illud sit, sequitur quod prius intelligatur, opus illud esse in rerum natura, quàm Deum absolute velle, vt opus illud sit. Ex quo rursus sequeretur, quod opus illud fieret à libero arbitrio, antequam Deus illud causet. Quia Deus non aliter causat res ad extra, nisi per intellectum, & voluntatem absolutam, seu efficacem, vt lib. 1. cap. 7. ostensum est. Etenim voluntas conditionata, sicut & propositio conditionalis, per se loquendo, nihil ponit in esse. Et confirmatur. Deus (iuxta auctores contrariæ sententiæ) habet etiam voluntatem conditionatam concurrendi cũ illis, qui nullum opus pium operantur, si nimirum ipsi voluerint operari; & tamen illa voluntas nullum bonum opus operatur cum eis. Consequens autem admitti non potest; alias enim Deus non esset prima causa efficiens omnium rerum, quæ quomodocumque habent esse, quod tamen omnipotentiæ Dei repugnat, & eius causalitati, ad quam pertinet, vt sicut Augustinus ait, nihil fiat, nisi *Deo volente, aut permittente.*

August in Enchirid. cap 95. & 96.

IX. Sed dicunt, quod voluntas illa Dei conditionata impleta conditione transit in absolutam, & propterea nihil fit, nisi Deo volente, aut permittente.

Dei scientia, & voluntas conditionata qualiter transeat in absolutam.

Facile tamen impugnatur hæc solutio; nam posita iam cõditione, vel illa voluntas Dei conditionata prius habet rationem voluntatis absolutæ, & efficacis, quàm præscientia conditionata rationem præscientiæ absolutæ; vel è contra prius intelligitur præscientia absoluta, quam voluntas conditionata transeat in voluntatem absolutam. Si detur primum, ergo prius intelligitur voluntas Dei absoluta comparatione finis, & mediorum, quæ ad finem ordinantur, quàm merita gratiæ sint præuia præscientia absoluta, ac per consequens intentio

absoluta, & efficax finis, scilicet gloriæ, non pendet ex præuisis meritis gratiæ. Si detur secundũ, sequitur, quod prius in signo rationis sit præuisio operis, seu opus ipsum præuisum, & existens in rerum natura, quam Deus influat in illud per voluntatem absolutam, quod est inconueniens, vt ex præmissis constat.

Respondet Auctor, nullum esse inter præscientiam absolutam, & voluntatem absolutam ordinem prioris, & posterioris propriè: sed concomitantiam, quia nulla est alterius ab altero dependentia. Quod enim voluntas conditionata transeat in absolutam, non pendet à præscientia absoluta futuri: sed ab impletione conditionis: similiter, quòd præscientia conditionata transeat in absolutam, non pendet propriè à voluntate absoluta, sed ex conditione posita. Quare hæc concomitanter se habent, & suo modo pendent à conditionis positione, atque hoc modo opus non est absolutè volitum ante præscientiam determinationis liberi arbitrij, quę determinatio ratione prior est (nõ natura propriè) quàm sit opus completum.] *Idem cadẽ sest & num. 8 Vtrum.*

X.

Hæc solutio maiora videtur inconuenientia multiplicare, & facilè potest impugnari; quia licet ex parte ipsius actus intellectus, aut voluntatis diuinæ, nulla sit dependentia vnius ab alio, nulla prioritas, aut posterioritas, cum in Deo *nihil sit prius, aut posterius*, vt in Symbolo fidei dicit Athanasius; negari tamen non potest, quod ex parte obiecti voliti, aut præuisi, sit dependentia vnius ab alio: vult enim Deus, vnum esse propter aliud, & cum vera dependentia ab illo. Similiter etiam ex parte intellectus, quamuis Deus non intelligat vnum, quia intelligit aliud; eo quod scientia Dei, non est discursiua: sed omnia simul vnico simplicissimo actu comprehendit, vt 1. p. quæst. 14. art. 7. docet Sanctus Thomas: nihilominus ex parte obiecti secundarij, cognoscit, vnum esse causam alterius, & ab eo in suo esse habere dependentiam, sicut eodem actu cognoscit rationalitatem esse causam risibilitatis. Vnde necessario dicendum est, propter rationes superius adductas, existentiam obiecti scientia Dei absoluta præuisi pendere ex actu absoluto voluntatis Dei volentis, aut permit- *Athanas.* *S. Thom.*

rentis, vt illud fiat, & sit in rerum natura. Etenim (vt 1. p. quæst. 14. art. 8. dicit Sanctus Thomas) scientia Dei non est causa rerum nisi secundum quod habet voluntatem adiunctam, quod de voluntate absoluta intelligendum est, vt ex præmissis constat. Ergo prius intelligitur, & prius est secundum rationē, existentiam cuiuscumque entis esse à Deo absolutè volitam, quam intelligatur præuisa, quod etiam ex supradictis colligi potest. Ostensum est enim, ideo bona merita electorum esse à Deo præuisa; quoniam sunt ab eo absolute præuolita, & prædestinata.

S. Thom.

Quòd vero in eadem responsione asseritur, videlicet, tam voluntatem Dei absolutam, quàm absolutam præuisionem bonorum meritorum pendere ab impletione conditionis, sub qua Deus vult actum bonum fieri, nimirum, *si homo voluerit*, nullo modo potest, aut debet admitti. Id enim perfectioni voluntatis diuinæ repugnare videtur; nam esset ponere dependentiam creatoris à creatura, & eius, quod æternum est, ab eo, quod temporale est; vt Magister sententiarum arguit. Præterea; nam sequeretur, quòd prædestinatio Dei absoluta esset dependens ab homine volente cooperari cum auxilijs gratiæ, & perseuerare vsque in finem, quod tamen videtur repugnare locis Scripturæ, & dictis Sanctorum, præsertim Augustini, & Thomæ, vt ex locis superius inductis colligi potest. Præterea iuxta modum istum dicendi, bona opera electorum solum essent præscita, sicut sunt peccata, non autem præordinata, seu prædestinata, quod tamen admitti non potest.

Mag. sent. in 1. dist. 38. §. Neque etiam.

XI. 3. Ratio.

Tertia Ratio. Numerus prædestinatorum est à Deo præfixus, certus, & determinatus, non solum, quantum ad numerum personarum formaliter: sed etiam materialiter, quantum ad personas determinatas, vt prima parte, quæst. 23. artic. 7. in corpore dicit Sanctus Thomas, estque ita certus, vt nec augeri possit, nec minui, sicut dicit Augustinus lib. de Corrept. & gratia, c. 13. Ergo Deus absoluta voluntate voluit illis bonum vitæ æternæ, & non sub conditione, si ipsi voluerint, ac per consequens electio absoluta ad gloriam nō pendet, & tanquam à conditione sine qua non, ex cooperatione

S. Thom. S. August.

liberi

liberi arbitrij, aut ex præuisis meritis gratiæ. Probatur consequentia; nam alias euerteretur tota certitudo, & infallibilitas prædestinationis, quantum ad assecutionē effectus. Hæc enim fundari non potest in conditione mutabili, & defectibili, qualis est arbitrij creati libertas determinantis se ad cooperandum cum gratia: sed necessario debet inniti, tanquam primæ radici,& causæ, absolutæ Dei voluntati,& electioni, seu prædestinationi,quæ immutabilis est,& indefectibilis,nec impediri potest,ne consequatur effectum volitum; aut prædefinitum,vt disput. 41. de Auxilijs ostensum est.

Respondet,vt prædestinatio sit certa,non oportere omnes ad regnum cœleste pertinentes esse electos ante omnem præuisionem futurorum,aut in eodem signo rationis. Primo; quia Angelorum electio facta est ante præuisum peccatum originis, hominum verò post. Secundo;quia non omnes homines sunt in eodem signo rationis electi. Tertio;quia Christus ipse,qui est sponsus electorum ex hominibus,non est illo primo signo rationis prædestinatus: sed occasione peccati originalis; quanto magis alij, qui prædestinati sunt in ipso? *Idem eadē sect. 5. nu. 58. & sed esse.*

XII.

Hæc tamen solutio vim argumenti videtur effugere; quia quęstio, de qua modo agimus, non est, vtrum saluandi sint electi ante omnem præscientiam futurorum, aut in eodem signo rationis: sed vtrum sint absoluta, & gratuita Dei voluntate electi ad gloriam ante merita gratiæ præuisa,vel ante præuisionem cooperationis arbitrij creati:an solum sub conditione,si nimirum homo voluerit cum auxilijs gratiæ se determinare ad benè operandum,& perseuerandum vsque in finem. Constat enim ex dictis, certitudinem prædestinationis non posse in libera cooperatione arbitrij fundari:sed in absoluto decreto prædestinantis,& præordinantis,vt liberum arbitrium cooperetur, & perseueret vsque in finē, quod aperte videtur colligi ex verbis Apostoli ad Romanos 4. *Vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini.* Quem locum expendens Sanctus Augustinus lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 10. ait: *Non de nostrę voluntatis potestate, sed de sua prędestinatione promisit. Promisit enim,quod ipse facturus fuerat,non* Rom. 4. Augustin.

quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit: alioquin, ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham; sed credidit dans gloriam Deo: quoniam quæ promisit, potens est & facere. Nō ait prædicere, non ait præscire, nam & aliena facta potest prædicere, atque præscire; sed ait potens est & facere, ac per hoc facta non aliena, sed sua.

XIII. 4. Ratio.

QVarta Ratio. Deus habuit aliquam absolutam voluntatem erga electos, quam non habuit circa reprobos; aliàs distinctio prædestinatorum à reprobis non esset ex absoluta Dei voluntate, cujus contrarium cap. 3. ostensum est. Sed hæc voluntas absoluta non fuit alia, nisi qua voluit electis bonum vitæ æternæ, & media, per quæ hoc bonum consequerentur. Ergo ante præuisionem meritorum electio prædestinatorum ad gloriam fuit absoluta.

Lessius de Prædestin. & reprob. sect. 5. nu. 60. 5. Dices

Respondet Auctor, ante omnem præuisionem futurorum Deum non habuisse aliquam peculiarem voluntatem circa electos, sed solum communem, qua desiderabat omnes saluos fieri, & volebat omnibus ex parte sua auxiliū sufficiens largiri, quamuis dispari mensura, quod ex effectu inde secuto apertè colligitur. Nam in Adamo omnes destinauit ad salutem, & omnibus auxilium sufficientissimum præparauit. Præuiso autem peccato Adami, & euerso illius prouidentiæ, quam illi statui præparauerat, ordine, rursus habuit voluntatem communem, qua ex se desiderabat omnes saluos fieri, & omnibus auxilium ad hoc sufficiens ex parte sua impertiri: sed quantum cursus rerum illi statui congruens pateretur. Prima autem voluntas, quam circa illos propriè habuit, quæ ad reprobos non se extendit, illa fuit, qua illis totam illam beneficiorum seriem, quibus certissimè liberandi erant, præparauit, quæ voluntas fuit illorum prædestinatio, vt ex Diuo Augustino multis locis constat. Hæc tamen voluntas non terminatur in eodem signo rationis ad omnia illa beneficia: sed ad alia prius

ratio-

ratione, ad alia posterius, secundum ordinem dependentiæ posterioris à priore. Hanc voluntatem secuta est absoluta electio ad gloriam, & certitudo numeri prædestinatorum.

2 Hæc solutio est valde ambigua. Nam hic rursus asseritur, prædestinationem absolutam non esse factam ante omnem præuisionem futurorum; cum tamen (vt dictum est) nostra quæstio, & argumentum factum non procedat de quacumque præuisione futurorum: sed specialiter de præuisione meritorum gratiæ, quam contendimus, non antecedere in signo rationis: sed subsequi ad absolutam electionem ad gloriam. Nec oportet in præsenti iterum impugnare id, quod in hac responsione affirmatur, Deum nimirum ante omnem præuisionē futurorum meritorum gratiæ (de hac enim præuisione sermo est) non habuisse aliquam peculiarem voluntatem circa electos, sed solum communem. Iam enim supra cap. 3. hæc sententia exclusa est; nam alias sequeretur Deum, quantum est ex parte sua, ante præuisionem meritorum, non magis prædestinasse ad gloriam Beatam Virginem, Apostolos, & alios Sanctos, quam reprobos, ac per consequens discretionem illorum ab istis non esse desumendam ex parte Dei, sed ex parte boni, vel mali vsus gratiæ præuisi, quod videtur repugnare verbis Apostoli 1. Corin. 4. *Quis enim te discernit?* Et alijs locis supra cap. 3. & 4. inductis. Illa autem prima voluntas, quam Deus circa electos propriè habuit, quæ ad reprobos non se extendit, non rectè statuitur circa media, quibus prædestinati certissimè liberantur, sed circa finem, ad quem media ordinantur, nempe circa gloriam, quam Deus absoluta voluntate voluit electis, & non reprobis ante præuisa eorum merita, vel demerita. Cum enim media in ratione mediorum pendeant à fine, prius in signo rationis intelligitur finis volitus, quàm media: sicut medicus prius vult sanitatem infirmo, quam applicet medicinam, vt sanitatem consequatur. Quod autē ait August. prædestinationē *esse præscientiam, & præparationē beneficiorū Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*; nomine beneficiorū nō intelligit tantū merita gratiæ, aut dona, siue auxilia,

1. Cor. 4.

Dei prima voluntas erga prædestinatos quænam fuerit.

Augustin.

quibus

quibus ad eadem merita iuuatur liberum arbitrium: sed etiam gloriam. Hoc enim est potissimum beneficium præparatum electis ab origine mundi, ad cuius consequutionem cætera dona gratiæ, quæ in tempore conferuntur electis, ordinantur. Eodem modo intelligendus est idem Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. vbi ait: *Inter gratiam, & prædestinationem hoc tantum interest, quòd prędestinatio est gratiæ preparatio, gratia vero est ipsa donatio.* Vbi nomine gratiæ, non intellexit dumtaxat gratiam inchoatam, qua bene hic viuitur: sed etiam gratiam consumatam, qua postea beatè viuitur, generali nomine gratiæ omne donum Dei complectens, quod hominem saluat, siue in præsenti sęculo in spe, siue in futuro in re, de qua salute dicit Propheta: *Salus autem mea in æternum erit.* Vnde prędestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Cum autem gloria sit finis gratiæ, quæ in præsenti confertur, relinquitur, Deum voluntate absoluta prius præparasse electis gloriam, tanquam finem, & in posteriori signo rationis præparasse illis merita, quibus infallibiliter ad eundem finem peruenirent. Vbi est obiter aduertendum, quòd beatitudo æterna duplici ratione dicitur gratia. Primo; quia licet in executione conferatur, vt merces propter merita gratiæ, & sicut ait Apostolus, vt *corona iustitiæ*, tamen ipsa merita non habet homo à se ipso, sed ex gratia.

Gloria est primum & potissimum beneficium Ecclesiæ præparatum.

Esaiæ 51.

Beatitudo duplici ratione dicitur gratia.

2. Thim. 4

XV.

Hanc rationem assignat Sanctus Augustinus epistol. 105. ad Xistum Presbyterum, vbi explicans illud Apostoli: *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna,* ait: *O humana, non iustitia: sed nomine iustitiæ planè superbia. Quid te disponis extollere, & cõtrarium morti vitam æternam, tanquam debitum stipendium flagitare? cui debetur vita ęterna, vera iustitia est: si autem vera iustitia est, ex te non est, desursum est descendens à Patre luminum, vt haberes eam; si tamen habes, eam profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Qua propter ò homo, si accepturus es vitam ęternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debi-*

Rom. 6.

1. Cor. 4.

ea redderetur, si ex te tibi esset iustitia cui debetur. Nunc vero de plenitudine eius accipimus; non solum gratiam, qua nunc iustè in laboribus vsque in finem viuimus; sed etiam gratiam pro hac gratia; vt in requie postea sine fine viuamus. Secundo dicitur gratia; quia licet in exequutione conferatur electis, vt stipendium, & præmium propter merita præcedentia; tamen in intentione Dei ex gratuita eius bonitate præparata est electis ante præuisa merita. Vnde (vt dictum notauit Augustinus loco allegato) cum Apostolus dixisset, *stipendium peccati mors*, non ait, *stipendium gratiæ vita æterna, sed gratia Dei vita æterna*, vt innueret, vitam æternam esse gratuitum donum præparatum electis consequendum in re propter merita gratiæ. Denique obseruandum est, certitudinem illam, de qua Augustinus ait, prædestinationem esse præparationem beneficiorum Dei, *quibus certissimè liberantur, &c.* non esse certitudinem in præscientia meritorum, vt in prima radice fundatam, siue præscientia illa sit absoluta, siue conditionata: sed in gratuita electione, & decreto absoluto prædestinantis, atque in efficacia auxiliorum gratiæ, per quę Deus efficit, vt electi pie operentur, perseuerent in gratia, & saluentur: quia (vt supra dictum est) præscientia meritorum fundatur in absoluto decreto voluntatis diuinæ, quo eadem merita electis præparauit, & donauit, quæ tamen non præparauit reprobis, occulto quidem iudicio, sed absque vlla dubitatione iustissimo: & ex eodem decreto est certus prædestinatorum numerus, vt disput. 41. de Auxilijs ostensum est.

Rom. 6.

Not.

XVI. 5. Ratio. *Prædestin. Christi qualiter fuerit absque præuis. merit.*

QVinta Ratio. Christus Dominus, secundum quod homo, prædestinatus est ad vnionē hypostaticam, & consequenter ad gloriam animæ, ante omnē præuisionem meritorum, vt Augustinus ait lib. de Prædestinatione Sanct. cap. 15. Similiter etiam Beatissima Virgo prædestinata est ad gloriam, & vt esset Mater Dei ante præuisa merita gratiæ. Ergo similiter Apostoli, & omnes alij saluandi prędestinati sunt absolute, & electi ad gloriam, ante pręuisa merita gratię. Probatur consequentia; nam alias electio, & prædestinatio ad gloriam non esset in omnibus prædestinatis eiusdem ratio-

rationis, sed in aliquibus esset secundum gratiam ante omnia præuisa merita, in alijs esset secundum iustitiam propter merita præuisa.

Confirmatur. Prædestinatio Christi est exemplar præclarissimum prædestinationis nostræ, vt dicit August. lib. de Prædest. Sanctorum cap. 15. allegato, & Sanctus Tho. 3. p. q. 24. artic. 3. Sed prædestinatio Christi facta fuit ante omnia eius merita præuisa, vt in eodem cap. 15. probat Augustinus: Ergo & prædestinatio nostra.

Lessius de Prædestinat. & reprob. sect. 5. num. 56.

Respondet Auctor, nullo modo esse certum, Deum elegisse aliquos, vt Sanctum Ioannem Baptistam, Apostolos, & alios eximios Sanctos ad gloriam ante omnem præuisionem futurorum. Et assignat rationem; quia neque ex Sacra Scriptura id colligi potest, cum loquatur de electione ad iustificationem, vel habeat tacitam conditionem perseuerantiæ, neque Sancti Patres id affirmant. Quod vero attinet ad Beatam Virginem, dicit excipiendam esse, quia eius priuilegia omnem modum superant, & ad nullum alium sunt extendenda, & idem diceret à fortiori de prædestinatione Christi.

Ioan. Baptista, & Apostoli qualiter fuerint prædestin.


Hæc sententia videtur coincidere cum doctrina Ambrosij Catherini constituentis duas clases prædestinatorum. Prima eorum, qui absolute, & efficaci, atque immutabili decreto voluntatis diuinæ prædestinati sunt ad gloriam ante præuisa merita; in quo ille constituit Beatam Virginem, Apostolos, & alios Sanctos eximios. In secunda vero clase constituit reliquam humani generis multitudinem, quam non fixo decreto, sed sub conditione quadam saluam esse voluit, nimirum si mandata eius seruauerint, & perseuerauerint vsq; in finem. Quæ quidem sententia à Doctis, & pijs Theologis, (vt ait Sixtus Senensis) reprobatur, eo quod secundam illam clasem prædestinatorum distinxit. Vnde multò magis est improbanda sententia, quæ omnes electos (excepta Beata Virgine) in secunda clase prædestinatorum constituit. Nam Massilienses, vt supra ostensum est, impugnati sunt à Sanctis Augustino, & Prospero, quia posuerunt, electionem absolutam ad gloriam non fuisse factam ante præuisa merita gratiæ. Loca verò Scripturæ, quibus sententia nostra innititur, superius adducta sunt.

Sixt. Senens. lib. 6. Bibliotheca Sanct. annot. 248.

CA-

CAPVT XL.

In quo fit satis obiectionibus contraria sententia Capite octauo propositis.



D primum argumentum ex factis à principio, vt respondeamus, supponendum est ex his, quæ dicta sunt disput. 1. de Auxilijs diuinæ gratię, hæresim Pelagij tres, vel quatuor status habuisse. In primo negauit, omnem gratiam interiorem, asseruitque, ad omnia mandata adimplenda, salutem æternam promerendam, & consequendam, sufficere vires naturales nostri arbitrij gratis à Deo creati; nullamque aliam gratiam, nisi gratiam creationis agnouit, vt Augustinus refert libro de hæresibus ad Quoduultdeum hæresi 88. In secundo statu admisit, auxilium gratiæ hominibus conferri à Deo ad eius mandata implenda, & ad vitam æternam promerendam: asseruit tamen, hoc adiutorium consistere in lege, atq; doctrina externa, aut etiam in exemplo Christi. In tertio statu conuictus disputationibus Sancti Augustini, admisit gratiam internam ad posse, nempe internam illuminationem intellectus, & excitationem stupentis voluntatis, vt apertissimis S. Augustini testimonijs ostensum est eadē disp. 1. n. 6. & seqq. In quarto statu, quem habuit sub Cœlestio, huc vsque peruenit idem Cœlestius, vt concederet gratiam illam internam, quam ad posse admisit Pelagius, esse simpliciter necessariam, non quidem ad incipiendum, sed ad perficiendum virtutum opera, vt patet ex Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. paulo post principium, quod & S. Thomas quodlibeto 1. art. 7. in corp. his verbis notauit: *Pelagius posuit, quod homo poterat per liberum arbitrium adimplere legem, & vitam ęternam mereri, neque indigebat auxilio diuino, nisi quantum ad hoc, quod*

I.

Augus. lib. de hæresib. hæresi. 88.

Pelagianæ hæresis quatuor status.

Pelag. error aperitur.

Psal. 142. *sciret quid facere deberet, secundum illud Psalm. 142. Doce me facere voluntatem tuam. Sed quia hoc nimis parum videbatur, vt solam scientiam haberemus à Deo, charitatem autem, qua pręcepta legis adimplentur, haberemus à nobis; ideo postmodum Pelagiani posuerunt, quòd initium boni operis est homini ex se ipso, dum consentit fidei per liberum arbitrium, sed consumatio est homini à Deo*. His suppositis respondetur, Sanctum Augustinum hæresim Pelagianam impugnasse, quantum ad omnes eius status, & occasione illius ostendisse ex locis Scripturæ, nedum ad gratiam, sed etiam ad gloriam absoluta Dei voluntate omnes electos prædestinatos fuisse, ante omnem præscientiam meritorum, vt supra dictum est, & constat ex locis inductis disput. 36. 37. & 110. de Auxilijs. Et ad similitudinem adductam respondetur, quòd Apostolus in prioribus capitulis epistolæ ad Romanos ostendit quidem, Iudæos non fuisse consequutos ex operibus legis gratiam in Euangelio reuelatam, ac per consequens non posse gloriari ex hac parte aduersus alios, qui ex Gentibus ad fidem Domini nostri Iesu Christi cõuersi sũt: sed occasione huius etiam ostendit, cap. 8. 9. & 11. eiusdem epistolæ, ita gratuitam fuisse Dei electionem, vt prædestinatio electorum ad gloriam præcesserit in signo rationis omnia præuisa merita. Cum enim ait: *Quos prędestinauit, hos & vocauit*, &c. non obscurè innuit, vocationem, iustificationem, opera meritoria, & reliqua media, quibus electi salui fiũt, effectus esse gratuitæ prædestinationis ad gloriam, ac per consequens eandem pręde stinationem ex eisdem meritis præuisis non pendere.

II. Ad Secundum argumentum respondetur, Augustinum quidem loqui, tam secundum æternam Dei intentionem, quam secundum temporalem exequutionem, cum docet, prædestinationem ad gratiam primam non esse ex præuisis meritis: nam gratiæ augmentum datur in exequutione propter merita præcedentis gratiæ, vt ex Tridentino constat. Cæterum, cum loquitur de immediata electione ad gloriam, & inquit, illam non esse ex præuisis meritis, intelligitur de electione, & prædestinatione, secundum quod est in proposito absoluto, & in-

tentio-

tentione diuina, non autem de exequutione tẽporali, vt patet ex tract. 68. super Ioannem, vbi non obscurè distinguit prædestinationem, secundum æternum Dei propositum, & intentionem, à prædestinatione, quantum ad eius exequutionem, & vt id probet, adducit illud Prophetæ: *Fecit, quę futura sunt.* Quem locum expendens ait: *Quomodo ergo mansiones in domo Patris non aliæ, sed ipsa, & sine dubio iam sunt, sicut parandæ non sunt, & nondum sunt, sicut parandæ sunt? Quomodo ergo putamus, nisi quomodo etiam Propheta prędicat Deum, quia fecit quæ futura sunt? Non enim ait, qui facturus est, quę futura sunt: sed qui fecit quæ futura sunt: Ergo & fecit ea, & facturus est ea; nam neque facta sunt, si ipse non fecit: neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando, facturus est operando, sicut discipulos quando elegerit, satis indicat Euangelium, tunc vtique, quando eos vocauit: & tamen ait Apostolus, Elegit nos ante mundi constitutionem: prædestinando, vtique, non vocando: quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Elegit prædestinando ante mundi constitutionem, elegit vocando ante mundi consumationem: sic & mansiones præparauit, & præparat, nec alias, sed quas pręparauit has præparat qui fecit quę futura sunt: quas præparauit prædestinando, pręparat operando: iam ergo sunt in prędestinatione.* En manifeste distinguit electionem ad æternas mansiones, secundum quod est in æterna Dei prædestinatione, & secundum quod importat realem eius exequutionem, seu operationem, quæ fit in tempore, dum electi vocantur, iustificantur, & glorificantur. Illam dicimus, iuxta mentem Augustini, factam fuisse in mente, & intentione diuina ante pręuisa merita gratiæ: istam vero, asserimus, fieri in tempore, cum absque præuisis meritis electi vocantur, & iustificantur, & propter merita gratiæ glorificantur. Eãdẽ doctrinam iuxta prædictam distinctionem tradit cum Sancto Augustino, S. Thomas 1. par. quæst. 23. art. 6. ad 1. vbi ait, *quòd corona dicitur esse alicuius dupliciter. Vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est, & sic suam coronam*

Esaiæ 41.

Prędestin. quantũ ad intentionẽ, & exequutionẽ quid sit.

De pænit. dist. 4. cap. in domo.

Ioann. 14.

Mansiones diuersę in cælo.

Ephes. 1.

Rom. 8.

Augustin.

S. Thom.

nam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Quibus verbis apertè distinguit coronam gloriæ, secundum quod contingit alicui ex prædestinatione diuina, & quatenus in exequutione debetur illi ex meritis gratiæ.

III. Ad Tertium respondetur, scopum Sancti Augustini in præallegatis libris fuisse, errorem Pelagianorum impugnare. Ex quibus nonnulli admiserunt, prædestinationem ad regnum, seu realem gloriæ consequutionem, nunquam contingere electis absque meritis procedentibus ex vocatione, seu suasione diuina, qua Deus facit, vt piè operemur, si volumus. Quia tamen negarunt, præoperantem gratiam, seu efficacem, qua Deus nedum moraliter, sed verè efficienter facit nos velle, & liberè velle, quod bonum est: ideo merito à Sancto Augustino impugnati sunt, & expugnati, vt ex præmissis patet. Accedit, quòd apud Augustinum soli electi, & prædestinati ad gloriam dicuntur simpliciter, & absque vllo addito prædestinati: illi autem, qui gratiam consequuntur in tempore, sed non donatur illis perseuerantia vsque in finem, non dicuntur absolute, & simpliciter electi, & prædestinati, sed secundum quid: absolutè autem & simpliciter dicuntur reprobi. Cum ergo ex multis locis Scripturæ, quæ nisi de prædestinatis simpliciter non possunt intelligi, probet Augustinus electionem, & prædestinationem Dei esse gratuitam, nec posse ad præuisa merita reuocari; relinquitur, illum sensisse, prædestinationem absolutam ad gloriam non esse ex præuisis meritis, non solum naturæ, sed nec etiam gratiæ: præsertim cum sæpius affirmet, merita gratiæ effectum esse prædestinationis ad gloriam: effectus enim prædestinationis non potest esse causa meritoria eiusdem prędestinationis, vt 1. p. q. 23. art. 5. in corp. docet Sanctus Thom. *Manifestum est*, inquiens, *quod id, quod est gratię, est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni, vt ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur.* Et infra inquit, quod *cooperatio arbitrij est ex prędestinatione.* Non ergo potest cooperatio arbitrij cum gratia præueniente esse causa, vel ratio prædestinationis ad gloriam, secundum quod est in intentione diuina.

Lib. 5 cap. 1. & 2.

Prædestin. ad gloriam dicuntur simpliciter prædestin.

Ad

Ad Quartum respondetur, quod vt 3. Contra Gentes cap. 163. docet Sanctus Thom. ex duplici capite fieri potest manifestum, prædestinationem, & electionem Dei non esse ex præuisis meritis. Primo *ex hoc, quod gratia Dei, quę est prædestinationis effectus, meritis non præuenitur: sed omnia merita præcedit humana.* Secundo *ex hoc, quod diuina voluntas, & prouidentia est prima causa eorum, quę fiunt. Nihil autem potest esse causa voluntatis, & prouidentiæ diuinę.* Quod probat auctoritate Apostoli ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* Vnde Sanctus Augustinus capite illo 19. de Dono Perseuerantiæ probat quidem ex prima ratione, prædestinationem non esse ex præuisis meritis: sed non excludit aliam, quin potius eam præsupponit, vt primam radicem, & causam omnium donorum, quæ prædestinatis in tempore conferuntur. Quare ipsemet Augustin. in alijs locis adducit secundam rationem ad probandū, electionem Dei, & prædestinationem non esse ex præuisis meritis, neque ex præuisa perseuerantia vsque in finem; nam ex simplici Dei voluntate procedit, quod existentibus duobus hominibus in æquali causa, isti donent bona merita, & perseuerantia vsq; in finē, & alterū pmittat cadere in peccatū, perseuerare in illo, & dānari, vt videre licet locis adductis disp. 36. 37. & 110. de Aux. IV.

Prędestin. ad gloriā non esse ex præuisis meritis ostenditur ex duplici capite.

Rom. 11.

Augustin.

Aug locis citatus cap. 8. nu. 1. & 5. & c. 10. num. 15.

Ad Quintum argumentum fatemur, Doctrinam Sancti Augustini de prædestinatione esse certam, & indubitatam, & eadem certitudine videtur pollere sententia, quæ asserit, prædestinationem ad gloriam non esse ex præuisis meritis gratiæ, vt ex his, quæ dicit Sanctus Augustinus, Sanctus Prosper, & Sanctus Fulgentius locis allegatis cap. 8. & 9. colligi potest.

Ad Sextum argumentum respondetur, quod si rectè expendantur verba Augustini capite illo 14. & 20. & 22. de Bono Perseuerantiæ, potius fauent nostræ sentētiæ, vt ex supradictis patet, & ex cap. illo 15 vbi sic loquitur. *Ista cum dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, idest, quæ nō secundū merita nostra dat, & à confitenda secundū eā prædestinationē sanctorū deterrere nō debēt, sicut nō deterrimur a cōfitēda prescientia Dei, si quis po-* V.

pulo

pulo sic loquatur, ut dicat, siue nunc rectè viuatis, siue nō rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonis, vel mali si malos. Numquid enim si hoc audito nonnulli in torporem, segnitiemque vertantur, & à labore proclines ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse pręsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur: si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Ex quibus verbis constat, Sanctum Augustinum ex diuina præscientia desumere argumentum ad prædestinationem, quasi diceret. Sicut ex infallibilitate diuinæ præscientiæ non licet inferre, neminem esse correptionis stimulis excitandum: ita ex infallibilitate diuinæ prædestinationis præuenientis omnia merita non licet inferre, neminem esse correptionis stimulis excitandum: etiam si verum sit, prædestinatum ad gloriam, qualiscumque nunc sit, talem futurum esse in vltimo vitæ, qualem Deus sua æterna prædestinatione præordinauit, hoc est, vt resurgat, & in gratia perseueret vsque in finem. Cum autem ait Augustinus, *prędestinationem esse præscientiam,* non intelligitur de præscientia meritorum; quasi ab illis præuisis prædestinatio in ratione prædestinationis dependeat, vt arguens intendit, sed intelligit ipsam prædestinationem, seu approbationem, qua Deus ante omnia præuisa merita quosdam præ alijs dilexit, vt patet ex capite 17. eiusdem libri, vbi sic ait: *Ista igitur sua dona, quibuscumq; Deus donat, procul dubio donaturum se esse præsciuit, & in sua præscientia pręparauit. Quos ergo pręde stinauit, ipsos & vocauit vocatione illa quam me sępe commemorare non piget, de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei. Nam in sua, quę falli, mutarique non potest, præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est, nisi prædestinare,* &c. Et cap. 18. *Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus,* Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, pręde stinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratię fecerat*

rat ipse facturus. Hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prędestinauit: sed prędestinasse est, hoc pręsciisse, quod fuerat ipse facturus: Et idem prosequitur latius cap. 22. eiusdem libri. Ex quibus verbis habetur, ex eo Deum præsciuisse bona merita electorum, quibus ad vitam æternam perueniunt, quia prædestinauit illa, & vt per liberum arbitrium gratia efficaci præuentum fierent, præordinauit, vt cap. 10. num. 6. dictum est.

Ad Septimum argumentum admittimus, quòd apud Augustinum idem valet, mereri gratiæ collationem, & mereri gratiæ prædestinationem, seu electionem ad gratiam, non quidem quantum ad substantiam actus prædestinantis; quia, cum identificetur cum essentia diuina, non potest quis mereri, vt sit, vel non sit: sed quatenus terminatur ad tale obiectum. Sicut ergo nullus meruit sibi prædestinationem ad gloriam, secundum quod est in intentione diuina: ita etiam nullus meretur sibi eandem gloriam, secundum quod est obiectum eiusdem intentionis. Et ad id quod obijcitur; nam de fide est, hominem iustificatum per bona opera mereri vitam æternam, vt habetur in Concilio Tridentino, Respondetur, iustificatum mereri quidem per bona opera vitam æternam, secundum quod in exequutione est illi conferenda: & consequenter potest admitti, quod virtute gratiæ mereatur suam prædestinationem, quantum ad vltimum effectum, qui est glorificatio, in exequutione propter merita conferendum, quoniam, vt 1. par. quæst. 23. art. 5. in corp. dicit Sanctus Thomas, *nihil prohibet inter effectus prædestinationis vnum in particulari esse causam, & rationem alterius.*

Trid. sess. 6. cap. 10. & 16. & Canon. 24.

S. Thom.

Hæc autem omnia patebunt amplius capite 21. Vbi de mente Sancti Augustini, & Sancti Thomæ circa propositam quæstionem iterum agendum erit.



CA-

CAPVT XII.

Proponuntur aliæ obiectiones ex sacris literis contra prædestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita gratiæ, & earum fallacia detegitur.

1. X dictis facile possunt dissolui omnes aliæ obiectiones, quibus Auctor preallegatus probare cōtendit, prædestinationem absolutam ad gloriam, & discretionem absolutam saluandorum à reprobis non fuisse à Deo factam ante præuisa merita gratiæ. Et in primis soluēdæ sunt obiectiones ex sacris literis petitæ. Secundo occurrendum est alijs obiectionibus ex Sanctis Patribus desumptis. Tertio satisfaciendum est obiectionibus in Theologicis rationibus fundatis, quibus eadem prædestinatio ad gloriam ante præuisa merita gratiæ impugnatur.

Less. sect. 2 de Prædestin. & reprob. nu. 6. Matt. 22. Objicitur in primis locus Matt. 22. ex Parabola de inuitatis, vbi cum plurimi magna cura, & diligentia Regis essent ad nuptias filij vocati, & plerique nollent venire, concludit Dominus: *Multi sunt vocati, pauci electi*. Vbi ratio, quare pauci electi fuerint, assignatur, quia pauci voluerunt venire. Si enim plures venissent, sicut poterant venire, plures omnino electi fuissent. *Vocare enim est Dei, electum autem fieri, aut non electum, etiam est nostrum*, vt docet Theophyl. super eundem locum, quod intelligit de electione absoluta ad gloriam. Thioph.

Matt. 25. Secundus locus habetur Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Hic aperte insinuatur regnum cœlorum ab æterno esse præparatum iustis ob præuisa eorum bona opera. Quod patet ex particula causali, *enim. Possidete*, inquit, *paratum vobis regnum*. Quare paratum? *esuriui enim*,

enim, &c. Tum quia similiter dicitur reprobis: *Ite in ignem eternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Atqui hic ignis non est paratus diabolo, nisi ob eius præuisa demerita. Ergo nec regnum iustis est paratum, nisi ob præuisa merita. Est enim hic Antithesis electorum, & reproborum; bonorum operum, & malorum; regni, & ignis æterni. Idem confirmatur ex alio loco Mat. 20. vbi rursus Scriptura meminit præparationis regni, dicente domino: *Sedere ad dexteram meam, & sinistrã, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo.* Sancti Patres interpretantur, hanc præparationem esse ex præuisis meritis. Epiphanius hæresi 69. *Hoc* (inquit) *vult ostendere, quod non iuxta personarum acceptionem res ista fiat: sed pro dignitate.* Et infra: *Si laboraueritis, erit vobis præparatum à Patre meo.* Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 6. *Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus, qui reseruatus est in præscientia Patris illis, quos excessus certandi commendauerit.* Similiter explicat Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Theophyl. in hunc locum, & Chrysost. hom. 35. in Matth. vbi dicit, hanc dignitatem esse præparatam, vt coronam certantibus, & pro ratione certaminis.

Confirm. Matt. 20. Epiphan. Cyrillus. S. Ambr. Theoph. Chrysost.

II. Tertius locus obijcitur ex cap. 8. ad Rom. *Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui.* Sensus enim est, quos præsciuit, idest, quorum præsciuit fidem, & dilectionem, eos prædestinauit, vt essent similes filio: vt sicut filio tribulationes cooperatæ sunt in bonum; ita & illis cooperabuntur: pro qua explicatione adducitur Origenes lib. 7. in Epistolam ad Rom. Cyrillus apud Oecumenium in hunc locum. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Chrysost. Homil. 15. in Epistolam ad Rom. Theodoretus, Theophylactus, Sedulius, qui omnes intelligunt, illam prædestinationem esse ex præscientia operum.

Rom. 8. Origenes. Cyr. apud Oecum. Ambros. Chrysost. Theod. Theoph. Sedulius.

Quartus locus habetur ad Rom. 11. *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non manserint, in incredulitate inserentur.* Ex quibus verbis colligitur, de fine nihil esse absolutè statutum: sed

Rom. 11.

solum sub conditione, & totum ab illa pendere.

1. Tim. 2. Quintus locus desumitur ex verbis illis 1. ad Timotheum 2. vbi Apostolus iubet orationem fieri pro omnibus; quia, inquit, *hoc bonum, & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Qui locus ita passim explicatur à Sanctis Patribus, & Doctoribus, vt nemo intelligatur exceptus. At Deus non verè, & sincere vellet omnes saluari, si in primo illo decreto de saluandis hominibus, quod ex se concepit, tam paucos ad salutem elegit, & tam immensum numerum exclusit, & illis paucis donum perseuerantiæ vsque in finem præparauit, non autem illis. Ergo dicendū est, prædestinationem absolutam ad gloriam factam non fuisse ante præuisa merita gratiæ.

Confirmatur hoc exemplo. Nam si Agonotheta ex omnibus seligeret decem, & statueret illis solis dare præmium: ideoque illos solos occultis modis, verbi gratia, certis rationibus, sine quibus certo sciret neminem fore victorem, iuuaret, non diceretur re vera illum velle, vt omnes sint victores, vt omnes capiant præmium. At Deus se habet, vt Agonotheta in causa salutis, inuitans omnes ad certamen, & ad præmia capessenda, & omnes homines sunt instar certantium, iuxta illud 1.

1. Cor. 9. ad Corint. 9. *Nescitis quòd hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium?* &c. Ergo.

III. Sextus locus habetur Matthæi 20. in parabola operariorum. Vbi, vt intelligamus quomodo Deus nobiscum in salutis causa agat, proponitur ipse nobis tanquam paterfamilias, conducens operarios ad vineæ suæ culturam. At nullus paterfamilias decernit alicui operario absolute mercedem, nisi ante viderit, an diurnum opus præstiterit. Ergo similiter cogitandum de Deo.

2. Petri 1. Septimus habetur 2. Petri 1. *Satagite fratres, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Quasi dicat: Estis vocati, & electi ad æternā vitā: Hæc tamē vestra electio, & vocatio est adhuc incerta (idest incerti euentus) & pendens, quia potestis excidere. Itaque satagite, vt per bona opera eam reddatis

in

in dies certiorem,& firmiorem. Electio igitur diuina, quamdiu durat hæc vita, quatenus antecedit præuisionem finis,non ita firmiter nos ordinat ad salutem,quin possit frustrari euentu.

Octauus locus desumitur ex verbis illis Apoc. 3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; ex quo testimonio colligitur, coronam non ita certo, & firmiter decretam esse ante finem vitæ præuisum, quin re ipsa possit amitti. Aliàs enim vana esset, & deceptoria comminatio. Apoc. 3.

Nonus habetur Sapient. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum,quæ fecisti : parcis autem omnibus; quia tua sunt domine,qui amas animas.* Sed parua videretur misericordia,& parua dilectio animarum, si eas Deus ex se ante omnem operum præuisionem excluderet à Regno, & non dare illis perseuerantiam vsque in finem statuisset. Nemo sane talem amorem,& talem misericordiam sibi impendi vellet, & potius odium, quam amorem interpretaretur. Ergo, &c. Sapiēt. 11.

RESPONSIO.

IV. Matt. 22.

AD Primum testimonium ex Matthæi 22. cap. facilis est responsio. Dicimus enim, ex illis verbis nullo modo posse colligi,electionem,& prædestinationem absolutam ad regnum, siue ad cœlestes nuptias præsupponere merita gratiæ præuisa,aut ab illis pendere. Licet enim ex loco illo habeatur, eos, qui noluerunt venire, propria culpa non venisse;non tamen propterea licet inferre non esse referendum ad electionem gratuitam,& prædestinationem Dei absolutam ad gloriam tanquam ad primam radicem, & causam, quod illi, qui venerunt venire voluerint. Quia etsi possit assignari causa proxima,propter quam venerunt,per libertatem arbitrij, à Deo gratia præueniente excitati, & adiuti, tamen causa prima, in qua debet fieri vltima resolutio, & à qua dependet, quod vocatus venerit, & perseuerauerit vsque in finem, est gratuita electio, & præ-

destinatio absoluta ad gloriam, ex qua omnia alia bona opera, per quę prædestinatus perducitur ad vitam æternam, pendent, iuxta illud actorum 17. *Crediderunt*
Actor. 17. *quotquot erant prçordinati ad vitam ęternam.* Illa autem verba, quæ ex Theophylacto adducuntur, *Vocare enim est Dei; electum autem fieri, etiam est nostrum*, si intelligantur de æterna Dei electione, & prædestinatione, secundum quod est in Dei intentione, & abstrahit à temporali executione, non videtur posse admitti, vt patebit infra in responsione ad obiectiones desumptas ex Patribus Græcis. Si autem intelligantur de electione ad regnum, quæ attenditur in executione secundum præsentem iustitiam, fatemur, quod id etiam est nostrũ, quatenus per liberum influxũ arbitrij Deo vocanti consentimus, & cooperamur, vt Concilium Tridentinum docet. Sed in hoc sensu locus ille non adducitur ad pro-
Not. positum præsentis disputationis. Vbi obiter aduertimus, quòd cum dicitur, Vocare est Dei, hoc debet intelligi non solum de vocatione sufficienti, qua Deus facit, vt cooperemur, si volumus: sed etiam de efficaci, *qua vocatione fit credens*, vt lib. de Prædest. Sanctorum cap.
Augustin. 16. ait Augustinus, qua *operatur in nobis, & velle, &*
Philip. 2. *perficere,* vt inquit Apostolus, qua facit prædestinatos pie operari, & perseuerare vsq; in finẽ. Vtraq; .n. vocatio est Dei: sed illa prior etiã cõfertur reprobis: hęc posterior propria est prædestinatorũ, de quib' scriptũ est:
Matt. 24. *Qui autem perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit.*
V. Ad Secundum locum ex Matthæi 25. respondetur, so-
Matt. 25. lum concludere, regnum cœlorum in executione non tribui prædestinatis, nisi propter merita gratiæ præcedentia ipsam consecutionẽ regni, quod apertè colligitur ex particula causali, *enim*, quæ quidem non determinat verbum illud *paratum regnum*, ita vt sensus sit, regnum illud ab æterno esse paratum propter merita præuisa, seu propter opera misericordiæ, quæ subiũgũtur in textu, vt arguens prætendit: sed determinat verbum, *possidete*, & ad illud refertur, & sensus est, prædestinatis nunquam dari in executione possessionem regni cœlestis,
2. Tim. 2. nisi propter merita gratię, iuxta illud Apostoli: *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Et ad id, quod obij-

obijcitur de igne æterno, qui paratus est diabolo ob eius præuisa demerita, respondetur, non esse eandem rationem,& discrimen consistit in hoc; quia Deus nunquam habuit propositum puniēdi reprobos pœna æterna,nisi propter peccata præuisa,eo quod iustitia vindicatiua,ad quam pertinet punitio illa,necessario præsupponit culpam. Cæterum gloria, quæ parata est electis, habet duplicem considerationem, seu respectum (vt dictum est) alterum ad gratuitam Dei prædestinationem,secundum quam per modum intentionis Deus prædestinatos elegit ad gloriam,vt in illis ostenderet abundantes diuitias gratiæ suæ;& secundum hanc considerationem prædestinatio non præsupponit merita præuisa,sed potius est causa eorundem meritorum. Alterum in executione, quem quidem respectum importat gloria in ratione mercedis consequendæ propter merita, & secundum istam considerationem gloriæ conferendæ, præsupponit merita gratiæ,nedum præuisa à Deo, sed etiam actu exhibita,vnde non est simile. Est & alia differentia; quia (vt 1. par. quæst. 23. artic. 3. ad 2. dicit Sanctus Thomas) *aliter se habet reprobatio in causando, quàm prędestinatio. Nam prædestinatio est causa, & eius,quod expectatur in futura vita à prædestinatis, scilicet gloriæ,& eius,quod percipitur in præsenti, scilicet gratię. Reprobatio vero non est causa eius,quod est in præsenti,scilicet culpę:sed est causa derelictionis à Deo. Est tamen causa eius, quod redditur in futuro, scilicet pœna ęterna:sed culpa prouenit ex libero arbitrio eius, qui reprobatur,et à gratia deseritur.* Vnde pœna æterna nō dicit ordinē ad reprobū,neque ad reprobationē,nisi propter præuisā culpā.Gloria autē prius in signo rationis dicit habitudinē ad prædestinatos,& prædestinationē diuinam in ratione gratuiti doni,seu gratiæ cōsumatæ,de qua scriptum est:*Gratia Dei vita ęterna*,quàm dicat ordinē in ratione mercedis ad merita gratiæ;quia hæc secunda ratio originatur ex prima,& in illa fundatur,vt in prima radice,& causa efficiente,vt dictum est.

Gloria consideratur, vt est in intentione Dei, & vt in executione cōfertur electis.

S. Thom. 1.p. q.23. ar.3. ad 2. *Prędestin. aliter se habet in causādo quem reprobatio*

Rom. 5

V I.

Ad tertiū locū respōdet,explicationē illā,quæ ibi insinuat,nullo modo esse admittēdā,quia nō videt satis discedere ab interpretatione,quā eisdē verbis adhibebat Pel.cū

eodem

eodem testimonio Apostoli vrgerentur ab Augustino, vt patet libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. 18. & 19. Ibi enim, & alijs in locis contendit Sanctus Augustinus, Deum non solum præuidisse fidem, & dilectionem futuram electorum: sed eam quoque prædestinasse. Ex quo infert, præuisam fidem, aut dilectionem esse, nõ posse rationem prædestinationis, aut causam illius, cum sit eius effectus. Ad loca Patrum, quæ in confirmationem eiusdem explicationis afferuntur, patebit cap. sequenti, vbi manifestum fiet, illos doctrinæ Sancti Augustini circa gratuitam prædestinationem ad gloriam non aduersari.

Præscientiæ nomen multoties desumitur pro prædestinatione. Rom. 8.

Igitur Apostolus, cum inquit, *Nam quos præsciuit, & prædestinauit*, per verbum *præsciuit* non intelligit præscientiam meritorum, quasi illa sint causa æternæ, & absolutæ prædestinationis ad gloriam, vt arguens intendit: sed præscientia ibi accipitur, vt est quid consequens ad prædestinationem. Ideo namque præsciuit electos futuros esse conformes imaginis filij sui, quia id æterno suo, & absoluto decreto prædestinauit. Vnde ista *conformitas non est ratio prædestinationis, sed terminus, vel effectus*, vt ibi dicit Sanctus Thomas. Fauet huic explicationi Sanctus Augustinus libro de Dono Perseuerantiæ cap. 17. Vbi probat, bona opera electorum ex eo præscita esse à Deo, quia sunt ab illo prædestinata. Et cap. 18. explicans illud: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, ait, *Præsciuit reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus. Hoc est ergo prædestinauit. Sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse est, hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus*. Potest secundo locus Apostoli in hoc sensu explicari, vt verbum *præsciuit* significet idem, quod prædilexit, & in affectum, amoremque recepit suũ. Ita explicat Origenes super eundem locum, habetque hæc explicatio magnum fundamentum in sacris literis. Nam electi, quibus Deus vult bonum vitæ æternæ, dicuntur *præsciti*, seu *cogniti* ab eo, vt patet 2. ad Timot. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus, qui sunt eius*. Et Ioannes 10. *Ego cognosco oues meas*. Sicut è contrario reprobi, quibus

S. Thom. super cap. 8. ad Roman. lectione 6.

S. Aug. lib. de Dono Perseuer. c. 17. & 18

Præscire apud Apostolum, & Augustin. tripliciter accipitur. Origenes. 2. Tim. 2. 2. ad Timoth. 2. Ioann. 10.

Deus

Deus non vult hoc bonum, quod est vita æterna, nec eos prædilexit, dicuntur nesciri à Deo, vt patet Matth. 25. *Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis.* Voluit ergo Apostolus per illud verbum *præsciuit*, quod prædestinationi præposuit, innuere, quod dilectio, qua Deus voluit prædestinatis vitam æternam, tanquam finem, præsupponitur in signo rationis ad prædestinationem, sicut & electio. Cuius rationem assignat Sanctus Thomas; *quia prędestinatio est pars prouidentię. Prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens praeceptiua ordinationis aliquorum in finem, vt supra dictum est. Non autem pręcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi praeexistente voluntate finis. Vnde prędestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem; ad quod pertinet electio, & dilectio: dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis aeternę. Nã diligere est velle alicui bonum, vt supra dictum est. Electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus pręalijs vult, cum quosdam reprobet, vt supra dictum est. Et quoniam voluntas Dei qua vult bonum alicui diligendo, est causa, quòd illud bonum ab eo pręalijs habeatur; ideo dilectio praesupponitur electioni secundum rationem, & electio prędestinationi.* Hanc ergo dilectionem, & electionem, qua suos Deus prædilexit, prius ratione, quàm illos prædestinaret ad gloriam, significare voluit Apostolus illis verbis; *Nam quos præsciuit*, &c. Matt. 25. S. Thom. 1. p. q. 23. art. 4.

VII. Tertiam explicationem possumus adiungere ex mente Sancti Thomæ, iuxta quam verbum illud *præsciuit* referatur ad præscientiam subiecti, quæ præsupponitur ad dilectionem, electionem, & prædestinationem, sicut natura supponitur ad gratiam, tanquam eius subiectum. Et cum nihil sit volitum, quin præcognitum, certum est, Deum præcognouisse eos omnes, quos elegit: non enim ignoranter, aut à casu eos elegit, sed ex certa scientia, iuxta illud: *Ego scio quos elegerim.* Et Ieremię primo: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te.* Hanc explicationem nõ obscurè tradit Sanctus Thomas lect. 6. citata super caput octauum ad Romanos. Vbi sic ait: *Dicit autem,* Ioann. 13. Hierem. 1.

quos

quos præsciuit, & prędestinauit; non quia omnes præscitos prędestinet: sed quia eos prædestinare non poterat, nisi præsciret. Ieremiæ 1. *Priusquam te formarē in vtero, noui te.* Fauent eidem explicationi verba illa Sancti Thomæ 3. part. q. 1. art. 3. ad 4. *Prædestinatio præsupponit prescientiam futurorum*, eorum videlicet, quæ non cadunt sub ipsa prædestinatione, nec sunt eius effectus: sed ad illam præsupponuntur, sicut peccatum originale, in cuius remedium venit Christus, præuisum est, & præsuppositum in signo rationis ad prædestinationem Christi Domini, vt in commentario art. 3. præallegati exponit Caietanus.

Hier. 1.

S. Thom. 3. p. q. 1. ar. 3. ad. 4.

VIII.

Rom. 11.

Ad Quartum locum ex cap. 11. ad Roman. respondetur Primo, propositiones illas Apostoli esse conditionales; conditionalis autem nihil ponit in esse. Vnde ex illis non potest deduci, prædestinationem electorum ad gloriam non esse decretam à Deo absoluta voluntate ante præuisa merita, sed solum sub conditione. Secundo respondetur, quod illis verbis solum significatur vertibilitas arbitrij à bono in malum, & à malo in bonum, quandiù est in via; quia solum in patria fit homo per gratiam consumatam simpliciter impeccabilis: sicut etiam damnati, quia existunt in termino sunt ita obstinati, vt non possint vllo modo per veram pœnitentiam à peccato resurgere, & Christo domino per fidem, & dilectionem vniri. Vnde fit, vt secundum præsentem iustitiam, & prædestinatus possit à Dei gratia excidere, & reprobus, qui est in peccato mortali infidelitatis, Ecclesiam intrare, & inseri per gratiam Christo domino. Propter quod eos admonet Apostolus: *Qui stat, videat ne cadat.* Nihilominus secundum Dei absolutam, & æternam prædestinationem, quam ante præuisa merita constituimus, electi ad gloriam infallibiliter morientur in gratia, & ad vitam æternam peruenient. Reprobi autem, & si ad tempus sint in gratia, & secundum præsentem iustitiam electi sint, & dilecti, tamen secundum æternam Dei prædestinationẽ nunquam sunt, nec erunt Deo dilecti, sed tandem decident, & in peccato suo morientur. Hunc modum prædestinationis displicuisse Massiliensibus constat ex libris

Prędestin. potest secũdũ presentem iustit. à gratia excidere.

1. Cor. 10.

bris Fausti Regiensis de Gratia,& libero arbitrio, quos aduersus doctrinam Sancti Augustini edidit. Is enim nullam absolutam prædestinationem ad gloriam ante præuisa merita admittendam esse definit,& oppositam sententiam fatalem necessitatem inducere statuit, vt disput. 2. de Auxilijs num. 16. visum est. Idem constat ex Sancto Prospero, qui in Epistola ad Augustinum referens placita Massiliensium circa prædestinationẽ gratuitam, *Hoc*, inquit, *propositum vocationis Dei, quos vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani,eligendorum, & reijciendorum dicitur facta discretio,vt secundum quod placuit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliç sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre: eo quod in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerunt, non posse aliud erga eos, quam Deus definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaq; omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Et infra: *Sed refugiunt istud fateri, diuinoque adscribere operi Sanctorum merita formidant,neque acquiescunt prędestinatum electorum numerum neque augeri posse, nec minui.* Et Sanctus Hilarius in Epistola ad Augustinum: *Nam si sic prædestinati sunt* (inquiunt) *ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta correptionis instantia?* Et post pauca: *Cæterum quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse,& amittere,& retinere propria voluntate contendunt. Quod tũc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseuerantiam percepisse,vt nisi perseuerãtes esse nõ possint. Inde est,quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum, reijciendorumque esse definitum numerum velint, atque illius sententia expositionem,non ea in qua,ac esse deprompta suscipiunt, idest, vt non nisi omnes homines saluos fieri velit;& nõ eos tantum,qui ad sanctorum nu-*

Faust. Regiensis.

S. Prosper Epist. ad August.

Prędestinatus numerus à Deo decretus, nec augeri potest, nec minui.

S. Hilar. in Epist. ad Augustin.

meriti pertinebit, sed omnino, vt nullus habeat exceptus.

IX. Ad Quintum locum respondetur, explicationem ibi assignatam, eandem prorsus videri cum interpretatione Massiliensium, qui propter locum inductum Apostoli praedestinationem ad gloriam ita volebant, quantum est ex parte Dei, esse generalem, vt nemo intelligeretur exceptus, vt ex verbis Sancti Hilarij supra inductis euidentissimè constat, quod & Sanctus Prosper libro de Vocatione gentium cap. 12. notauit, *Cum legerint*, inquiens, *hæc, vel audierint, qui amant calumniosa certamina, dicent, nos per huiusmodi disputationes Apostolo contradicere, diffinienti, quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Quæ autem sit legitima interpretatio horum verborum disput. 33. de Auxilijs visum est, vbi tres explicationes ex mente Sancti Augustini, & aliorum Patrum assignauimus, & argumentis, quæ in contrarium obijciuntur, satisfecimus. Neque ex prædestinatione gratuita ad gloriam ante præuisa merita sequitur, quod Deus voluntate antecedente verè, & sincere non velit omnes saluari. Sufficit enim ad constituendam eiusmodi voluntatem verè, & sincerè in Deo, quod re vera, & ex animo velit omnium salutem absolutè consideratam, & quod, quantum est ex parte sua, paratus sit omnibus gratiam dare, qua saluari possint, si velint, & mandata eius implere. Quod & Sanctus Prosper lib. 2. de Vocat. gent. cap. 25. notauit. Vbi ostendit, Deum ob generalem gratiam omni tempore velle omnes saluos fieri, at particulari gratia, quam electis suis præparauit, quosdam tantum. Accedit quod voluntas, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, est voluntas secundum quid, vt 1. par. quæst. 19. art. 6. ad 1. docet Sanctus Thomas. Voluntas autem, qua vult saluare illos, quos prædestinauit ad gloriam, est voluntas simpliciter, quæ subinde semper impletur. Ex hac enim absoluta prædestinatione procedit, quod præparauerit electis efficacem gratiam, qua si ceciderint, resurgant, & perseuerent vsque in finem, quam quidem gratiam non præparauit reprobis. Et certè si argumentum factum apparentiam aliquam haberet, etiam procederet contra Auctores sententiæ contrariæ. Ipsi

1. Tim. 2.

S. Prosper lib. de vocat gent. c. 12.

S. Prosper lib. de vocat gent. c. 25.

Retorquetur arg.

enim

enim fatentur, Deum ante omnia præuisa merita, vel demerita, præparasse pro suo mero beneplacito electis suis gratiam congruam, cum qua præsciebat illos perseueraturos vsque in finem, & peruenturos ad vitam æternam. Reprobis autem nõ præparasse eiusmodi gratiam, sed aliam, cum qua præsciebat ipsos non perseueraturos vsque in finem. Et in hoc constituunt profunditatem prædestinationis; quia, cum pro sua mera voluntate potuerit Deus constituere prædestinatos in illis circũstantiis, in quibus præsciebat illos esse peccaturos, & damnandos, noluit eos constituere in eisdem circumstantijs: reprobos autem constituit in illis circumstantijs, in quibus præsciebat, eos male vsuros suo arbitrio, & damnandos: & tamen hoc non obstante (vt ipsi fatentur) Deus non delusoriè, sed verè, & sincerè vult omnes homines saluos fieri, nec delusoriè vocat eos ad nuptias, sed seriò. Ergo idẽ erit dicẽdũ in nostra sentẽtia.

Ad Confirmationem respondetur, illam similitudinẽ non tenere in omnibus. Etenim Princeps Agonothetà potest quidem militibus decertantibus præmiũ propositum conferre, si vicerint, non tamen potest eos victores efficere. Deus autem non solum paratam coronam retribuit viriliter decertantibus, sed etiam victores efficit electos suos, iuxta illud, quod in laudem Sancti Vincentij Martyris dicitur. *Ipse tibi coronam paratam seruat in cœlis, qui te fecit victorem in pœnis.* Tenet autem similitudo, quantum ad hoc, quod sicut Agonotheta omnibus decertantibus re vera vult dare promissum præmium, si vicerint: ita Deus sincero animo omnibus vult conferre vitam æternam, si vicerint, & perseuerauerint vsque in finem, iuxta illud, *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda,* & *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Sed vltra hoc electos suos victores efficit, tribuens illis non solum præmium: sed etiam victoriã, & meritũ, Apost. dicente: *Deo autẽ gratias, qui dedit nobis victoriã per Iesum Christũ Dominum nostrũ.*

Ad Sextum locum respondetur, quòd pater familias non efficit operarios rectè laborare, & ita non decernit absolutè conferre illis denarium, nisi supposito labore, quem à se ipsis exibent. Deus autem in nobis, atque no-

X. Dei, & Agonoth. differentia — *In Officio Matutin. Ord. Prædicatorum* — Apoc. 2. — Matt. 24. — 1. Cor. 15. — *Dei, & Patris famil. differentia* — Matt. 20.

1.Cor.15. biscum, vt operemur, operatur, iuxta illud Apostoli: *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed* Philip. 2. *gratia Dei mecum,& Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* Vnde optime potuit ante præuisum laborem absoluto,& firmo animo statuere, dare electis suis vitam æternam. Nec enim metuendum est, quod Deo sic eos prædestinante non laborent, aut non perseuerent in gratia,vel deficiant à vita æterna. Secundo respondetur, ex loco illo solũ concludi,quod vita æterna in ratione mercedis,& præmij nõ correspõdeat alicui,nisi propter laborẽ,& præcedẽtia merita, vt supra dictũ est.

II. *Prædestin. qualiter coronam amittere non possint.* Apoc. 3. Ad Octauum locum ex Apocal. 3. Cap. respondetur ex dictis ad quartum locum,quod illis verbis solum significatur mutabilitas arbitrij à malo in bonum, & à bono in malum secundum præsentem iustitiam, quandiù est in via: non autem, quòd prædestinatus à Deo possit amittere coronam sibi præparatam, secundum æternam,& absolutam Dei prædestinationem. Solutio est S. Thom. 1. p. q. 23. art. 6. ad 1. vbi explicans eundem locum Apocalip. 3. ait: *Quòd corona dicitur esse* S.Thom. 1. p. q. 23. art. 6. ad. 1. *alicuius dupliciter. Vno modo ex prędestinatione diuina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratię. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est. Et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens.* Permittit autem Deus, quòd aliqui prædestinati cadant in peccatum mortale, & secundum præsentem iustitiam coronam amittant, vt de cætero timorem habeant, & peccatum elationis, & vanæ securitatis caueant, vt Augustinus explicat lib. de Correpr. & gratia c.13. expendens eũdem locũ Apocal. 3.

Prędestin. an damnari possint. Sed obijcies. Prædestinatus,quandiù est in via,potest damnari,& reprobus ante vltimũ vitę terminum potest saluari. Ergo ante præuisionẽ perseuerantiæ vsq; in finẽ, nullus est à Deo absoluta voluntate prædestinatus ad gloriã,neq; aliquis intelligitur absolutè reprobatus ante præuisionẽ peccati finalis impœnitentiæ. Probatur cõsequẽtia; nã prædestinatio Dei absoluta, sicut & volũtas absoluta cassari non põt,aut impediri, ne consequatur effectum.

Respondetur, Prædestinatum quidem, quamdiù est in via, posse damnari absolutè loquendo: nunquam tamen

dam-

damnabitur; quia prædestinatio ipsa efficit, quod cum damnari possit per vertibilitatem arbitrij; non tamen damnetur, sed infallibiliter saluetur. Vnde S.Thom.q.6. de Veritate art.3.ad 7.ait: *Si loquamur de prędestinato secundum ordinem, quē habet ad aliud, scilicet ad Deum prędestinantem, sic non compatitur secum istum euentum, quod scilicet moriatur in peccato mortali, (& damnetur) quāuis cōpatiatur secū istā potentiā*, quòd scilicet possit mori in peccato mortali, & dānari. Idē docet q.23.de Veritate art.5.ad.3.& 1.p.q.23.art.6.ad primū, & secūdum. S Thom. q. 6. de Verit. art. 3. ad. 7.

Ad vltimum locum ex Sapient. 11. respondetur cum S.Thom.1.p.q.23.art.3. ad.2. quòd *Deus omnes homines diligit, & etiam omnes creaturas, in quantum omnibus vult aliquod bonum: non tamen quodcumq; bonum vult omnibus. In quantū igitur quibusdā non vult hoc bonū, quod est vita æterna, dicitē eos habere odio, vel reprobare.* Sapiēt. 11. S.Thom. 1. p.q.23.ar. 3. ad. 2. Deus non ōnib. vult hoc bonū, vit. æterna

CAPVT XIII.

Secunda obiectio ex Patribus contra gratuitam prædestinationem ad gloriam discutitur.



Ecunda obiectio ex Patribus profert in primis D.Pet. apud Clem. lib.3.Recognitionū, vbi ait. *Prauidēs Deus, quod ista potestas arbitrij, alios quidē faceret bona eligere, alios mala ac per hoc in duos ordines necessario propagādū esse hominū genus, vnicuiq; ordini concessit, & locū, & regē, &c.* Ergo Deus nō facit illam discretionē ante prçuisionē operū. I. Idem eadē sect. 2.n.7.

Obijcitur etiam S.Hieron. in c.1.Isaiæ, vbi explicans illud, *Si volueritis, bona terrę comedetis, etc.* inquit, *Liberū seruat arbitriū, vt in vtrāq; partē nō ex præiuditio Dei, sed ex meritis singulorū, vel pęna, vel prēmiū sit.* At si ante omnē præuisionē bonorū, vel malorū facta est discretio, qua his decreta gloria, illis nō decreta; pmiū certè videt singulis cōstitutū ex præiudicio Dei. Prēiudiciū.n. est sētētia iudicis cōcepta ante causę examē. Idē videt de pęna. Nam nō sic eligere, moraliter est velle damnare, quia rè S. Hier in c. 1. Isaia. Præiudiciū quid sit

ipsa

ipsa nemo sic non electus damnationem euadit. Item in capite primo Malachiæ. *Dilectio, & odium Dei, vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus, alioquin nouimus, quod omnia Deus diligat, ne quidquam eorum oderit, quæ creauit; sed propriè eos suæ vindicat charitati, qui vitiorum hostes sunt & rebelles: & è contrario illos odit, qui à Deo destructa cupiunt rursus extruere.* Hic apertè insinuat, sicut odium nascitur ex operibus: ita dilectionem illam singularem, qua aliquos absolutè diligit ad regnum, nasci ex operibus. Idem Epistola ad Hedibiam, q. 10. *Vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam, non irrationabiliter saluat, & absque veritate, sed causis præcedentibus: quia alij non susceperunt filium Dei; alij autem recipere sua sponte voluerunt. Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* At hoc verum non esset, si ante omnem voluntatum præuisionem ex mero suo beneplacito hos eligeret ad gloriam, non illos.

II. Ambros. lib. 5. de fid. cap. 3. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 3. explicans illud Matth. 20 *Non est meum dare vobis: Non est*, inquit, *meum, quia iustitiam seruo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit, Quibus paratum est, vt ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis: quia Deus personarum acceptor non est. Vnde & Apostolus ait*, Rom. 8. *Quos præsciuit, & prędestinauit: non enim ante prędestinauit, quam præsciret: sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.* Quid clarius? si non ante prædestinauit, quam præsciret merita, verum ergo non est, ante omnem præuisionem meritorum illis prædestinasse gloriam. Commentarius in Epistolam Pauli Ambrosio attributus in eundem locum ad Rom. 8. *Quos præsciuit futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa pręmia capessenda.* Rursus Commentarius Ambrosij in illud cap. 9. ad Romanos *Iacob dilexi, &c.* inquit,
Rom. 9. *vnum elegit præscientia, alterum spreuit, & in illo quem elegit propositum Dei manet; quia non aliud potest euenire, quam sciuit, & proposuit in illo, vt salute dignus sit: & in illo quem spreuit, simili modo manet propositum de illo; quia indignus erit: hoc quasi præscius, non personarum acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet,*

ret, neminem coronat, antequam vincat. At quomodo hæc vera sunt; si Deus nulla habitâ ratione operum futurorum, iam statuit dare huic coronam, illi nihil, nisi vnde exitium? iam enim hunc in suo decreto coronasset ante præscientiam victoriæ.

Chrysost. Chrysostomus Hom. 80. in Matth. explicans illud, *Venite benedicti*, ait: *Nam antequã nati essetis, quia sciebam vos huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Vide eundem Hom. 51. in Genesim initio: & Hom. 16. in Epistol. ad Roman.

Damasc. Damascenus lib. contra Manichæos pag. 562. *Prauidens Deus ea, quæ nos sponte facturi sumus, ea scilicet, quę sunt in nostra potestate,* (opera bona, & mala) *etiam ea quæ non sunt in nostrâ potestate,* præmia, & supplicia, *prædefiniuit.*

III. Eandem sententiam expressè tradunt Origenes lib. 7. in Epistola ad Romanos explicans illud, *Quos autem prędestinauit, hos & vocauit.* Theodoretus in eundem locum, & q. 12. in Exodum. Theophylactus ibidem, & in cap. 9. explicans illud, *Cum nondum nati:* & illud: *Nunquid dicit figmentum* Oecumenius in cap. 8. citans Cyrillum, & Photium: Euthimius in cap. 20. Matthæi explicans illud. *Quibus paratum est.* Sedulius, & Theodulus cap. 8. ad Rom. in illud: *Quos præsciuit.* Arnobius in Psalm. 90. 91. 108. 117. Hi omnes absolutam electionem ad gloriam statuunt ex præuisione meritorum, sicut reiectionem à gloria ex præuisione demeritorum. Pro eadem sententia adducitur Prosper ad obiectiones Vincentianas respons. 12. cum ait, *quia præsciti sunt casuri, non sunt prędestinati; essent autem prędestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate mansuri.* Et ad Capitula Gallorum resp. 7. *Quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præsciuit, ob hoc a filiis perditionis nulla eos prędestinatione discreuit.* Eandem repetit sententiam super cap. 7. & responsione 3. ad capita Gallorum. Vbi ait, *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prędestinati non sunt, sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntate, pręuaricatione præsciti sunt.* Et Diuus Fulgentius ad Moninum de duplici prædestinatione cap. 24. idem sentit. Adducitur etiam pro eadem

Origenes. Theodor. Theoph. Oecum. Euthim. Sedulius. Arnob. *Less. sect. 6 de Prædest. & reprob n. 79.* Prosper. D. Fulg.

eadem sententia secreta illa Quadragesimę, qua rogamus Deum, *vt beatę prædestinationis liber nomina eorum, qui nobis commendati sunt, & omnium fidelium ad scripta contineat.*

IV. Lib. 1. ad Simpl. q. 2. Denique adducitur pro eadem sententia S. August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. vbi explicans illud, *Vt secundum electionē propositum Dei maneret*, sic ait: *Nō ergo secundū electionē propositū Dei manet: sed ex proposito electio: idest, non quia Deus inuenit opera bona in hominibus, qua eligat; ideo manet propositum iustificationis ipsius: sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, qua iam eligat ad regnum cælorum; nam nisi esset electio, non essent electi, nec recte diceretur, Quis accusabit aduersus electos Dei?* Rom. 8. Hic aperte electionem illam, vnde aliqui dicuntur electi, vult esse ex præuisis meritis, quæ fiunt post iustificationem, vel ex ipso iustificationis statu, quod magis declarat subdens: *Non tamen electio præcedit iustificationem: sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum est, quia elegit eos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo dictum sit, nisi præscientia,* idest, ex præscientia operum bonorum electi sumus ad vitam æternam. Neque hoc vsquam legitur retractasse; imò commendat hanc disputationem lib. 2. Retractationum cap. 1. lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 4. & de Dono Perseuerantiæ cap. 20. Nam hæc electio nullo modo repugnat electioni gratiæ, quam libro de Prædestinat. Sanctorum cap. 3. dicit, se non intellexisse ante Episcopatum, cum putaret, fidem esse ex nobis; optime tamen eam intellexit, cum scriberet ad Simplicianū, vt ex verbis allatis, & ex tota illa disputatione constat.

Quod autem Sanctus Augustinus alijs in locis huic sententiæ non aduersetur, confirmant aliquibus rationibus, quas tamen à principio cap. 8. num. 2. adduximus, illisque cap. 11. iuxta Sancti Augustini mentem satisfecimus. Et infra cap. 21. Plures aliæ obiectiones quæ contra mentem S. August. afferuntur; adducendæ sunt, & soluendæ:

RE-

RESPONSIO.

QVamuis disputat. 37. & 110. de Auxilijs ad plura testimonia Sanctorum Patrum ex adductis in hoc argumento satisfecerim: placuit tamen in præsenti ad omnia fusius respondere, vt euidentius constet, illos sententiæ nostræ, quæ sine dubio est Sancti Augustini, & Sancti Thomæ, non aduersari. Et antequam ad loca singula singillatim respondeam, solutiones quasdam generales præmittere oportet, quæ facile possunt particularibus testimonijs adaptari; præsertim Græcorum Patrum, qui olim putabantur doctrinæ Sancti Augustini circa prædestinationem, & gratiam esse contrarij. V. *Vid.* Bañ. 1. p. q. 23. art. 5 dub. 1. in fin. ad 1. argum.

Prima ergo solutio est Sancti Augustini libro de Dono Perseuerantiæ cap. 18. vbi ad testimonia Patrum, qui videntur asserere, prædestinationem esse ex præscientia meritorum, respondet in hæc verba: *Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus. Hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse est, hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præscientiam & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re vti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur.* Quibus verbis apertè docet, præallegatos auctores, qui ante ipsum scripserunt, nomine præscientiæ intellexisse præscientiam donorum, & beneficiorum, quæ ab ipso Deo prædestinata sunt. Ideo enim inquit præscita sunt; quia prædestinata. Cum ergo merita gratiæ cadant sub prædestinatione, & sint effectus illius iuxta sententiam Sanctorum Patrum, relinquitur, esse non posse causam meritoriam prædestinationis. *Patrum testimonia circa prædestinationem expenduntur.* Rom. 11.

Secunda explicatio est S. Thomæ 1. p. q. 23 ar. 5 ad 1. vbi respõdens ad auctoritatem Ambrosij super illud VI.

Rom. 9. Rom. 9. *Miserebor, cui miserebor,* &c. dicentis: *Misericordiã illi dabo, quẽ prascio toto corde reuersurũ ad me,* ex quo videbatur deduci, præscientiam meritorum esse causam prædestinationis, explicat Ambrosium in eo sensu, vt merita præuisa, seu præscita, sint causa finalis prædestinationis. Ait enim, *quòd vsus gratia prascitus, non est ratio collationis gratię, nisi secundum rationem causæ finalis.* Hanc explicationem eleganter prosequitur Sixtus Senensis lib. 6. Bibliotecæ Sanctæ Annot. 250.

Sixt. Sen. 251. 252. vbi post quam retulit ferè omnia loca Patrum superius inducta, & alia plura, quibus probari videtur, quod Deus neminem è solo diuinæ voluntatis arbitrio, aut eligit, aut reprobat; sed hunc elegit, quia prænouit, eum non aspernaturum diuinam vocationem, & fidei lumen non auersaturum, illum vero reprobauit, quia præuidit ipsum oppositurum obicem diuinæ vocationi, & diuinam gratiam repudiaturum annot. 251. circa finem respondet, *quod si nos ad contemplationem finalis causa conuertamus, rectè quidem affirmare poterimus, prauisionem operum subsequentium diuinæ gratia receptionem esse causam electionis, ac prędestinationis finalem. Deus enim, vt Paulus ait, elegit nos ante mundi*

Ephes. 1. *constitutionem, & prędestinauit nos, vt essemus Sancti, & immaculati coram eo in laudem glorię gratia eius. Hoc est, nos sibi ab ęterno asciuit in suos, & praparauit nobis vocationis, & iustificationis gratiam, in eum videlicet finem, ut ea bene vteremur, & ex eius bono vsu gloriam sempiternæ fælicitatis adipisceremur. Nec dubium est, aliquos ex pradictis Patribus secundum hunc loquendi modum pronunciasse, opera nostra à Deo prauisa causam esse diuinę pradestinationis, finalem quidem, non autem meritoriam.* Et annotatione 252. *Dici-*

Ann. 152. §. ad horũ. *mus,* inquit, *ordinem diuinę prouidentię erga reprobos bina graduum varietate concludi, quorum alij priores sunt, & ęterni, ceu odium, neglectio, delectio, & reprobatio; qua prioribus diuini ordinis gradibus, hoc est, dilectioni, electioni, conscriptioni, & prędestinationi, ex diametro opponuntur. Hi quidem nullam in diuina prascientia causam habent, nisi Dei ita volentis animum ad ostensionem diuinæ iustitię prospicientem, & in hunc,*

vt

ut arbitror, sensum intelligendæ sunt Patrum sententię, quę nullam statuit reprobationis causam Alij vero sunt eiusdem reprobationis siue repulsionis posteriores, ac temporales gradus, nimirum, obtusio, excęcatio, induratio, & ęterna damnatio: quorum causa meritoria sunt reproborum incredulitas, iniquitas & obstinatio; quas cum Deus ab æterno prænosset, merito illis debitas pœnas constituit, nempe obtusionem, excæcationem, obdurationem, & ęterni supplicij damnationem, iuxta quarum considerationem dictum est à plerisque Patribus, mala opera præuisa, esse causam meritoriam diuinæ reprobationis, & repulsionis, hoc est, posteriorum effectuum diuinę postpositionis, qui non nisi ex malis reproborum meritis producuntur, dicente Propheta, Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. Oseæ 13.

Tertia explicatio est, quòd prædestinatio, quantum ad vltimum effectum in executione conferendum, pendet ex præcedentibus meritis gratiæ; quia videlicet glorificatio nunquam confertur electis, nisi propter merita gratiæ propriæ, si fuerint adulti, aut propter merita Christi, sibi per Sacramentum regenerationis applicata, sicut confertur paruulis. Nam (vt docet Sanctus Thomas) *nihil prohibet inter effectus prædestinationis vnum esse causam alterius; vel meritoriam, sicut merita gratiæ sunt causa glorię;* vel finalem, sicut glorificatio est causa meritorum procedentium ex gratia. S. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. in Corp.

VII. *Vita æterna, & habet rationē gratię, & mercedis debitę.*

Quarta explicatio est, Sanctos Patres, qui affirmant, prædestinationem ad gloriam pendere ex præuisis meritis gratiæ, intelligendos esse de prædestinatione ad gloriam, secundum quod ipsa gloria in exequutione habet rationem mercedis debitæ ex iustitia, qualis potest esse inter Deum, & creaturas, quam quidem rationem considerauit Apostolus, cum dixit: *Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Vbi glorificationem appellat coronam iustitiæ, quia sibi erat debita ex promissione diuina propter merita gratiæ: sed tamen priusquam intelligatur in ipsa glorificatione ratio mercedis debitæ ex iustitia, præintelligitur ratio gratuiti doni, seu gratiæ 2. Tim. 4.

consummatæ, ad quam absoluta voluntate ante omnia præuisa merita prædestinauit electos, quos in perpetua charitate prædilexit, & in posteriori signo rationis statuit donare illis omnia media, & merita, quibus ad eandem gloriam infallibiliter perueniret. Iuxta hunc sensum secundum intelligendus est Sanctus Augustinus, & alij Patres, qui docent, prædestinationem ad gloriam præuenire in signo rationis omnia merita gratiæ præuisa à Deo, & cum Patribus Græcis concordandi. Et quidem quòd glorificatio prę̨ter rationem mercedis, quam diximus, induat etiam rationẽ gratuiti doni, quod præuoluit Deus dilectis suis, & electis, patet ex illo Rom. 6.

Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, vbi iuxta cõmunem intelligentiam Sanctorum vita æterna dicitur gratia, & gratia consumata; quia ante omnia præuisa merita est prædestinatione æterna omnibus electis præparata. Et Ioan.

Ioann. 10. 10. *Et ego vitam ę̨ternam do eis.* Vbi verbum *dare* gratuitam donationem significat, qua ex prædestinatione Dei vita æterna correspondet electis. Non enim est incõueniens, quòd duplici titulo gloria dicat ordinem ad prædestinatos, nempe in ratione gratuiti doni, inquantum est terminus, ad quem ex mero Dei beneplacito electi sunt, & prædestinati ante omnia præuisa merita: & in ratione mercedis, seu coronæ iustitiæ, quæ reddenda est illis propter merita præcedentia. Sicut patet in glorificatione Corporis Christi, quæ pluribus titulis est ei collata, scilicet ex merito passionis, secundum illud Apostoli: *Humiliauit se Dominus noster*, &c. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. & ex debito naturali, quia gloria corporis naturali sequela consequebatur ad gloriam animæ, qua ab instanti suæ conceptionis perfruebatur, & titulo vnionis hypostaticæ, ratione cuius debebatur illi glorificatio corporis, nisi prouida dispensatione fuisset impedita, vt passionẽ, & mortem pro nostra redemptione subiret. Iuxta huiusmodi explicationes poterit Theologus facile respondere ad testimonia Patrum superius inducta.

Gloria duplici titulo datur Prędestin.

Philip. 2.

III. Ad S. Clementem.

Sed specialiter ad locũ Sancti Petri apud Clementem respondetur, non adduci ad propositum; quia in toto illo tertio libro recognitionum non agit Apostolus de

ele-

electione ad gloriam: sed duo tantum contra Simonem Magnum probare nititur: alterum est, hominem habere liberum arbitrium: alterum vero, Deum non esse causam peccati. Ex quo nulla ratione apparenti potest deduci, Deum absoluta voluntate neminem præ destinasse ad gloriam ante præuisa merita gratiæ.

Ad Sanctum Hieronymum super capite primo Isaiæ respondetur, illum aperte loqui de præmio, quod in ratione mercedis, & coronæ iustitiæ redditur pro præcedentibus meritis gratiæ. Nam sententia Iudicis præsupponit discussionem causæ, & vnicuique tribuit secundum opera eius. Et ad argumentum, quod ex auctoritate Sancti Hieronymi deducebatur, nam sequeretur, homines nasci iudicatos, siue ex prçiudicio Dei ante causæ examen ad præmium, vel pœnam ordinatos; respondetur, idem vel prorsus simile argumentum obiectum fuisse olim à Fausto Regiensi contra prædestinationem ante præuisa merita à Sancto Augustino traditam, vt videre licet libro eius primo de Gratia, & humanæ mentis arbitrio capite quarto in fine, vbi sic arguit. Si ergo vnus ad vitam, alter ad perditionem (vt asserunt) deputatus est, sicut quidam Sanctorum dixit, non iudicandi nascimur, sed iudicati: neque vlla sibi iuxta hæc poterit æquitas constare iudicij. Nam si nihil Deus famulo dedit, à famulo quid reposcit?] Et cap. 10. explicās illud: *Et tūc reddet vnicuiq; secundū opera sua*, inquit, *Aduerte, quia dū dicit secundū opera sua, salutē hominis, non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratię collocauit.* Sed quam inanis sit hæc illatio, ex dictis in superioribus patet. Ad alium locum Sancti Hieronymi, ex cap. 1. Malachiæ respondetur, quod dilectio, & odium Dei, quantum ad vltimum effectum in executione conferendum, nascitur ex præscientia futurorum, quatenus videlicet Deus præordinauit cōferre prædestinatis in executione gloriam propter merita, quæ tamen ipse misericorditer donat, & similiter prçordinauit reprobis pœnam æternam inferre propter peccata præuisa, quæ non à Deo, sed à seipsis habent. Et hoc tantum docere intendit Hieronymus in verbis inductis. Nihilominus ante omnia merita

Hier. sententi. circa Prędestin.

Malach. 1.

ta præuisa per modum intentionis Deus absoluta voluntate istum ordinauit ad gloriam, illum non ordinauit; quia ita sibi placuit. In quo autem sensu dicatur Deus, omnia diligere, iam supra explicatum est. Et similiter dicendum ad alium locum ex quæst. 10. ad Hedibiam. Vel dicendum secundum explicationem superius traditam, merita gratiæ præuisa esse causam finalem prædestinationis, non autem meritoriam.

IX. *Ambr testim. circa prædestin.* Ad locum Sancti Ambrosij lib. 5. de fide cap. 3. respondetur, illum aperte loqui de præmio, in quantum habet rationem mercedis debitæ ex iustitia pro labore, seu pro meritis gratiæ supposita promissione diuina. Vel explicandus est de prædestinatione, quantum ad vltimum eius effectum, qui in exequutione non confertur, nisi pro meritis procedentibus ex gratia. Ad Commentarium Ambrosij super caput 9. ad Roman. respondet Sanctus Thomas, esse intelligendum ita, vt bonus vsus gratiæ præscitus sit causa finalis prædestinationis, non autem meritoria, vt supra dictum est.

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 5. in corp. & ad. 1.

Ad Sanctum Damascenum respondetur per ea, quæ dicta sunt ad testimonium Sancti Hieronymi.

Ad Dam.

Quod autem attinet ad Origenem, aduertimus, illum in materia prædestinationis, & gratiæ nullam prorsus auctoritatem habere: sed potius eius doctrinam reijciendam esse: quia, vt 3. contra Gentes cap. 161. notauit Sanctus Thomas, *erroneè asseruit, hos ad Deum conuerti, non alios propter aliqua opera, quę animę eorum fecerant, antequam corporibus vnirentur. Et lib. 3. Periarchon male exponit verba illa ad Philip. 2. Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere,* & alias consimiles auctoritates, *vt scilicet diceret, quod Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, vt faciat nos velle hoc, vel illud,* quod etiam in doctrina Origenis taxat Sanctus Thom. 3. contra Gentes cap. 89. ostendens prædictam explicationem auctoritatibus Sacræ Scripturæ esse euidenter contrariam. Vnde Sanctus Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem, *Doctrinę*, inquit, *Pelagianorum Origen. ramusculus est*, & propter hoc male semper audiuit apud Catholicos. Qua propter eius auctoritate contra

Origenis sent. circa prædestin. reijcienda.

Philip. 2.

S. Hieron. Epistol. ad Ctesiphon.

præ-

prædestinationem gratuitam non est vtendum. Idem quoque dicendum de Theodoreto; nam Origenem sequutus, eius quoque verba transcripsit, & nedum prædestinationem ad gloriam, sed etiam ad gratiam ex præuisis meritis asseruisse, multi arbitrantur.

X. *Sedul. sent. circa prędestinationem excluditur.*

Sedulius etiam in hac parte non est audiendus, non secus, ac Faustus Regiensis, qui cum Massiliensibus doctrinam Sancti Augustini circa prædestinationem, & gratiam, quasi fatalem necessitatem induceret, oppugnauit. Et vt constet, qualis fuerit doctrina Sedulij, verba eius referenda putaui. Explicans enim illud: His *qui secundum propositum vocati sunt*, inquit, *Quos præsciuit futuros deuotos sibi, ipsos elegit ad promissa pręmia capessenda.* Et infra: *Quos præsciuit credituros, hos vocauit. Vocatio enim volentes colligit. Aliud est præscire, aliud prædestinare. Præscientia gerenda prænoscit, post modum prędestinatio retribuenda describit; illa pręuidet merita; hęc prędestinat pręmia.* Et infra: *Iacob, & Esau, qui ex vno sunt de Rebecca nati concubitu, antequam nascerentur, fidei sunt merito separati, vt propositum remaneret: ita ergo & nunc quos præsciuit de gentibus credituros, elegit, & ex Israel reiecit incredulos.* Hæc Sedulij verba refert Sixtus Senensis lib. 6. Bibliot. Sanct. annotat. 250. quæ sanè continent doctrinam Fausti Regiensis, quam constat, à Summis Pontificibus, & Catholicis Doctoribus reprobatam esse, vt disput. 2. de Auxilijs visum est.

Sedul. in Collectan. Epistol ad Roman.

Sixt. Sen.

Nec maior fides adhibenda est dictis Arnobij; nam (vt Sixtus Senensis libro 4 Biblioth. Sanctæ verbo, Arnobius, bene annotauit) taxare putantur sententiam Augustini, & omnium Scholasticorum Theologorum de æterna prædestinatione, & reprobatione, vt patet ex his quæ dicit super Psalm. 108. in illa verba: *Dilexit maledictionem, & veniet ei*, & in locis superius inductis adhærere videtur doctrinæ Massiliensium. Ex quo facile intelligi potest, istum Arnobium, non fuisse illũ Afrum, celebratissimum Rhetorem, qui sub Diocletiano Augusto circa annum Domini 300. claruit, sed alium, & stylo, & ingenio, vt cœlum à terra longe diuersum, vt Sixtus Senensis libro 4. præallegato efficacissimè probat.

Sixt. Sen.

Arn. sent. circa præd est. reijc. Psal. 108.

Deniq;

Denique alij Patres, qui superius adducuntur, vel adduci possent contra prædestinationem absolutam ad gloriã ante præuisa merita gratiæ, intelligendi sunt, & piè interpretandi iuxta explicationes superius traditas.

X I. *Prosp. sent. circa Prædestin. expeditur.*

Ad testimonia Sancti Prosperi superius inducta respondetur, quod (vt cap. 9. ostensum est) expressis verbis constanter docuit cum Sancto Augustino, prædestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita gratiæ. Vnde verba illa: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si essent reuersuri*, & similia, interpretanda sunt, & intelligenda, non quidem secundum causam essendi, sed secundum quandam concomitantiam, & illationem, seù secundum causam consequentiæ, quia videlicet, hæc est bona consequentia. Isti præsciti sunt casuri in vltimo vitę: Ergo non sunt prædestinati. Et similiter sequitur. Isti sunt reuersuri, & in sanctitate permansuri: Ergo sunt prædestinati. In hoc sensu explicat Sanctus Thomas aliam consimilem propositionem Origenis super Epistol. ad Romanos: *Non propterea aliquid erit; quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat.* Ait enim Sanctus Thomas: *Quod dicit, ideo pręscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentię, non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit: non tamen res futurę sunt causæ, quòd Deus sciat.* Similiter & nos dicimus: Quod ait Prosper, *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati*, intelligendum est secundum causam consequentiæ; non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliquis est præuisus peccaturus, & in peccato mansurus, quòd non sit prædestinatus: non tamen peccatum illud præuisum est causa, quòd non sit prædestinatus; quin potius reprobatio absoluta intelligitur prius in signo rationis ad permissionem illius peccati, & ad ipsum peccatum, vt disputatione 110. de Auxilijs dictum est. Et eodem modo intelligendum est id, quod subdit: *Essent autem prædestinati si essent reuersuri.* Secundo respondetur, Sanctum Prosperum non asserere, aliquos esse prædestinatos; quia præuisi sunt mansuri: sed solum affir-

S. Thom. 1. p. q. 14. ar. 8. ad. 1.

mat,

mat, hanc propositionem conditionalem, Essent prædestinati, si essent in sanctitate mansuri. Ad veritatem autem conditionalis non requiritur, quod antecedens sit causa consequentis: sed sufficit, quod posito in esse antecedente, ponatur infallibiliter & consequens. Vnde ex verbis illis Prosperi nullo modo potest deduci, præscientiam meritorum, & perseuerantiæ vsque in finem causam esse prædestinationis.

Sanctus Fulgentius nullo modo contradicit, sed potius fauet prędestinationi ante pręuisa merita, vt ex pręmissis cap. 9. constat Etenim titulus libri primi ad Monimum est, *De Prędestinatione bonorum ad gloriam*, &c. Et in toto libri discursu probare nititur, illam non esse ex præuisis meritis gratię, sed potius merita præuisa esse eiusdem prædestinationis effectum. XII. Ad Fulg.

Ad verba inducta ex oratione Quadragesimæ, respondetur, quod ex illis solum potest colligi, homines, dum sunt in via, posse ex libro vitæ deleri secundum pręsentem iustitiam, quatenus ad eam ordinantur ex meritis gratiæ, non autem secundum quod ex Dei prædestinatione ordinantur ad gloriam. Ita docet S. Tho. 1. p. q. 24. art. 3. in corp. vbi sic ait: *Est liber vitę conscriptio ordinatorũ in vitã ęternã. Ad quã ordinatur aliquis ex duobus, s3. ex prædestinatione diuina, & hęc ordinatio nunquam deficit; & ex gratia. Quicũq; .n. gratiã habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna. Et hac ordinatio deficit interdũ, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habẽdũ vitã ęternam, a qua tamen deficiunt per peccatũ mortale. Illi igitur, qui sunt ordinati ad habendũ vitã æternã ex prædestinatione diuina sunt simpliciter scripti in li. vitæ; quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternã in se ipsa: sed illi qui sunt ordinati ad habendum vitam ęternã, non ex prædestinatione diuina, sed solũ ex gratia, dicũtur esse scripti in libro vitæ, non simpliciter, sed secundum quid; quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam, non in se ipsa, sed in sua causa, & tales possunt deleri de li. vitæ.* S. Thom. 1. p. q. 24. ar. 3. in corp.

XIII. Aug. locus ex q. 2. ad Simplic. explicatur.

Ad locum S. Augustini ex lib. 1. ad Simplicianum, respondetur, potius fauere nostræ sententiæ; nam in tota illa quæstione secunda expendens locum ad Rom. 9. *Vt secundum propositum electio Dei maneret, non ex* Rom. 9.

 operi-

operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, &c. latissimè ostendit, æternam Dei electionem, & prædestinationem non esse ex præuisis meritis. Et inter alia inquit. *Si enim quia præsciebat Deus futura eius opera mala, propterea eum prædestinauit, vt seruiret minori, propterea prędestinauit & Iacob, vt ei maior seruiret, quia futura eius bona opera præsciebat, & falsum est iam quod ait, Non ex operibus. Si autem verum est, quod non ex operibus, & inde hoc probat, quia de nondum natis, nondumq; aliquid operatis hoc dictum est. Vnde nec ex fide, quia in nondum natis similiter non dũ erat quo merito Esau odio haberetur, antequã* allegatis *nasceretur.* Et in locis superius expressissimè docet, electionẽ ad gloriam factam fuisse ante præuisa merita gratiæ. Neque obstat, quòd ait quæstione illa secunda. *Sed quia propositum Dei manet, vt iustificet credentes: ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum.* Loquitur enim de electione, quæ in exequutione fit secundum præsentem iustitiam, vt ipsemet Augustinus explicat locis superius allegatis. Nec etiam obstat, quòd eodem loco ait: *Nemo eligitur nisi iam distans.* Non enim est sensus, quod ante electionem vnus præintelligatur distans ab alio, vt eligi mereatur. Sed quod per ipsam dilectionem, & electionem Dei fiat distans ab alio, & constituatur obiectum eiusdem dilectionis, & electionis diuinæ; nam (vt sæpe docet Sanctus Thom.) voluntas, & amor Dei non mouetur à bonitate, quæ præsupponatur in obiecto, sed potius est causa bonitatis, quæ reperitur in rebus, quas diligit, aut eligit.

Vide infr. c.21.n.12.

S. Thom. 1. p. q.20. ar. 2. in corp.

Ad rationes autem, quibus persuadere nituntur, sanctum Augustinum nunquam docuisse prędestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita gratiæ, iam cap. 11. responsum est, & ostensum, nostram sententiam expressam esse Sancti Augustini, & inferius cap. 21. id ipsum amplius fiet manifestum.

Ex ijs facile explicari possunt plures Doctores, etiam Scholastici, qui in fauorem prædestinationis ad gloriam ex præuisis meritis gratiæ adducuntur, quorum verba non putaui in præsenti referenda; tum quoniam multi ex illis parum, aut nihil in hac parte auctoritatis habent;

bent; tum quia nonnulli explicari possunt iuxta ea, quæ dicta sunt in responsione ad testimonia Sanctorum Patrum, vt videre licet apud Sixtum Senensem li. quinto Biblioth. Sanctæ annotatione 251. Fatemur tamen, aliquos recentiores Theologos, interquos est Lessius vbi supra, & Vasquez 1. p. disput. 89. cap. 6. & seqq. apertè defendere, prædestinationem ad gloriam esse ex præuisis meritis gratiæ. Sed eorum sententia non videtur admittenda. Nostram autem docent expresse inter Scholasticos antiquos Scotus in 1. sent. dist. 41. q. 1. §. Potest aliter, Durandus eadem dist. q. 1. nu 8. & 9. Egidius ibidem q. 1. artic. 2. Maior dist. 40. q. 2. post primam conclusionem, & inter recentiores Corduba lib. 1. q. 56. opinion. 5. in 2. illius parte Sotus super cap. 9. ad Romanos in digresione de prædestinatione, & omnes Thomistæ præsertim Caietanus, & Magister Bañes 1 parte q. 23. art. 5. & alij interpretes Sancti Thomæ, quorum sententia ex solutionibus argumentorum, quæ contra illam objciuntur, lucidior apparebit.

Lessius. Vasquez. Scotus. Durand. Egidius. Maior. Corduba. Sotus. Caietan. Bañes.

CAPVT XIV.

Prima Theologica ratio, qua probatur, prędestinationem absolutam ad gloriam esse ex præuisis meritis gratiæ, & eius solutio.

I. *Less. sect. 2. num. 11.*



Rima ratio, quæ adducitur contra electionem absolutam, & prædestinationem ad gloriam ante præuisa merita gratiæ, est; quia ex isto modo electionis omnino sequi videtur, reprobos non solum negatiuè, sed etiam positiuè exclusos esse à regno cœlesti, quod tamen admitti non potest. Sequela probatur ex fine huius efficacis electionis, qui est, (vt ipsi expresse docent,) vt constituatur regnum Sanctorum, secundum eam mensuram, quam

Prima ratio, quod excludātur alij non sic electi.

Deus mente concepit. Non enim salus singulorum secundum se in illa electione est intenta: sed vt complet mensuram à Deo principaliter tanquam bonum commune intentam. Atqui Deus elegit eum numerum personarum, & eum gradum gloriæ in singulis, qui mensuræ ab ipso conceptæ sit proportionatus,& commensus, non plures, nec pauciores, vt ipsi fatentur. Ergo hoc ipso cæteri omnes vi huius electionis censentur efficaciter exclusi. Patet consequentia; quia per illum numerum proportio iam est impleta. Vnde si vltra illum numerum aliquis saluaretur, ille esset extra illam proportionē,& euerteretur mensura primitus à Deo concepta.

Confirmatur,& declaratur exemplis ipsorum. Electio enim saluandorum se habet sicut electio lapidum, ex quibus construendum est palatium, vel ciuitas certæ mensuræ. Sunt enim electi veluti lapides viui, ex quibus summus Architectus Deus statuit fabricare cœlestē Hierusalem, suum Palatium, & suum Regnum: Atqui Architectus, qui mensuram palatij exactè concepit, si ex infinita multitudine lapidum seligat, verbi gratia, vnum millionem, quem numerum videt proportionatū mensuræ à se conceptæ, & hos omnes lapides signet, præfiniatque singulis suam mensuram, & formam; hoc ipso censetur reliquos omnes reijcere, & nolle in ædificium admittere: præsertim si sciat nullum ex ijs, quos selegit, posse deficere. Deus autem simili modo se habet in electione saluandorum: concepta enim mensura suæ domus, quam vult ædificare in cœlis, & omnium partium eius, eligit certum numerum personarum, tanquam lapidum (Angelorum scilicet,& hominum) mensuræ illi congruentem, & singulis prædefinit suum locū, & gradum, quem in ædificio debent obtinere. Cum ergo ædificium totum exactissimè secundum mensuram intentam ex illis electis perficiatur, quis non videat, cæteros omnes censeri positiuè exclusos? idem declaratur exemplo nuptiarum. Qui enim constituit facere conuiuium nuptiale certæ magnitudinis, verbi gratia, secundum capacitatem domus suæ, & seligit certum numerum conuiuantium, qui hanc mensam exactè impleat, quos absolutè vult interesse; hoc ipso cæteros omnes

omnes apud se, & in animo suo excludit, quantumuis exterius eos inuitet, vt veniant.

Confirmatur secundo Quia Deus ex vi huius electionis certus est, neminem reliquorum saluandum. Ergo ex vi huius decreti censentur exclusi. Consequentia patet; quia si decretum istud non haberet vim exclusionis, non posset ex eo haberi certitudo illa. Antecedens probatur; quia ex vi huius decreti Deus est certus de numero saluandorum, & de tota mensura, & proportione sui regni: hæc enim est, quæ primariè intenditur in ista electione. Vnde ordine intentionis præcedit electionem mediorum, & voluntatem ea exequendi, vt ipsi docent. II.

Confirmatur tertio; quia ex vi illius electionis prouenit, vt Deus circa omnes alios velit se habere negatiuè, & non dare illis gratiam congruam, nec præfinire illis perseuerantiam: atqui ex isto modo se habendi certissimum est, eos non saluandos: Ergo in ista electione censentur exclusi.

RESPONSIO.

Negari non potest, Deum tot homines, & Angelos prædestinasse absoluta voluntate ad gloriam, vt constituatur regnum Sanctorum, secundum eam mensuram, quam Deus, vt supremus, & perfectissimus artifex, mente concepit: nec etiam negari potest, tot elegisse, & prædestinasse, quot secundum ordinem suæ diuinæ prouidentiæ sufficerent ad eandem mensuram explendam, tam secundum numerum personarum, quàm secundum gradus intensionis gloriæ, singulis ex eadem prædestinatione conuenientes. Vnde fateri necesse est, nec plures, nec pauciores esse saluandos, quod & Sanctus Augustin. libro de Correptione, & gratia c. 13. expressè fatetur. *Hæc, inquiẽs, de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Et infra. *Certus est prædestinatorum numerus, qui nec augeri potest, nec minui.* Et sicut est certum, omnes Dei electos esse saluandos: ita certum est, nullum extra præde- III.

Prædestin. numer. est à Deo præfixus.

Augustin.

S. August. lib. de Dono Perseu. cap. 15.

prædestinatorum numerum regnum cœleste intraturum, vt colligitur ex eodem Augustino libro de Dono Perseuerantiæ cap. 15. quæ doctrina Sancti Augustini Massiliensibus valde displicuit, vt refert Sanctus Hilarius Epistola ad Augustinum, *Vnde est,* (inquiens) *& illud pariter non accipiunt, vt eligendorum, reijciendorumq; esse diffinitum numerum velint: atque illius sententiæ expositionem non ea, in qua, ac esse deprompta suscipiunt, id est, vt non nisi omnes homines saluos fieri velit, & non eos tantum qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnino, vt nullus habeatur exceptus.* Et S. Prosper Epistola ad Ruffinum post medium: *Ab hac* (inquit) *confessione gratiæ Dei, ideò quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis diuino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per secula cuncta natorum, certus apud Deum, definitus que sit numerus prædestinati in vitam æternam Populi, & secundum propositum Dei vocantis Electi, quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire.*

S Hilarius Epistol. ad Augustin.

Prosper.

Et quidem quod Deus selegerit, & prædefinierit in particulari lapides, hoc est, prædestinatos in cœlesti ædificio collocandos, probat S. Thom. hac ratione. *Quicumque intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus eius, quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Non enim per se elegit aliquem numerum in his, quę non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud: sed in tanto numero accipit huiusmodi, in quantum sunt necessaria propter aliud: sicut ædificator excogitat determinatam mensuram domus, & etiam determinatum numerum mansionum quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis: non autem elegit determinatum numerum lapidum; sed accipit tot, quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis.* Et ex hoc principio concludit, *quòd certus est Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis: sed etiam per modum cuiusdam principalis prædefinitionis.* Et quæst. 24. art. 3. in corpore ex eodem principio infert. *Illi igitur qui sunt ordinati ad habendum vitam*

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 7. in corp.

Prędestin. numer esse præfixum, docet Sanct. Thom.

æternam

æternā ex prędestinatione diuina sunt simpliciter scripti in libro vitæ; quia, sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam in se ipsa; & isti numquam delentur ex libro vitæ. Sed illi, qui sunt præordinati ad habendam vitam æternam, non ex prædestinatione diuina, sed solum ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitæ, non simpliciter, sed secundum quid; quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam, non in se ipsa, sed in sua causa, & tales possunt deleri de libro vitę. Cum autem liber vitæ sit conscriptio ordinatorum in vitam æternam, vt in eodem articulo dicit Sanctus Thomas, relinquitur, eos omnes, qui in libro vitæ æterna Dei prædestinatione sunt conscripti, infallibiliter esse saluandos; reliquos vero, qui non ordinantur ad vitam æternam ex æterna Dei prædestinatione, sed solum ex meritis gratiæ, seù secundum præsentem iustitiam, non esse peruenturos ad vitam æternam: sed tandem Deo permittente lapsuros in peccatum, & in eo perseueraturos vsq; in finem, & damnandos. Nec ex hoc sequitur id, quod in obiectione deducitur, videlicet, hoc ipso ex vi huius electionis, reliquos omnes esse efficaciter exclusos. Aliud est enim, Deum non velle reprobis hoc bonum, quod est vita æterna. Aliud vero, eos positiuè excludere. Primum enim est verissimum, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 23. art. 3. ad. 1. Hoc autem secundum est falsum, si propriè de exclusione loquamur. Nec enim prouenit ex vi electionis prædestinatorum, quod reprobi à fine supernaturali deficiant, & damnentur, sed ex eorum libero arbitrio, quia propria voluntate; hoc, vel illud peccatum committunt.

In lib. vitæ qualit. sint conscripti omnes, & soli præd.

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 3. ad. 1.

Sed dicunt. Reprobus non potest vitare, quin ipse pereat. Dicitur enim Eccles. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit:* Ergo eo ipso, quod non est electus, aut prædestinatus ad gloriam, manet omnino ab ea exclusus, nec erit illi imputandum, quod pereat. Respondetur cum Sancto Thoma 1. p. q. 23. art. 3. ad. 3. *quod reprobatio non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Vnde cum dicitur, quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum, secundum impossibilitatem absolutam: sed secundum*

IV. Obiectio. Eccles. 7.

Solutio *S. Thom. 1. p. q. 23 ar. 3. ad. 3.*

dum

dã cõditionata, quæ non tollit libertatem arbitrij. Vnde licet aliquis non possit gratiam adipisci, qui reprobatur à Deo: tamen quod in hoc peccatum, vel illud labatur, ex eius libero arbitrio contingit, vnde & merito sibi imputatur in culpam. Reprobus ergo sua propria culpa seipsum excludit à regno cœlesti; quia, vt dicit Prosper, *Deus multis est causa standi, nemini est causa labendi.* Accedit, quòd Deus etiam reprobos sufficienter ordinauit ad vitam æternam, auxiliaque sufficientia illis tribuit, quibus piè operari, & saluari possint, si velint, vt disp. 112. de Auxilijs ostensum est. Quod autem eisdem auxilijs abutantur, & vocationi diuinæ resistant, & pereant, ex libero eorum procedit arbitrio, vt 3. contra Gentes cap. 159. docet Sanctus Thomas. Vnde sibi, & non Deo imputare debent, quod à regno Dei maneant exclusi.

S. Prosp. in respons. ad capita Gallorum c. 7.

V. Ad Primam confirmationem respondetur, exemplum illud electionis lapidum, ad explicandam electionem prædestinatorum ad gloriam, non esse nouitium, sed vetustum satis, & habet fundamentum in verbis illis Psalm. 147. *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in id ipsum.* Et 1. Pet. 2. *& ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis,* qua similitudine vsus est Sanctus Thom. prima parte superius allegata. Tenet autem illa similitudo in hoc, quod sicut Architectus, nullum lapidem in ædificio constituit vltra illos, quos elegit, signauit, prædefiniuitquè ad perficiendam domũ iuxta mensuram mente conceptam: ita proportionabiliter Deus nullum constituet in ædificio regni cœlestis præter electos, quos ad implendam mensuram intentam eiusdem regni destinauit. Est tamen differentia, quod lapides materiales, qui ab Architecto reprobantur, & relinquuntur, non excludunt seipsos ab ædificio domus; eo quod non habent liberum arbitrium, quo ædificium illud possent intrare, si vellent: cæterum creaturæ rationales, licet à Deo reprobentur, quatenus non vult illis hoc bonum, quod est vita æterna; tamen in exercitio, quandiù sunt in hac vita, per Dei gratiam, quam paratus erat Deus ex parte sua etiam reprobis conferre, poterant ad regnum cœlorum per-

Psal. 147.
1. Petr. 2.

Dei, & Architecti cõparatio nõ tenet in omnibus.

peruenire, & sua culpa noluerunt. Quare quod ab eodem regno maneant perpertuo exclusi positiuè, & flammis perpetuis deputati, ex libero illorum arbitrio procedit: & idem dicendum proportionabiliter ad similitudinem adductam in eadem confirmatione de faciente nuptiale conuiuium.

Ad secundam confirmationem respondetur, negando consequentiam, quia licet Deus in decreto, quo statuit non velle reprobis hoc bonum, quod est vita æterna, certo cognoscat, illos re ipsa nunquam peruenturos ad regnum illud; eo quod nemo illuc, nisi Deo volente, sit intraturus; tamen eiusmodi decretum non est caussa, quod reprobi peccent, aut à regno cœlesti in exercitio excludantur: sed id totum prouenit ex eorum malitia, vt dictum est. Vt ergo in decreto illo fundari possit certitudo infallibilis, quod reprobi non peruenient ad vitam æternam, sed ab ea deficient, non est necessarium, vt habeat vim exclusionis positiuæ à regno cœlesti: sed sufficit, quod eodem decreto noluerit reprobis bonum vitæ æternæ.

Secundo respondetur, quod certitudo illa fundatur in decreto, quo Deus statuit permittere peccatum reprobis, & perseuerantiam in illo vsque in finem, concurrendo ad entitatem eiusdem actus, vt disputat. 11. de Auxilijs ostensum est.

Ad Tertiam confirmationem fatemur quidem, ex vi eiusdem electionis prouenire, vt Deus circa omnes alios se habeat negatiuè, & velit non dare illis gratiam efficacem, qua perseuerent vsq; in finem; fatemur etiam ex isto modo se habendi, certissimum esse Deo, reprobos non esse saluandos: negamus tamen inde sequi, quod ex vi huius electionis à regno cœlesti positiuè maneant exclusi, vt ex præmissis patet. Accedit, quod vt disp. 112. de Aux. ostensum est, Deus quantũ est ex parte sua, paratus est omnibus gratiam dare, qua saluari possint, & saluentur, si velint: sed illi soli gratia priuantur, qui eidẽ gratiæ impedimentum præstant, vt 3. contra Gent. cap. 159. & 160. dicit S. Thom. Vnde illis, & non Deo imputandum est, quod à regno cœlesti maneant exclusi. VI. *Erga reprobos, qualiter Deus se habeat.*

CAPVT XV.

Secunda Ratio contra eandem prædestinationem proponitur, & soluitur.

I. *Secunda ratio, quod non consistat cum desiderio salutis.*



HIc modus electionis ad gloriam ante præuisa merita gratiæ non videtur satis consistere cum sincera voluntate saluandi omnes homines, maxime fideles, neque cum illo amore, & illa cura, qua omnes ad salutem excitat, quæ Scriptura tantopere commēdat. Si enim sincere desiderat omniū salutem, cur ante omnem præuisionem futurorum tam paucos elegit. Et cæteros omnes non sic electos ita negligit, vt nemo ex illis saluetur. Cur circa istos omnes, nulla eorum culpa exigente, aut præuisa, ita se gerit, vt ex eo modo gerendi certo sciat, neminem saluandum? certè ista non videntur signa vera desiderij eorum salutis. Item si sincero affectu cupit omnes saluos fieri, cur illis non præparauit, nisi gratiam incongruam?

Confirmatur primo; quia si in Deo non esset præscientia conditionata, qua sciret, quæ gratia sit caritura effectu, si detur, & sic distribueret gratias vere sufficientes cum desiderio cooperationis humanæ, nemo dubitaret, quin in plurimis essent habituræ effectum, & homines essent cooperaturi, & futuri salui. Ergo quod nunc nemo eorum cooperetur, prouenit ex eo, quod Deus de industria gratias incongruas pro illis seligat.

Confirmatur secundo; quia electis seligit gratias congruas, vt fiat opus ab ipso prædefinitum: Ergo non electis debet seligere incongruas, ne fiat opus quod ipse non prædefiniuit. Vnde vlterius sequi videtur, Deum quasi insidiari illorum saluti. Si enim cum salus periclitatur, quærit, & seligit illis gratias incongruas (idest quas scit fore irritas) videtur id facere ne saluentur,

neuè

neuè in numerum saluandorum irrepant non electi. Quam enim ob causam, alioquin id faceret? Sicut enim ad prouidentiam eius pertinet, vt saluetur numerus sic electorum: ita ad eandem pertinere videtur, vt alij, qui ab illa electione sunt exclusi, non fiant salui: quia alioquin posset fieri, vt aliquis ex istis in numerum illum intraret, quod est absurdum; quare cum ex tam immensa multitudine nemo saluetur, signum est, id aliqua peculiari prouidentia prouisum. Atqui hoc non consistit cum sincero desiderio salutis, & nefas est, ita de fonte illo bonitatis sentire: Ergo.

RESPONSIO.

Respondetur, cum electione Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa merita gratiæ optimè consistere in Deo sinceram voluntatem antecedentem saluandi omnes homines, maximè fideles. Nec enim alio fine tanta cura, & sollicitudine eos excitat, & vocat, nisi vt conuertantur, & salui fiant. Sed ex eorum culpa, vt dictum est, procedit quod vocationi resistant, & gratiæ Dei impedimentum pręstent, ac per consequens sunt inexcusabiles. Nec est inquirenda à Deo ratio, cur ex immensa multitudine hominum, & Angelorum, tam paucos elegit: huius enim electionis ratio potest quidem nobis esse occulta, sed non iniusta, vt sæpe dicit Augustinus. Vnde Apostolus hæc, & similia inquirentes increpat, dicens, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Sufficit ergo pro ratione huius electionis diuina voluntas, quæ cum sit prima regula bonitatis, iniusta esse non potest. Vnde Sanctus Thomas 1. p. q. 23. art. 5. in corpore ait, *quòd prædestinatio, quantum ad integrum effectum, habet pro ratione diuinam bonitatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur, vt in finem & ex qua procedit, sicut ex principio primo mouente.* Quod & Christus Dominus insinuasse videtur, cum dixit, *Confiteor tibi Pater Domine cæli,*

II. In Deo est sincera voluntas antecedens saluandi omnes homines.

Rom. 9.

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 5. in corp.

Matt. 11.

& terra, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Et iterum, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Cum enim regnum illud nulli creaturæ debeatur, potest Deus absque alicuius iniuria eligere absoluta voluntate ad regnum illos, quos voluerit, quia ita sibi placet, reliquos verò non eligere: sed permittere, vt ab eodem regno propria culpa deficiant. Nam, vt docet Sanctus Thomas 1.p.q.23. art.5. ad 3. & 2.cont. Gent. cap. 44. in fine, & ante illum August. lib. de Dono Perseuerantiæ cap. 8. *In gratuitis acceptio personarum locum non habet*, iuxta illud Matt. 20. *Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecũ? tolle quod tuum est, & vade, volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Lucæ 12.

S. Thom. Augustin. *Acceptio personarũ in gratuitis locum non habet.* Matt. 20.

III. Retorquetur argumentum.

Secundo respondetur, idem argumentum retorqueri posse contra Auctores sententiæ contrariæ. Si enim Deus sincero affectu cupit omnes saluos fieri, cur non vocat omnes in illis circumstantijs, in quibus præsciebat illos bene vsuros vocatione diuina, & perseueraturos vsque in finem ex hypothesi, quod in eisdem circumstantijs vocarentur? cur eos vocauit, quando præsciebat reluctaturos gratiæ Dei? Sicut ergo in eorum sententia, non delusorio, sed sincero affectu vult Deus omnes homines saluos fieri, etiam si non vocet omnes in illis circumstantijs, in quibus præsciebat esse saluandos: ita & in nostra sententia, voluntate antecedente sincero affectu vult omnes homines saluos fieri, etiam si non omnes, sed quosdam elegerit, aut prædestinauerit ad gloriam, nec præparauerit omnibus donum perseuerantiæ vsque in finem.

Ad primam confirmationem dicendum, ante omne liberũ decretum voluntatis diuinæ, non esse in illo constituendam scientiam mediã, seu conditionatam, vt lib. 1. cap. 1. & seqq. ostensum est, & disp. 7. de Auxilijs. Quo supposito asserimus, quòd si Deus solum distribueret omnibus gratias verè sufficientes, nisi accederet decretum

tum Dei absolutum, seu efficax, quo liberum arbitrium determinaret ad bonum vsum gratiæ sufficientis, nullus eorum conuerteretur ad Deum, nec saluus fieret, vt ex dictis disput. 18.22.23. & 91. de Auxilijs colligi potest: quia sola gratia sufficiens non conuertit hominem, nec facit illum piè operari; alias omnes, qui auxilio sufficienti præueniuntur, conuerterentur, & salui fierent. *Gratia sufficiens quæ dicatur.* Gratia ergo sufficiens solum tribuit homini posse piè operari, si velit, non tamen tribuit ipsum velle, sicut de gratia primi parentis in statu innocentiæ docet Augustinus libro de Correptione, & gratia cap. 11. & 12. Vnde, quod nunc nemo reproborum cooperetur cum gratia sufficienti, ita vt perseueret vsq; in finem, non prouenit ex eo, quòd Deus solam gratiam sufficientem, qua possint perseuerare vsque in finem, pro illis seligat: sed quia ipsi pro sua libertate eadem gratia sufficiente vti noluerunt, & gratiæ efficaci, quam Deus ex parte sua paratus erat illis conferre, impedimentum præstiterunt, dicentes Deo, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob 22.

IV.

Ad Secundam confirmationem respondetur, quòd Deus quidem electis selegit gratias efficaces, quas Auctores contrariæ sententiæ congruas vocant, vt fiat opus pium ab ipso præfinitum: inde tamen non sequitur, quod reprobis selegerit solam gratiam sufficientem, seu incongruam hoc fine, ne videlicet fiat opus, quod ipse non prędefiniuit. *Prędestin. seleg. Deus gratias efficaces.* Nam prima causa boni operis est ex Deo: sed causa priuationis, seu defectus eiusdem piæ operationis est ex nobis, secundum illud Oseæ tertiodecimo, *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ 13. Vnde non sequitur, Deum quasi insidiari reproborum saluti. Neque enim pertinet ad diuinam prouidentiam procurare, vt reprobi salui non fiant, neuè perseuerent in gratia vsque in finem: sufficit enim, quòd velit concurrere ad entitatem actus peccati in quantum actus, & ens est, & permittere illos peccare, & in peccato mori, vt certus sit, neminem reproborum esse saluandum, quemadmodum disputatione vndecima de Auxilijs dictum est.

Sed

V. *Lessius de prædest. & reprob. sect. 3. n. 53.*

Sed pro maiori intelligentia eorum, quæ asserit, & pluries repetit de gratia congrua, & incongrua, oportet aduertere, quod Auctor per gratiam congruam illam intelligit, quæ congruit affectibus, & inclinationibus hominis, vnde fiat, vt suauiter adducatur ad consensum, sicut cum auaro proponuntur opes cœlestes, & æternæ; ambitioso magni illi honores inter tot milliones Angelorum; comessatori epulæ conuiuij ęterni, &c. De hac congruitate loquitur Beatus Gregorius tota tertia parte sui Pastoralis, ostendens, quomodo vnumquodque genus hominum congruenter suæ conditioni, & captui sit admonendum, & tractandum. Hanc congruitatem Deus, vt sapientissimus admonitor, & consultor, maximè spectat, & adhibet.] Hæc ille. Addit, quod sæpe non habet effectum, voluntate nostra sua libertate non obediente: sicut patet in Angelis, qui & si eorum gratia esset congruentissima, non perstiterunt.] Et in hoc sensu intelligit, & admittit has & similes D. Augustini locutiones: *Electis, & prædestinatis datur gratia, qua conuertantur, qua perseuerent: Deus eos sic vocat, sicut aptum nouit, vt vocantem non respuant, sicut congruit eorum affectibus. Item, qui non sunt prædestinati, iis non datur gratia, qua perseuerent. Hæc enim certissima sunt, nec sine errore negari possunt; & ipse euentus declarat.* Et paucis interiectis subiungit. *Itaque mirum non est, si detur ei in tempore gratia, quæ habet effectum; quia iam supponitur pręuisa cooperatio. Prædestinatus enim dicitur, cui tota illa series beneficiorum præparata est*, Similiter reprobis non datur gratia, qua conuertantur; quia iam supponitur præuisa eorum obstinatio in malo, propter quam sunt reprobi.

VI. In hac explicatione gratiæ congruæ multa dicuntur, quæ mihi valde displicent, & communiter reprobantur à Thomistis. Displicet primo id, quod asserit, gratiam congruam, quam vocat efficacem, illã esse, quæ congruit affectibus, & inclinationibus hominis. Contra hoc enim est, quod licet Deus regulariter loquendo, verbis, & signis inclinationibus, & affectibus hominum congruis illos vocet, & excitet ad pœnitentiam, dum successu temporis eos ad iustificationem disponit, procedendo

de

de imperfecto ad perfectum, vt 1. 2. q.113. art 7. docet S.Thomas,& Greg. loco allegato significat, quod etiam cap. 2. nos admisimus; nihilominus gratia efficax, siuè adiuuans, qua Deus verè efficienter facit, vt peccator liberè, atque infallibiliter conuertatur, & perseueret in gratia vsque in finem, non dependet ex aliquo affectu, vel inclinatione hominis naturali, nec illam præsupponit, vt ex premissis constat; nam alias sequeretur, quod voluntas creata per gratiam illam præuenientem congruam, cum qua (vt aiunt) voluntas creata præscitur cooperatura, esset naturaliter ad vnum determinata, vt deducebamus disput. 7. de auxilijs nu. 16. & consequenter nullum haberet vsum libertatis: etenim affectus, & inclinationes hominum, ex quibus dependet vocatio congrua, sæpissime sunt naturales prouenientes ex temperamento naturali, & complexione, quę nõ subiacet hominis libertati, iuxta illud Iob, *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum.* Iob.
Ergo si ex illis affectionibus dependet, quod vocatio sit congrua, & habitura effectum, sequitur, quod per vocationem congruam voluntas creata naturaliter determinetur ad vnum. Item etiam sequeretur, quod efficacia præuenientis gratiæ pendeat ex aliqua proprietate indiuiduali, & naturali affectu, & inclinatione hominis vocati, & ita gratia efficax esset naturæ debita, quod est magnum inconueniens, vt disput. 83. de Auxilijs fuit ostensum, & superius lib. 2. cap. 7. & 8. confirmatum. Nec enim cogitur Deus spectare aliquam proprietatem naturalem, aut inclinationem, vel affectum hominis impij, vt absoluta voluntate velit eum iustificare, & iustificet, salua eius libertate.

VII. Displicet secundo, quod in prædicto sensu explicentur locutiones August. cum talis sensus sit ab eius mente omnino alienus, vt cap. 2. huius libri ostensum est.

Diplicet tertio, quod Auctor renuat fateri, quod prędestinatis datur gratia, qua Deus absoluta voluntate prędeterminauit ab æterno, & post modum facit in tempore verè efficienter, siuè ad modum causę physicæ, quod prædestinati conuertantur, & liberè; qua etiam efficit, vt perseuerent vsque in finem, & solum admittit dari

eisdem

eisdem *gratiam, qua conuertantur, & perseuerent*, supposita videlicet præscientia determinationis, & cooperationis liberi arbitrij, quam solum vult esse à Deo prę-scitam, non tamen absolutè prçuolitam, aut prædestinatam, vel prædeterminatam, cuius contrarium ostensum est disput. 22. & 23. & 91. de Auxilijs, & supra lib. 4.cap.6.&7. Displicet 4. quod gratia congrua, seù efficax ponitur dependens ex præuisa cooperatione creati arbitrij cum illa; alias gratia præueniens non esset efficax ex intentione Dei, siuè vt est à Deo.

VIII. Solutio,

Nec satis est, respondere, sicut Auctor respondet, quod intentio Dei non est omnino absoluta ante præuisionem determinationis nostræ voluntatis, quo fit, vt efficacia gratiæ non pendeat à sola intentione Dei (alioquin omnis gratia esset efficax, cum det eam sincerissima intentione, vt effectum habeat) neque à sola nostra libertate; sed simul à Dei intentione, & nostra libertate ei obsequente: inefficacia verò à sola libertate diuinæ intentioni repugnante. Hæc enim sententia,

Impugn.

& modus explicandi efficaciam præuenientis gratiæ sufficienter, vt arbitror, impugnata est locis allegatis. Nos autem dicimus, quod pia operatio, seù actus noster liber dependet quidem, tanquam à causa proxima, ex nostro libero arbitrio à Deo excitato, & adiuto per gratiam præuenientem efficacem: sed tamen efficacia eiusdem gratiæ, quam habet ad præmouendum liberum arbitrium, & faciendum, vt infallibiliter piè operetur, & perseueret vsque in finem, tota est à solo Deo, vt disput.90. de Auxilijs ostensum est. Vnde fieri nō potest, vt gratia congrua prædicto modo efficax sit in homine, & tamen idem homo non operetur actum pium, ad quem mouet. Nec ex hoc sequitur, quod omnis gratia præueniens sit efficax; nam gratia, quæ est tantum sufficiens, procedit ex voluntate Dei antecedente conuertendi hominem; non autem ex voluntate consequente, qua vult absolute hominem conuertere. Hæc enim voluntas semper impletur, non autem illa, vt 1. p.q.19 art. 6.ad. 1. dicit S. Thom. Addimus præterea, quod licet homo sæpe resistat gratiæ excitanti, qua Deus signis, & verbis congruis mentibus peccatoris suadet illi, quod

bonum

bonum est, fieri tamen non potest, vt gratia adiuuans, seu prædicto modo efficax sit in homine, & tamen non operetur actum, ad quem mouet.

CAPVT XVI.

Tertia Ratio contra eandem absolutam prædestinationem euacuatur.



Ste modus electionis non videtur consentaneus promissionibus, & comminationibus diuinis, quæ generales cum sint, ad omnes pertinent. Vt enim Concilium Tridentinum sess. 6. Canon. 20. ait, promissiones vitæ æternæ sunt conditionatæ, & semper tacitam, vel expressam continēt hypothesim; nimirum, si omnia mandata seruaueris; si perseueraueris: Ergo etiam voluntas, qua nobis vult vitam æternam ante præuisionem perseuerantiæ, est conditionata. Sicut enim promissio est signum voluntatis: ita promissio conditionata est signum voluntatis conditionatæ, & promissio absoluta signum voluntatis absolutæ, maximè quando conditio est potestatiua, seu pendens ex arbitrio promissarij. Sane insolens planè est inter homines, id sub conditione promittere, quod iam voluntate absoluta decreuerunt Vnde cum de diuinis rebus non possimus iudicare, nisi ex analogia rerum humanarum, rectè ex modo promittendi colligimus, in Deo non esse talem electionem. I. *3 Ratio quòd repugn. promissionibus.* Concil. Trident.

Confirmatur; quia non solum promissiones omnes sunt conditionatæ; sed adduntur minæ, nisi conditio illa præstetur, amissionis regni, & æternæ damnationis incurrendæ, quæ etiam ad omnes pertinent: Ergo regnum non est ita decretum alicui, quin re ipsa possit amitti. Si enim non posset sequi realis amissio, vana essent ista terriculamenta.

Confirmatur secundo;quia facta tali electione,& reprobatione, conditio, si perseueraueris, idem valet ex parte rei, ac si dicas, si Deus ex se prædefiniuit, vt perseueres; & conditio, si non perseueraueris,si Deus non prædefiniuit tuam perseuerantiam. Hæc enim inter se conuertuntur perseuerare re ipsa, & Deum noluisse tibi decernere perseuerantiam, vbi etiam illa nolitio est causa,sine qua non illius defectus in perseuerando. Itaque cum Deus saluandis promittit vitam æternam sub conditione, si perseuerent, perinde facit, ac si dicat: Promitto vobis vitam æternam, si ego ex meo beneplacito vobis perseuerantiam decreui: & cum minatur gehennam non perseuerantibus, perinde agit, ac si dicat: si ego vobis nolui decernere perseuerantiam, deturbabo in gehennam.

RESPONSIO.

II. AD hanc obiectionem disput.110. de Auxilijs num. 20. ad.3. respondi:sed nunc eadem solutio est iterum corroboranda, & rationibus, quæ in obiectione tanguntur, occurrendum. Ad cuius euidentiam considerandum est, esse magnam differentiam inter prædestinationem ad gloriam, & promissionem gloriæ. Illa enim est æterna, hæc temporalis; illa pertinet ad paucos, hæc ad omnes, quibus annunciatur Euangelium,in quo regnum cœlorum promittitur seruantibus diuina mandata.Prædestinatio ex sua prima significatione habet pro termino vitam æternam,secundum quod est in intentione diuina: promissio autem respicit gloriam, secundum quod in exequutione per merita comparatur, & pertinet ad gloriæ adductionem,quæ fit in tempore, de qua dicitur Hebræorum 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consumari.*

Not. 1. — *Prędestin. ad gloriā, & promissio gloriæ qualiter differant.* — *Hæbr. 2.*

Secundo notandum, quòd promissio dupliciter potest esse conditionata. Primo sic, vt conditio pendeat ab alio, quam à promittente, quia videlicet impletio illius non pendet à potestate promittentis,sed à potestate

Not. 2. Promissio duplic. esse potest conditionata.

state illius, cui res promittitur sub conditione; aut verò à potestate alterius: vt si quis promittat alteri centum aureos, si ipse à Rege talem gratiam obtinuerit. Secundo potest esse promissio conditionata ita, vt impletio conditionis sit etiam in potestate promittentis, vt si summus Pontifex promitteret alicui annuos redditus decem millium aureorum, si ascenderet ad dignitatem Cardinalatus: conditio talis promissionis, seù impletio illius est in potestate promittentis. Hoc ergo secundo modo sunt conditionatæ promissiones noui testamenti, quibus promittitur regnum cœlorum seruantibus diuina mandata, & perseuerantibus vsque in finem; quia videlicet Deus per gratiam noui testamenti efficit, vt cõditio impleatur; nam facit, vt faciamus, & perseueremus vsque in finem: ipse enim donat perseuerantiam qui perseuerantibus promisit vitam æternam. Vnde Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap. 10. ait: *Non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia & si faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit, alioquin vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ.* Idem dicit Epistola 105. S. Aug. lib. de prædest. Sanct. c. 10.

III. Promissiones veter. & noui testam. qualiter differãt

Et quantum ad hoc, est differentia inter promissiones veteris, & noui testamenti; nam lex antiqua promittebat quidem bona terræ seruantibus diuina mandata, iuxta illud Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis:* sed gratiam, qua seruarent mandata, hominibus non conferebat. Ostendebat, quid faciendum esset, quid fugiendum, sed vires ad declinandum à malo, & faciendum bonum, non præbebat. Vnde Sanctus Augustinus libro de Gratia Christi contra Pelagium, & Cœlestium cap. 8. explicans infirmitatem legis, *Iubet* (inquit) *magis, quam iuuat, docet morbum esse, non sanat, imò ab ea potius, quod non sanatur, augetur, vt attentius, & sollicitius gratiæ medicina quæratur. Quia litera occidit, spiritus autem viuificat. Si enim data esset lex, quæ posset iustificare, omnino ex lege* Esaiæ 1. Augustin. 2. Cor. 3.

Galat. 3. *esset iustitia. In quantum tamen lex adiuuet, adiungit, & dicit: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Hoc sensu intelligendum est illud Sancti Prosperi libro primo de Vocatione gentium cap. 9. *Manet prorsus, & quotidie impletur, quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donauit,* sine conditione (inquam) quæ sit in potestate alterius, & non in potestate promittentis. Quod enim exigitur à nobis, & quod promittitur, vtrumque est in potestate Dei, vt eleganter probat Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 11. vbi Massiliensium referens placita, sic ait: *Sed cum dicitur,* (inquiunt) *si credideris, saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate;* quam sententiam redarguens Augustinus, mox subiungit. *Cur non vtrumque in Dei est potestate, & quod iubet, & quod offertur? Rogatur enim, vt det, quod iubet; rogant credentes, vt sibi augeatur fides, rogant pro non credentibus, vt eis donetur fides, vt & in suis incrementis, & in suis initijs Dei donum sit fides: sic autem dicitur, si credideris, saluus eris, quemadmodum dicitur, si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Nam & hic ex his duobus vnum exigitur, alterum offertur. Si spiritu, inquit, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vt ergo spiritu facta mortificemus, exigitur: vt autem viuamus offertur. Num igitur placet, vt acta carnis mortificare nō donum Dei esse dicamus, neq; id donū Dei esse fateamur: quoniam exigi audiuimus à nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? Absit, vt hoc placeat participibus, & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis, quorum mox Apostolus ora obstruit, adiungens: Quotquot enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, sed per nostrū spiritum crederemus. De quo Dei spiritu etiam ibi loquebatur, vbi ait. Omnia autem hæc operatur vnus, atque idem spiritus diuidens propria vnicuique, pro vt vult. Inter quæ omnia, sicut scitis nominauit & fidē. Sicut ergo quamuis donum Dei sit facta carnis mortificare, exigitur tamen a nobis proposito præmio vitæ: ita donū Dei est*

Prosper.

Aug. lib de Prædestin. S&ct. cap. 11.

In Dei potestate est & quod promittit, & quod exigit à nobis.

Rom. 8.

1. Cor. 12.

est & fides quãuis & ipsa, cũ dicitur, si credideris, saluus eris, proposito præmio salutis, exigatur à nobis. Ideo enim hæc, & nobis præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur, quod & nos ea faciamus, & Deus facit, vt illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielẽ apertissimè dicit: quid enim apertius, quam vbi dicit, Ego faciam, vt faciatis? locum ipsum Scripturæ, fratres carissimi, attendite, & videbitis, illa Deum promittere facturum se, vt faciant, quæ iubet, vt fiant. Proportionabiliter nos dicimus in præsenti, quod licet Deus promittat homini vitam æternam, si mandata seruauerit, & perseuerauerit vsq; in finẽ, & exigat à nobis, vt piè operemur, si ad gloriã peruenire volumus, vtrũq; tamẽ fateri tenemur esse in potestate Dei, nempe, & quòd vita æterna conferatur nobis propter merita, seù propter obseruantiam mandatorum, & quòd mandata eius seruemus. Licet enim nos per liberum arbitrium à Deo excitatum, & motum liberè seruemus eius mandata, solus tamen Deus est, qui per gratiam efficacem facit, vt seruemus ea, sicut disp. 86. de Auxilijs ostensum est. Ezech. 36.

Ex his facile respondetur ad obiectionem factam. Ex eo, quod promissiones vitæ æternæ sint conditionatæ, modo superius explicato, non sequi prædestinationem, & electionem ad gloriam ante præuisa merita esse conditionatam: nam hæc argumentatio procedit à prædestinatione ad gloriam, secundum quod est in exequutione temporali, ad æternam prædestinationem ad gloriam, secundum quod est in intentione Dei, quæ nullam prorsus habet apparentiam, vt ex præmissis patet. IV.

Secundo respondetur, quod quando conditio, sub qua aliquid promittitur, est sub potestate promittentis, vt in casu huius disputationis, fieri potest, vt quis absoluta voluntate velit dare rem aliquam alteri, & tamen quod promittat eandem rem consequendam sub conditione. Et cum arguitur, nam promissio conditionata est signum voluntatis conditionatæ, respondetur, id vt plurimũ esse verũ, quando conditio non est in arbitrio, & potestate promittentis. Vel dicendũ, quod promissio conditionata est signum voluntatis conditionatæ contẽdi in exequutione id, quod promittitur sub cõditione,

Promissio conditionata, quando sit voluntatis conditionatæ signum.

sed

sed ante istam voluntatem præintelligitur in Deo voluntas absoluta, qua per actum intentionis finis prædestinatos efficaciter ordinauit ad vitam æternam ante præuisa merita gratiæ, vt dictum est. Et confirmari potest hæc solutio ex S. Thom. 1. p. q. 24. art. 3. in corpore, vbi ait, *Liber vitæ est conscriptio ordinatorum in vitam æternam. Ad quam ordinatur aliquis ex duobus, scilicet ex prędestinatione diuina, & hæc ordinatio nunquam deficit, & ex gratia. Quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita ęterna.* Et ex hoc concludit, quod prædestinatus non potest per peccatum mortale deleri à libro vitæ, secundum quod in illo est conscriptus per æternam Dei prædestinationem, sed solum secundum præsentem iustitiam, de quo etiam plura dicta sunt cap. 14. nu. 3. & cap. 13. nu. 12. & sequentibus: si autem efficax ordinatio electorum ad vitam æternam, secundum quod est in intentione diuina, fuisset dependens ex meritis gratiæ, sequeretur, quòd prædestinati delerentur simpliciter, & absolutè de libro vitæ per mortale peccatum, quod est contra S. Thomam.

Cōminationes Sacræ Script. qualiter non sunt vanæ.

Ad primam confirmationem respondetur. Minæ, quæ promissionibus adduntur in Scripturis non seruantibus diuina mandata, respiciunt regnum cœlorum, secundum quod in tempore ad illud ordinatur homo per merita gratiæ consequendum, & ex hac parte regnum cœlorum potest amitti, secundum præsentem iustitiam, vt 1. p. allegata dicit Sanctus Thomas. At secundum quod ordinatur ad illud ex æterna Dei electione, & prædestinatione, amitti non potest, vt in eodem articulo dicit Sanctus Doctor. Vt autem huiusmodi comminationes non sint vanæ, aut delusoriæ, sed vtiles, & seriæ, sufficit, quòd primo modo regnum illud possit amitti. Valent enim quamplurimum ad terrendum homines, & inducendum illos moraliter ad obseruantiam mandatorum, præsertim cum *nemo sciat an odio, vel amore dignus habeatur*, vt dicitur Eccles. 9.

Eccles. 9. V. 1.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod licet ista consequentia sit bona: Deus prædefiniuit, vt prædestinatus perseueret; ergo perseuerabit, & è conuerso: prædestinatus perseuerabit; ergo Deus prædefi-

niuit,

niuit, vt perseueret; tamen prædefinitio diuina, & perseuerantia actualis non sunt idem: tum quia perseuerantia, quæ fit per liberum arbitrium gratia adiutum, est effectus prædefinitionis diuinæ: tum etiam, quia prædefinitio solum se tenet ex parte Dei, cum sit actus prædefinientis. Cæterum piæ operationes, & meritoriæ à dono perseuerantiæ procedentes, pendent etiam à libero arbitrio à Deo excitato, & moto, cum sint actiones illius. Conditio autem, quæ exigitur ab homine, vt in exequutione consequatur vitam æternam, licet sit donum Dei, debet tamen poni in esse per liberum eius arbitrium. Vnde cum Deus promittit prædestinatis vitam æternam sub conditione, si perseuerent, vel mandata eius seruent, non se habet perinde, ac si diceret, promitto vobis vitam æternam, si ego ex meo beneplacito decreui donare vobis bona merita, aut perseuerantiam vsque in finem. Et idem dicendum proportionabiliter de illis, qui non seruant diuina mandata, aut non perseuerant vsque in finem. Licet enim Deus aliquibus non præbeat auxilium ad euitandum peccatum, *quod si præberet, non peccarent*, vt 1.2. q.79. art. 1. in corp. dicit S. Thom. non tamen imputatur illi peccatum hominis; eo quod Deus non tenetur præbere eiusmodi auxilium, quo peccatum vitetur, aut illud vitare; vnde, quod quis peccet, aut non perseueret, solum in eius liberum arbitrium referendum est.

CAPVT XVII.

Quarta Ratio contra eandem prædestinationem dissoluitur.



Electio absoluta ad gloriam ante præuisa merita non videtur satis congruere bonitati diuinæ, nec æquitati, & iustitiæ illius: Ergo non est admittenda. Antecedens, quòd non congruat bonitati, probatur; quia non videtur huic contentaneum, vt in bonis, quæ ex se ante omnem præuisionem futurorum

I. 4. *Ratio quòd non congruat bonitati, & iustitiæ.*

rum

rum creaturæ rationali præparat, aliquos excipiat. Vnde omnes Angelos nemine excepto sanctificauit, & ad gloriam ordinauit, similiter omnes homines in Adamo. Cupit enim ipse omnibus se communicare nemine excepto.

Confirmatur. Nam si ex se, & ante omnem præuisionem futurorum, statuere voluisset de saluandis, non elegisset tam paucos, nec præparasset tam exiguos gloriæ gradus, nec imperfecta opera: sed vel omnes, vel certè quamplurimos, & perfectiora opera, maioresque gradus gloriæ prædestinasset.

Confirmatur secundo. Deus ex se, seu sola bonitate, nunquam statuit aliquid, quod per se sit inutile, imò perniciosum creaturæ, & non tendat, nisi ad eius perdi-
Sapient. 1. tionem. *Deus enim* (vt Sapientiæ primo dicitur) *mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum.* Et
Oseæ 13. Oseæ 13. *Perditio tua* (id est tibi imputanda) *Israel, ex me tantummodo auxilium tuum.* Atqui illa negatiua reprobatio, qua excluduntur ab electione, & præparatione auxilij efficacis, est inutilis, & perniciosa creaturæ, & non tendit per se, nisi ad eius exitium. Vnde fatentur, eam reprobationem non cadere sub meritum Christi;
Lucæ 9. quia Christus non venit animas perdere, sed saluare. Quod etiam confirmat euentus, quia nemo cum illa saluatur, imò infallibiliter ex ea sequitur damnatio. Ergo Deus ex se talem prædestinationem, aut reprobationem absolutam ante præuisa merita, vel demerita non statuit.

11. Confirmatur tertio. Non est credibile, Dei bonitatem ita statuisse ex se de suis creaturis, sicut nemo bonus, & sapiens censeret de illis statuendum, si res eius arbitrio committeretur, & sicut animus naturaliter refugit credere de infinita illa dulcedine. Sed nemo bonus, & sapiens (vt videtur) inter homines censeret, ita statuendum, & animus horret credere, ita factum: ergo, &c.

Confirmatur quarto, & probatur quòd eadem prędestinatio, & reprobatio ante præuisa merita, vel demerita, diuinæ iustitiæ non congruat; quia iuxta hunc modũ prædestinandi, & reprobandi in damnatione impiorum,

rum, & remuneratione iustorum non relucet tanta æquitas, quanta iuxta alterum modum. Nam de iustis diceretur. quid mirũ si isti bona opera fecerunt, si perseuerauerunt, si saluati sunt? Deus enim illos præ cæteris absoluta voluntate ad gloriam selegit. Deus omnia, & singula eorum bona opera cum omnibus suis circumstantijs, & perseuerantiam in gratia ante omnem præuisionem futurorum prædefiniuit. Quid laudis habet talia bona facere, quæ spectato Dei decreto impossibile erat omittere? Nos ab illo decreto exclusi fuimus: nobis gratia efficax nullo nostro merito denegata, & solum inefficax præparata; nobis bona opera decreta non fuere; ipse nos implanauit; ipse nostræ saluti est insidiatus; ipse eam nobis impossibilem reddidit: alioquin, qui fieret, vt ex tam immensa multitudine nemo saluus fieret?

Confirmatur quinto; quia in hac sententia difficile esset explicare, quomodo maxima hominum pars non sit diuina potestate prædestinata ad malum, & creata, vt pereat. Nam ante omne eorum meritum, vel demeritum præuisum Deus statuit illos è numero suorum electorum excludere. Hoc autem est ingens malum, etsi negatiuum: nam ex eo infallibiliter sequitur æterna damnatio. Ex vi enim huius decreti res omnes ita debent disponi, & gubernari à Deo, vt nunquam in illum numerum subintrent: quia alioquin salui fierent aliqui non electi, &c. similiter denegata est illis perseuerantia, & gratia congrua, & selecta sola incongrua, quæ sciebatur fore irrita, & inutilis. Ergo.

RESPONSIO.

HÆc etiam obiectio tacta est à nobis, & soluta disput. 110. de Auxilijs num. 20. in solutione ad 4. & olim proposita fuit à Massiliensibus contra doctrinam Sancti Augustini circa gratuitam prædestinationem, & gratiam: sed præsertim à Fausto Regiensi, qui (vt notauit Sixtus Senensis) contra prædestinationem traditam à Sancto Augustino suppresso eius nomine duos libros de Gratia, & Humanæ mētis arbitrio composuit. Is enim, vt disputat. 2. de Auxilijs num. 16. visum est, III.

Sixt. lib. 6. Bibliotecæ Sanctæ nu. 252.

Fausti Regiensis sent. circa prædestin.

prædestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita obiectione proposita impugnauit, præsertim lib. 1. cap. 4. in fine, vbi sic arguit. *Si ergo vnus ad vitam, alter ad perditionem (vt asserunt) deputatus est: sicut quidam Sanctorum dixit, non iudicandi nascimur, sed iudicati; neque vlla sibi iuxta hac poterit æquitas constare iudicij. Nam si nihil Deus famulo dedit, à famulo quid reposcit?* Quibus verbis in remuneratione iustorũ, & reprobatione impiorũ non seruari ęquitatẽ asserit, si ante præuisa merita, vel demerita pro mero Dei beneplacito vnus sit prædestinatus ad gloriã, alius non sit prædestinatus. Et lib. 2. c. 6. explicãs illud Rom. 9. *Vt secũdũ electionẽ propositũ Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c.* impietatem gentilicam vocat eorũ sententiam, *qui asserunt, Deum ita vnum eligere, & alium reprobare, vt inter duos perditos nulla consideratio laboris, nulla deuotionis habeatur.* Nos autem è contrario dicimus, nullam prorsus impietatis, vel iniustitiæ suspicionem habere prædestinationem, & reprobationem ante pręuisa merita, vel demerita: sed bonitati, & iustitię diuinæ maximè congruere. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod, vt dicitur Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum*, vt videlicet in omnibus creaturis repræsententur, & resplendeant perfectiones diuinæ, vt bonitas, misericordia, iustitia, &c. Vnde Sanctus Thomas 1. p. quæst. 23. art. 5. ad. 3. *Necesse est* (inquit) *vt diuina bonitas (quæ in se est vna, & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt, & inde est, quod ad completionem vniuersi requiruntur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quędam infimum locum teneant in vniuerso. Et vt multiformitas graduum conseruetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, vt supra dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem: voluit igitur* Deus *in hominibus, quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordię, parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat,*

Rom. 9.

Prędestin. & reprob. ante pręuisa merita nullam iniustitię suspicionem continet.

Prou. 16.

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 5. ad. 3.

Prędestin. & reprob. ratio ex parte Dei quæ sit.

bat, per modum iustitiæ puniendo. Et quamuis in reprobatione, & damnatione impiorum vehementius splendeat diuina iustitia; etiam apparet eius misericordia, *non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum*, vt 1. p. q. 21. art. 4. ad. 3. dicit Sanctus Thomas. *S.Thom. 1. p.q.21 ar. 4. ad. 3.*

IV.

Ad obiectionem ergo propositam dicendum, prædestinationem, & reprobationem absolutam ante præuisa merita, vel demerita, non aduersari vllo modo bonitati diuinæ; sed mirum in modum illi congruere. Quia licet bonum sit communicatiuum sui, & Deus, vt summè bonus, se omnibus creaturis communicet, & omnes creaturas diligat; non tamen omnibus se æqualiter communicat, nec omnibus æqualiter vult bonum ex parte obiecti voliti, vt 1. p. q. 20. art.3. docet Sanctus Thomas: alias omnes creaturæ essent æqualis perfectionis, quod tamen repugnaret pulcritudini vniuersi, ad quam pertinet, vt quædam superiorem, quædam inferiorem locum in perfectione teneant. Ex quo rursus sequeretur, quod diuina bonitas, non multipliciter, sed vnico dumtaxat modo repræsentaretur in rebus, quod est inconueniens. Ad cuius maiorem explicationem notandum, quod vt quæst.6. de Veritate art.4. ad.7. ait S. Thomas, *Bonitas diuina non communicat se ipsam, nisi secundum ordinem sapientiæ. Hic est enim optimus communicandi modus. Ordo autem diuinæ sapientiæ requirit, vt omnia sint facta in numero, & pondere, & mensura, vt dicitur Sapientiæ 9. & ideo conuenit diuinæ bonitati, vt sit certus prædestinatorum numerus.* Et similiter conuenit diuinæ bonitati, quòd ex prædestinatis, quidam maiorem, quidam minorem obtineant gradum gloriæ. Licet ergo Deus omnes Angelos creauerit in gratia gratum faciente, vt 1. p. q. 62. art. 3. docet Sanctus Thomas; non tamen omnes æqualiter ad gloriam ordinauit: sed quosdam sufficienter, quosdam vero efficaciter. Et similiter dicendum de Adamo, quod licet creatus fuerit in gratia, & in illo collata fuerit omnibus eius posteris iustitia originalis, & gratia, durante statu innocentiæ, per quam sufficienter ordinabantur ad vitam æternam: nullus tamen per illam gratiam fuit

Deus qualiter diligat omnes creaturas.

S.Thom. q. 6. de verit. ar. 4. ad. 7.

Sapient. 9.

S.Thom. 1. par. quæst. 62. art. 3.

ordinatus efficaciter ad gloriam; sed solum per gratiam, quæ confertur per Christum, sic ordinantur electi ad gloriam. Vnde licet Deus suam bonitatem omnibus communicet, nemine excepto, non tamen eam communicat omnibus æqualiter, sed secundum diuersos gradus, vt dictum est.

V. Ad primam confirmationem respondetur, quòd Prædestinati comparatione reproborum sunt pauci, absolute nihilominus, & in se ipsis sunt multi, vt disputat. 43. de Auxilijs ostendi. Dicitur enim Apocal. 7. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus tribubus, populis, & linguis stantes ante thronum.* Deus autem pauciores ad vitam æternam elegit præ illis, qui ab ea deficiunt; tum vt magis appareat Dei misericordia in electis, quæ eo magis commendabilis fit in prædestinatis, quo ex immensa hominum multitudine pauciores à massa perditionis sunt gratuita Dei prædestinatione discreti. Tum etiam quia bonum excedens communem statum naturæ, quale est æterna fœlicitas in clara Dei visione consistens, inuenitur vt in paucioribus, & plures ab eo deficiunt. Vtraque ratio est Sancti Thomæ prima parte quæstione vigesima tertia articulo septimo ad tertium. Similiter etiam quidam ad maiorem gradum gloriæ, quidam ad minorem sunt ex mero Dei beneplacito electi, & consequenter illis sunt plura, & perfectiora opera meritoria præfinita; alijs pauciora, aut minus perfecta, secundum quod eis congruit, præordinata, vt vnusquisque ad gradū illum gloriæ, ad quem est electus, infallibiliter perueniat. Neque enim erat expediens, quod omnes ad æqualem, vel ad perfectissimum gradum gloriæ peruenirent. Id enim pulcritudini illius regni cœlestis non congruebat, quod eo splendidius censetur, & pulcrius, quo pro diuersitate meritorum, quidam ad maiorem, quidam ad minorem gradum æternæ beatitudinis pertingūt. Quod & Apostolus docuisse videtur, cum dixit: *Deus dat illi corpus, sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cælestia, & corpora terrestria: sed alia qui-*

Prædestin. numer. est simpliciter magnus. Apocal. 7.

Inter Prædestinatus quidam ad maiorem gradū gloriæ sunt ordinati.

1. Cor. 15.

quidem cælestium gloria, alia quidem terrestrium: alia claritas solis; alia claritas lunę; alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Quibus verbis significatur, quod sicut ex simplici Dei voluntate processit, quod vnicuique seminum contulerit corpus maius, vel minus, & similiter luminaribus cœlestibus diuersam claritaté communicauerit, soli maiorem, lunæ minorem, stellis longe inferiorem, vt ex diuersitate corporum, & claritatis eorum, pulcritudo vniuersi consurgat: ita electis suis, qui *sicut splendor firmamenti, & velut stella fulgent in perpetuas æternitates,* diuersum gradum gloriæ, & merita diuersa, quibus ad illum peruenerunt, præparauit, sicut ad pulcritudinem admirabilem illius Regni, & ad manifestationem sapientiæ diuinæ congruebat. Dan. 12.

VI. Sed dices Deus potuit omnes electos suos meliores, & sanctiores facere: opera magis intensa, & perfecta præfinire, & ad perfectiorem gradum gloriæ prædestinare: cur ergo non fecit?

Deus qualiter potuerit facere aliquid melius quam fecerit.

Respondeo primo, id prouenire ex simplici Dei voluntate; quia ita sibi placuit, & ita disposuit, secundum ordinem per suam diuinam sapientiam, & prouidentiam statutum. Secundo respondetur, quod vt prima parte quæstione vigesimaquinta articulo sexto ad primum docet Sanctus Thomas, dupliciter potest intelligi, Deum posse facere aliquid melius, quàm fecerit. Primo, vt ly melius sit *nomen*, & importet perfectionem ex parte rei factæ, & sic potuit, quantum ad aliqua accidentalia facere vnamquamque rem meliorem, quam fecerit, siue in naturalibus, siuè in supernaturalibus. Secundo ita, vt ly melius sit aduerbium, & importet modum ex parte facientis, & sic non potuit facere aliquid melius: quàm sicut facit; quia non potuit id facere ex maiori sapientia, & bonitate. Vndè potuit cuilibet sanctorum præfinire plura, & perfectiora opera meritoria, & quemlibet electum ordinare ad gloriam magis intensam absolutè loquendo. Dico absolutè, quia vniuersum illud spirituale, nempe regnum cęleste, supposita diuina prouidentia, & suppositis aliis rebus, non potest esse melius propter decẽtissimum ordi-

S. Thom. 1 ...

ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum vniuersi consistit; nam si aliquid esset melius, quam de facto est, corrumperetur proportio ordinis: sicut si vna chorda plus debito intēderetur, corrumperetur cytharæ melodia, vt in solutione ad tertium eiusdem articuli dicit Sanctus Thomas.

Reprobatio qua ratione sit vtilis Ad Rom. 9. Ad secundam confirmationem respondetur, quod reprobatio non est per se inutilis, sed valde vtilis ad ostensionem diuinæ omnipotentiæ, & iustitiæ in reprobis, & maioris misericordiæ in electis. Dicitur enim ad Rom. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Nec etiam est per se inutilis, aut perniciosa creaturæ. Nam reprobare, (vt 1. p. q. 23. art. 3. in corp. dicit Sanctus Thomas) nihil aliud est, quàm permittere aliquos à fine supernaturali deficere. Ex huiusmodi autem permissione, per se loquendo, nihil inutile, aut perniciosum sequitur creaturæ, eo quod reprobatio (vt in solutione ad secundum eiusdem articuli dicit Sanctus Thomas) non est causa culpæ, ex qua omne detrimentum, & exitium prouenit reprobis. Hæc enim prouenit ex libero arbitrio eius, qui reprobatur. Vnde pœnam, quæ propter culpam infertur reprobo, non reprobanti, aut reprobationi; sed ipsi reprobo imputanda est, & secundum hoc verificatur dictum Prophetæ: *Perditio tua ex te*, vt in solutione ad secundum eiusdem articuli explicat Sanctus Thomas. Et in eodem sensu intelligenda sunt verba illa Sapient. primo. *Deus mortem non fecit, &* similia. Damnatio ergo æterna non sequitur per se ex reprobatione diuina; sed ex propria culpa, quam reprobus per originem contraxit, aut propria voluntate commisit.

S. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. in corp.

Oseæ 13.

Sapient. 1.

VII. Ad tertiam confirmationem respondetur, quod sicut dicitur Psalm. 35. *Iudicia Dei abyssus multa*, & ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*, & Isaiæ 55. *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris.* Vnde valde præsumptuosum esset, velle prouidentiam vniuersalem Auctoris cœli,

Psalm. 35. Rom. 11. Isaiæ 55.

cœli, & terræ per prouidentiam, aut diſpoſitionem hominis perituri regulare. *Cogitationes enim mortalium timidę, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Sapient. 9.

Secundo reſpondetur, creaturas omnes ordinari tanquam ad finem vltimum ad Deum, vt videlicet in illis repræſententur perfectiones diuinæ, vt ſupra dictum eſt, non autem poſſunt ſic ordinari ad aliquam particularem perſonam. Vnde nullus homo poteſt diſponere de creaturis eo modo, quo Deus, quaſdam pro ſuo beneplacito prædeſtinando, quaſdam reprobando.

Tertio reſpondetur, quòd in gratuitis etiam homo bonus, & ſapiens abſque alicuius iniuria cenſeret, ita eſse ſtatuendum, vt pro mero beneplacito ſuo aliqui eligerentur ad communicationem alicuius boni; alij relinquerentur, vt patet in Principe, qui pro ſuo beneplacito aliquos inuitat ad cœnam, alijs relictis.

Ad quartam confirmationem reſpondetur, Prædeſtinationem, & reprobationem ante præuiſa merita, vel demerita, nullo modo iuſtitiæ diuinæ, aut eius æquitati repugnare; quia (vt dictum eſt) in gratuitis non habet locum iniuſtitia, vel acceptio perſonarum. Vnde Sanctus Thomas 1. p. q. 23. art. 5. ad. 3. ait, *quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem, &c. nec tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deũ, ſi inæqualia non inęqualibus præparat. Hoc.n. eſſet cõtra iuſtitiæ ratione̅, ſi prædeſtinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult, plus, vel minus, dummodo non ſubtrahat debitum abſque præiudicio iuſtitiæ, & hoc eſt quod Paterfamilias Matt. 20. capite. Tolle quod tuum eſt, & vade; an non licet mihi, quod volo facere?* Eandem ſolutionem magis explicat quæſt. 6. de Verit. ar. 2. ad. 9. vbi ait, *quòd electio Dei, qua vnum eligit, & alium reprobat, rationabilis eſt, nec tamen oportet, quod ratio electionis ſit meritum: ſed in ipſa electione ratio eſt diuina bonitas: ratio autem reprobationis eſt in hominibus peccatum originale, vt dicit Auguſtinus, vel in futuro per hoc ipſum, quod eſt, non habere debitum, ad hoc, quod eis gratia conferatur: rationabiliter autem poſſum velle*

VIII. *Prędeſtin. & reprob. non aduerſatur iuſtit.*

S.Thom. 1. p.q.23.ar. 5. ad. 3.

Matt. 20.

S.Thom. q. 6 de verit. ar.2. ad 9.

Auguſtin.

dene-

denegare aliquid alicui, quod sibi non debetur. Eadem
S.August. est solutio Sancti Augustini lib. de Dono Perseuerantiæ
cap. 8 vbi etiam adducit in eius confirmationem locum
Matt. 20. inductum ex Matthæi 20. cap. *Tolle quod tuum est, & vade in pace.* Et ad excusationem, quæ ex parte reproborum in eadem confirmatione adducitur, respondetur, propter eandem argumentationem Faustus Regiensis, qui contra doctrinam Sancti Augustini, (vt supra dictũ est) libros duos de Gratia, & Humanæ mentis arbitrio conscripsit, statuere conatus est prædestinationem, & reprobationem ex præuisis meritis, vel demeritis. Sic
Lib. 1. c. 4. in fine. enim arguebat. *Si ergo vnus ad vitam, alter ad perditionem, vt asserunt, deputatus est, sicut quidam Sanctorum dixit, non iudicandi nascimur; sed iudicati; neque vlla sibi iuxta hęc poterit æquitas constare iudicij; nam si nihil Deus famulo dedit, à famulo quid resposcit?*

IX. S.August. Eandem querimoniam proponit Sanctus Augustinus Epistola 105. Vbi Sixtum presbyterum instruens aduersus Pelagianorum argumenta inter alia, inquit: *Hic iterum isti liberi arbitrij defensores, imò deceptores, quia inflatores; & inflatores, quia præsumptores, non aduersũ nos, sed aduersus Euãgeliũ loquũtur. Quid aliud dicunt, quã id, quod Apostolus sibi, quasi à talibus diceret obiecit?*
Rom. 9. *Dices itaque mihi: quid adhuc cõqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? Hanc contradictionem sibimet ipse tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce, qui nolunt accipere, quod superius dixerat. Ergo cuius vult*
Rom. 9. *miseretur, & quem vult obdurat. Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo inuenire possimus, quod dicamus: O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Et infra. *Sed excusabunt se,* inquit, *homines, qui nolunt rectè, & fideliter viuere, dicentes. Quid nos facimus, qui malè viuimus, quandoquidem gratiam, vnde benè viueremus, non accepimus?* & paulo inferius. *Postremo, quonam se isti excusabunt modo? Nempè illo, quem breuiter, tanquam ex eorum voce sibi obiecit Apo-*
Reprobi nullam habet iustam excusationem. *stolus, vt dicant, quid ad huc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? Hoc est enim dicere. Quid de nobis fiet querela, quod Deum offendamus malè viuendo, cum illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obdurauit*

rauit misericordiam non præstando. Si ergo illos non pudet hac excusatione, non nobis, sed Apostolo contradicere, cur nos pigeat eis, quod dixit Apostolus, hoc idem, atque identidem dicere, ò homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa vtique meritò rectèque damnata, facere aliud vas in honorem indebitum propter misericordiæ gratiam: aliud in contumeliam debitam propter iræ iustitiam, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens, quid eis largiatur, cum id supplicium recipient vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur? satis sit interim Christiano ex fide adhuc viuenti, & nondum cernenti, quod perfectum est, sed ex parte scienti, posse, vel credere, quod neminem Deus liberet, nisi gratuita misericordia per dominum nostrum Iesum Christum: & neminem damnat, nisi æquissima veritate, per eundem dominum nostrum Iesum Christum. Cur autem istum potius, quam illum liberet, aut non liberet; scrutetur, qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, veruntamen caueat præcipitium. Nunquid enim est iniquitas apud Deum? Absit: sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Et multa alia prosequitur in hunc modum. Denique paucis interiectis concludit, quòd si excusatio proposita iusta esset, sequeretur, gratiam secundum debitum iustitiæ dari. Non enim potest iustè quis conqueri, si non detur ei, quod non est sibi debitum. Verba Augustini sunt. *Nouimus enim liberari per gratiam Christi, quosdam etiam eorum, qui dicunt; quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? quæ si iusta est excusatio, non iam gratuita gratia sed propter huius excusationis iustitiam liberantur: Si autem gratia est, qua liberantur, profectò hæc excusatio iusta non est: tunc enim vera gratia est, qua homo liberatur, si non secundum debitum iustitiæ retribuatur. Nihil ergo fit in eis, qui dicunt, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? nisi quod legitur in libro Salomonis: Insipientia viri violat vias eius. Deum autem causatur in corde suo.* Eandem obiectionem proponit, & dissoluit libro de

Rom. 9.

Prou. 19.

Dono Perseuerantiæ cap.15. de qua etiam agit ex professo toto lib.de Correptione,& gratia.Ex quibus omnibus patet,quam vana sit,& antiqua excusatio in quarta confirmatione huius obiectionis proposita.

Ad quintam Confirmationem respondetur,nullo modo sequi ex nostra sententia, quòd maxima pars hominum sit diuina potestate prædestinata ad malum, vel creata,vt pereat:& ad ea omnia, quæ in eadem Confirmatione afferuntur,in solutione ad Primam Confirmationem responsum est.

CAPVT XVIII.

Rationi Quinta, & Sexta contra eundem modum prædestinationis, & reprobationis fit satis.

I. *Quinta ratio,quod solicitudinē tollat.*



HIC modus electionis, & reprobationis ante præuisa merita,vel demerita, videtur tollere omnem solicitudinem bonorum operum, & salutis. Quisque enim apud se ita ratiocinari potest. Vel sum de numero electorū, vel non sum. Si sum de illo numero,impossibile est,vt damner;nam diuinum decretum est absolutum, & efficax, cuius effectum nemo impedire potest.Et si enim possum damnari, spectata liberi arbitrij intrinseca dispositione, & mutabilitate; tamen vt subsito, & regor vi illius efficacis,& absoluti decreti,absolutè non possum. Non est ergo quod metuā dānationē,supposita illa electione. Vt aūt illa electio ponat̄, aut nō ponatur,nō pēdet vllo modo ex meis operibus,aut mea solicitudine,quia ante omnem præuisionem futurorum ex sola Dei voluntate posita est, vel non posita. Rursus non est, quod sim solicitus de bonis operibus, aut perseuerantia; quia hæc omnia mihi cum omnibus suis circumstantijs sunt decreta absoluto, & efficaci decreto, verbi gratia, vt tali mo-

momento habeam tale opus,& illo tale, & ſic de cæteris, & vt ſingula fiant ſic, decreta eſt pro illis momentis gratia congrua, quæ infallibiliter me faciet ſingula operari, ſicut ſunt decreta. Euidens enim eſt, eſse impoſſibile, vt Deus non impleat decreta ſua abſoluta, & efficacia; aut vt illa non habeant ſuum effectum. Cur ergo ſim ſolicitus? ſit potius,(vt humano more loquar,) ſolicitus ille, vt decreta ipſius impleantur. Pari modo non eſt, vt ſim ſolicitus de profectu, quia certa menſura gloriæ, & meritorum eſt iam prædiffinita, quam nunquam per meam ſolicitudinem excedam: Ergo, &c.

Si dicatur, Deum decreuiſse, vt prædeſtinatus ſit de ſua ſalute ſolicitus,poterit ille reſpondere.Si hoc decreuit,excitabit me,& faciet vt ſim ſolicitus,& fiet id,quod decreuit. Nihil ergo opus eſt, vt ego me ad ſolicitudinem prouocem.Idem dicere poſset de impletione mandatorum, & cæteris omnibus ad ſalutem neceſsarijs. Si vero non ſum de numero ſic electorum, fruſtra etiam ſum ſolicitus; fruſtra præcepta ſeruo; fruſtra conſilia Chriſti, & ſtatum perfectionis ſector: quia certiſſimus ſum, hæc omnia nihil mihi in re profutura ad ſalutem. Omnibus enim iſtis non poſsum intrare in iſtum numerum. extra quem nemo ſaluatur. Deinde, quia etiam ſi diù bene vixero, tandem occurret tentatio, in qua denegabitur mihi gratia congrua, & ſic cadam in peccatum, & damnabor. Quod ſi ex illis negatiuè reprobatis re ipſa mille, vel duo millia eſsent ſaluandi extra ordinaria quadam diligentia,quiſque poſset adhuc aliquam ſpem concipere, & conari; ſed cum certiſſimum ſit, neminem ex illis ſaluandum, non videtur, quid talem ad ſolicitudinem excitare queat.

Confirmatur; quia licet prædicta opinio recedat à ſententia hæreticorum huius temporis,quatenus ſaluat vtcumque libertatem intrinſecam; tamen in ordine ad praxim, & affectum humanum, non videtur multum diſcrepare. Non enim minus videtur tollere ſolicitudinem bonorum operum,& inducere licentiam vitæ,quam illa,vt ex ſupra dicta ratiocinatione colligi poteſt. Parum enim intereſt ad ſolicitudinem tollendam, ſiue dicamur poſitiuè reprobati,ſiue negatiue, ſi æquè infalli-

biliter sequitur damnatio. Similiter parum interest ad eundem effectum, siuè dicatur electio afferre necessitatem bonorum operum intrinsecam, siuè extrinsecam; cum omnia æquè certò sint futura.

RESPONSIO.

III. HÆc obiectio non videtur absimilis illi, quam Massilienses proposuerunt olim contra doctrinam S. Augustini circa gratuitam prædestinationem, & gratiam, vt constat ex Sancto Prospero Epistola ad Augustinum paulo post principium. Vbi eorumdem Massiliensium referens argumentum, ait, *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa vocatione generis humani, eligendorum, & reijciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre; eo quod in vtramque partem superfluus labor sit si neque reiectus vlla industria possit intrare; neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus diffiniuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tolliq; virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit.* Et idem refert Sanctus Hilarius epistola ad Augustinum, cuius verba adducenda sunt infra. Imò & Sanctus Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 12. Massilienses notat, *quod ab omni studio pietatis reprimi se putant, nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, vt retribuatur eis.* Conferatur hæc argumentatio Massiliensium cum Auctoris obiectione proposita, & patebit, eadem inconuenientia vtrobique deduci ex prædestinatione, & reprobatione, qua ante præuisa merita, vel demerita, secundum quod placuit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa

S. Prosper Epistol ad Augustin.

S Hilarius Epistol ad S. August.

S Aug lib. de Prædestin. Sanct. cap. 12.

Rom. 9.

vasa contumeliæ sunt creati. Auctor infert hoc modo electionis tolli omnem solicitudinem bonorum operum, & salutis: Massilienses inferebant remoueri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat volontates. Auctor infert, non esse, quod prædestinatus metuat damnationem, supposita illa electione absoluta ad gloriam ante præuisa merita: Massilienses quid simile inferebant, quod indicant verba illa Prosperi: *Et Sanctis occasionem teporis afferre*, &c. *Si neque electus vlla negligentia possit excidere*, quod magis explicant verba illa eorundem Massiliensium apud Sanctum Hilarium epistola præallegata ad Sanctum Augustinum: *Nam si sic prædestinati sunt* (inquiunt) *ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? si ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compuncta infirmitatis exoritur, aut periculum demonstrata mortis horretur; nam si non potest timere quis, vnde terretur?* Auctor arguit in ordine ad praxim, prædestinationem illam, & reprobationem non videri multum discrepare à sententia hæreticorum huius tẽporis, negatiũ liberũ arbitriũ, & inducentiũ licentiam vitæ. Massilienses ex eadem prędestinatione, & reprobatione inferebant, tolli arbitrij libertatem, vt constat ex verbis illis inductis, ex Prospero: *Et sub hoc prædestinationis nomine fatalam quandam necessitatem induci.* Quod etiam deducebat Faustus Regiensis lib. 1. de Gratia, & humanæ mentis arbitrio capite 4. *Quomodo* (inquiens) *si sub prælato mentiti ciuis habitu, subito hostis appareat, aut si se inimici dolosa subtilitas transfiguret in Angelum lucis; ita sub pietatis fronte gentilitatis malum, & intra gratiæ vocabulum absconditum erat fatale decretum.* Hilarius.

I V. Vt autẽ appareat, quàm inanes sint eiusmodi illationes, & inefficaces, oportet singulis iuxta doctrinam Sanctorũ Aug. & Tho. sigillatim satisfacere. Negãdũ est ergo sequi ex nostra (quæ potius est S. Aug.) sẽtẽtia, tolli omnẽ solicitudinẽ bonorũ operum, &c. Et ad rõnẽ, qua id probatur, nẽpe si sũ prædestinatus infallibiliter saluabor; si nõ sũ prædestinatus nõ saluabor: frustra ergo ero de mea salute

Prędestin. non tollit solicitudinem bonorũ operum

S. August. salute solicitus, &c. respondet ex professo Sanctus Augustinus libro de Dono Perseuerantiæ cap. 15. Sic enim loquitur. *Sed aiunt (vt scribitis) neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in Conuentu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet prædestinationis diffinita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem; vel accepta perseuerantia maneatis in fide: cæteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini; ideò nondum surrexistis, quia nedum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Veruntamen, si qui estis nedum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis, & sitis electi: & si qui obeditis, si prędestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis.* Et statim manifestissimis verbis cap. 11. nu. 5. relatis ostendit, verissimum esse, quòd talis vnusquisque erit, qualis Deus illum futurum esse præsciuit: ex hoc tamen non sequi, neminem debere correptionis, stimulis excitari: aut bona opera intermittenda. Quam enim inualida sit hæc illatio, c. 11. nu. 5. ostensum est. Id ipsum confirmat in eodem cap. 15. quodam exemplo, cum subdit. *Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat, qualiscumque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit. Qui profecto, & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum; sed vsque adeò profecit in malum, vt deserta Monasterij societate, fieret canis reuersus ad suum vomitum: & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergo propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda, tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?* Ex quibus verbis habetur, certissimum esse, quemlibet prædestinatum esse infallibiliter saluandum, & quemlibet reprobum esse finaliter damnandum, quantumuis ad tempus sit in gratia. Propter hoc tamen nullus debet circa salutem suam diligentiam remittere, aut bona opera intermittere: quia prædestinatio diuina non habet, vt electi, quidquid faciant, vitam æternam consequantur, siue operentur bonum,

Reprobatio non aduersatur exhortationibus.

num, siuè operentur malum; sed quod perueniant ad gloriam per opera meritoria, quæ etiam cadunt sub prædestinatione, & sunt effectus illius. Propter quod Petrus Apostolus eos admonet dicens: *Quapropter, fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* Quibus verbis satis apertè declarat, nullum prędestinatum re ipsa peruenturum ad regnum Christi, nisi per bona opera ad illud peruenire mereatur, & propterea debet semper esse de sua salute solicitus. Similiter etiam reprobatio diuina non statuit, vt quidquid reprobus faciat, incidat in damnationem æternam, quæ est vltimus reprobationis effectus, sed quod incurrat pœnam æternam, si peccatum commiserit, vel contraxerit, & in eo perseuerauerit vsque in finem. Quod quidem peccatum non est à Deo, sed ex defectu liberi arbitrij. Propter quod vni ex reprobis dictum est: *Nonne si bene egeris, recipies; si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Vnde toto tempore vitæ suæ vnusquisque solicitus esse debet, ne propria libertate peccatum cõmittat, propter quod damnationem æternam incurrat; vel si in illud inciderit, solicitus etiam sit, vt cum adiutorio gratiæ, quod Deus, quantum est ex parte sua, paratus est dare, ab eodem peccato resurgat. Quod si non fecerit, sibi imputet; si autem fecerit, Deo gratias agat; quia omne bonum ex Deo, malum autem procedit ex nobis, secundum illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Accedit, quod cum in hoc seculo electi sint permixti cum reprobis, sicut triticum in area permiscetur paleis, donec à ventilabro Dominico in die iudicij separentur ad inuicem: & nemo sciat, *Vtrum odio, vel amore dignus habeatur: sed omnia in futurum seruentur incerta*; omnes solliciti esse debent, vt per bona opera ad vitam æternam perueniant, scientes, *quod non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Quod & Sanctus Augustinus libro de Dono Perseuerantiæ capite 8. obseruauit: *Hominibus*

2. Petr. 1.

Gen. 4.

Oseæ 13.

Eccles. 9.

2. Tim. 2.

Aug. li. de Dono Perseuer. c. 8.

(in-

(inquiens) *videtur, omnes, qui boni apparent, fideles, perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse; Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseuseraturos certo numero Sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitę tentatione securitas, non possint esse securi: multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus, Qua propter qui videtur stare, videat ne cadat.* Et cap. 13. *Ideoque, sicut iam supra diximus, non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, & cum timore, & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate.* Et licet non omnes sint accepturi coronam illam, sed solum electi: omnes tamen contendere debent ad illam pertingere, Apostolo dicente: *Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium; sic currite, vt comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptã.* Et vt ostenderet, electos coronam illam non accepturos, nisi bonis operibus intenderint, mox subiungit: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

1. Cor. 10. Idem *Augustin. in eodem loco cap.* 12. Philip. 2. 1. Cor. 9.

V. *Prædestin. solicitudo qualiter sit à Deo decreta.*

Fatemur ergo, Deum decreuisse solicitudinem, quam de sua salute habent electi, & eandem solicitudinem illis ab æterno præparasse, & in tempore sua benignitate donare: non tamen ex hoc sequitur, eos non debere de sua salute esse solicitos, aut remissos in adimplendis mandatis: sed potius sequitur oppositum: sicut ex eo quod Deus facit, vt faciamus, & mandata eius seruemus, non sequitur, quod nos non seruemus eadem mandata, sed potius sequitur oppositum. Nam, vt sæpe dicit Augustinus, *vult Deus, vt nostra sint merita, quæ sunt ipsius dona,* quod etiam asserit Cœlestinus in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 12. Pari ergo ratione voluit Deus, vt solicitudo salutis sit nostra, licet sit donum illius. Solum ergo per obiectionem adductam excluditur

solici-

solicitudo, quæ sit in nobis ex nobis, quæ ex vigilantia nascitur liberi arbitrij, antequam diuina gratia præueniatur, qua homo per vires naturæ se ipsum excitat ad opera virtutum, antequam excitetur, & moueatur à Deo qualem constituerunt Massilienses in natura, vt disputat. 2. de Auxilijs visum est. Hæc enim solicitudo non pertinet ad salutem hominis, neque est initium illius, vt omnes catholici fatentur: alias initium salutis esset in nobis ex nobis: non autem excluditur solicitudo, quæ est donum Dei, & ex auxilio gratiæ procedit.

Ad illud vero, quod in eadem obiectione tangitur, si non sum de numero sic electorum, frustra etiam sum solicitus, frustra etiam præcepta seruo, &c. respondetur, quod licet obseruatio quorundam præceptorum in reprobis sit frustra comparatione vltimi finis; quia videlicet per talem obseruantiam nunquam pertingent ad æternam beatitudinem, idque ex culpa propria; quia perseuerare in bonis operibus, vsque in finem noluerunt; nihilominus in ordine ad alios fines proximos non est frustra: sed ad multa bona eadem obseruatio deseruit. Primo quidem, vt reprobi euitent nouum peccatum, quod in transgressione illius committerent. Secundo, vt mitius puniantur in inferno, sicut de falsis virtutibus Gentilium docet Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. post medium, cum ait: *Ad hoc eos in die Iudicij cogitationes suæ defendent, vt tolerabilius puniantur; quia naturaliter, quæ legis sunt, vt cumque fecerunt,* &c. *Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur, non quia iste bonus: sed quia ille magis malus, & minus impius, quam Catilina, Fabritius, non veras virtutes habendo: sed à veris virtutibus non plurimum deuiando.* Tertiò ad exemplum, & ędificationem aliorum, qui videntes præcepta ab eis seruari, ad consimilem obseruantiam inducuntur. Quarto quia per huiusmodi obseruantiam præceptorum, etiam si extra charitatem existant, promerentur à Deo multa bona temporalia, vt 1. 2. q. 114. art. 10. docet Sanctus Thomas; & si in gratia existant possunt sibi augmentum gratiæ promereri, vt art. 8. eiusdem quæstionis dicit Sanctus Doctor. Nec potest vlla ratione admitti id, quod in eadem obie-

IV.

Reprobi qualiter frustra seruent mandata.

Augustin.

S. Thom. 1. 2. q. 114. art. 10.

Idem, ead. q. art. 8.

ctione insinuatur, nempè spem reproborum erigendam fore, si ex reprobatis mille, aut duo millia essent saluandi. Certissimum est enim, ex reprobis nedum mille, aut duo millia; sed ne vnum quidem esse consequuturum vitam æternam: sicut est certum, nullum ad præfixũ prædestinatorum numerum addendum esse, vel minuendũ, vt ex præmissis in solutione ad primam rationẽ constat. Nec tamen propterea infirmatũ, aut debilitatur certitudo spei nostræ: quia non ex viribus liberi arbitrij, aut extraordinaria eius diligentia; sed ex Deo ipso, & ex gratia illius firmitatem habeat. Scriptum est enim: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Vnde August. lib de Dono Perseuerantiæ cap. 17. *Ego* (inquit) *nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, vt videant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis, quam exhortationis, afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare quando spem suam non in se ipso, sed in Deo didicerit ponere, cum Propheta clamet, Maledictus omnis qui spem ponit in homine*; id quod latius prosequitur lib. de Gratia, & lib. arbitrio cap. 4. & lib. de Bono Perseuerantiæ cap. 22.

Ierem. 17.

VII. Ad confirmationem respondetur, sententiam nostram nedum recedere quam longe à sententia hæreticorum huius temporis: sed etiam efficacissimè eam debellare: tum quantum ad libertatem nostræ voluntatis: tum etiam quantum ad licentiam vitæ ab eis introductam. Quantum ad libertatem quidem voluntatis; quia nos fallacem esse asserimus consequentiam, qua illi ex prædestinatione Dei absoluta ante præuisa merita malè deduxerunt, nullam in nobis relinqui libertatem arbitrij: sed omnia ex necessitate absoluta euenire. Potius ergo timendum erit, nè qui prædictam consequentiam approbant, causam eorum agere, vel fouere videantur. Quod vero attinet ad licentiam vitæ, notissimum est apud omnes, hæreticos huius temporis introducere voluisse licentiam vitæ, eo quod erroneè existimauerunt, solam fidem absque vllis bonis operibus sufficere ad salutem æternam consequendam, conuicti auctoritate

Hæretici qualiter introducant licentiam vitæ.

Apo-

Apostoli, qui asserebat: *Iustificari hominē per fidē, absq; operibus legis*. Ita sensit Lutherus libro de Captiuitate Babylonica capite de Baptismo, & ad caput secundum ad Galatas, & de libertate Christiana, quæ hæresis etiã fuit antiqua pseudo Apostolorum, vt refert Augustinus libr. de Fide, & operibus cap. 14. Nos autem asserimus, non sufficere solam fidem ad salutem: sed etiam necessaria esse bona opera ex gratia procedentia, quibus promeretur homo vitam æternam, & eam consequitur. Vnde ex hoc capite nihil ad propositum videtur adduci contra prædestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita gratiæ.

Rom. 3. Luther. error.

S. Aug. lib. de fide, & oper. c. 14.

Scimus quidem, fuisse olim circa annum Domini 415. quosdam hæreticos nomine Prædestinatos, qui vt refert Sigebertus in Chronicis anni 415. asserebant, quod nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obsit, quod improbe viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quem errorem multis testimonijs Sacrarum Literarum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum impugnat ex professo Iodocus Coccius Canonicus Iuliacensis tom. 2. lib. 3. de Iustificatione hominis art. 3. Sed nullus Catholicus hoc asserit, neque id sequitur ex prædestinatione absoluta, & reprobatione ante præuisa merita, vel demerita. Vnde nullo modo licet hanc consequentiam approbare: Deus pro suo mero beneplacito ante præuisa merita, vel demerita quosdam elegit ad gloriam, quosdam reprobauit: Ergo introducenda est licentia vitæ. Hanc enim licentiam vitæ per cõsequentiam erroneam introducere cœperunt Sap. 2. *qui cogitantes apud se non rectè, dixerunt: Exiguum, & cum tędio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis*, &c. Et infra: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullũ pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ; vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hęc est pars nostra, & hæc est sors*

Heretic. nomine prædestin. qui fuerint.

Iodoc Cocc. tom. 2. lib. 3. de iustif. hom. art. 3.

nostra. Potius ergo inferendum erat: Ergo oportet omnes esse solicitos, vt per bona opera certam suam electionem, & vocationem faciant, ne viam iustitiæ per licentiam vitæ deserentes, æternam damnationem incurrant. Hanc enim consequentiã fecit Apostolus: *Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur.*

1. Cor. 7.

RATIO SEXTA.

VIII. 6. Ratio quòd zelo animarum officiat.

OBijcitur Sexta Ratio contra eandem prædestinationem absolutam, & reprobationẽ, quia videtur tollere zelum animarum. Si enim omnes saluandi ante omnem præuisionem sunt iam absolute electi, & præfiniti, cur de illorum salute sim solicitus? Nam etiam si ego quiescam, æque benè omnes illi, & soli saluabuntur, & ad eosdem gloriæ gradus peruenient; imò eadẽ opera bona facturi sũt. Cur sim anxius de eo, quod ex vi decreti diuini certissime est euenturum, quod nulla diaboli machinatio, aut mundi, carnisue illecebra impediet? Nunquam aliquis in illum numerum intrabit; nunquam inde aliquis excidet; nulla ei fiet accessio, aut detractio; nemo etiam gradum sibi præfinitum excedet, aut infra illum consistet. Ergo, &c.

RESPONSIO.

IX.

FAcile poterit Theologus ex præmissis huic obiectioni satisfacere, quæ quidem non est multum dissimilis præcedenti, quam & Massilienses olim obiecerunt contra doctrinam Sancti Augustini, vt indicant verba illa Prosperi superius inducta: *Et sanctis occasionem teporis afferre.* Dicendum est enim, prædestinationem absolutam ad gloriam ante præuisa merita nullo modo tollere, sed potius fouere zelum animarum, & esse causam illius; nam Deus non solum elegit prædestinates ad gloriam, sed etiam præordinauit media, per quæ ad illam secure peruenirent: inter hæc autem media computatur zelus animarum, orationes feruentes pro

S. Prosper.

Prædestin. zelum animarum non tollit.

aliis

alijs effusæ, solicitudo prædicatorum, qui velut nubes ducuntur à Spiritu sancto, vt ad electos verbum Dei perueniat, vt ex actibus Apostolorum colligi potest. Vnde & Apostolus ait: *Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prędicationis saluos facere credentes.* Sicut zelus Stephani orantis pro Paulo fuit medium præordinatum à Deo ad conuersionem illius, nam, sicut Augustinus ait, *si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum Apostolum non habuisset.* Et idem dicendum de orationibus, & lacrymis Sanctæ Monicæ, quæ Sanctum Augustinum genuit Christo, quem carne prius pepererat mundo, & idem contingit in alijs casibus. Vnde Sanctus Thomas 3. part. quæst. 1. art. 3. ad. 4. ait, *quod Deus prædestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam.* Et quæst. 6. de Veritate art. 6. multis rationibus, & auctoritatibus Sanctorum probat, orationes vnius esse effectum prædestinationis alterius: sicut oratio Stephani fuit effectus prædestinationis Pauli. Et 2. 2. quæst. 83. art. 2. in corpore assignans rationem, propter quam oporteat semper orare, & non deficere, etiam si omnia sint à Deo præordinata, ait, *quòd ex diuina prouidentia non solum disponitur, qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem causas, sunt etiam quorundam causæ actus humani. Vnde oportet homines agere aliqua, non vt per suos actus diuinam dispositionem immutent, sed vt per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem à Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis: & simile est etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, vt diuinam dispositionem immutemus: sed vt id impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum, vt scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare, vt Gregorius dicit in libro dialogorum primo cap. 8. à medio.*

1. Cor. 1.

Augustin. serm. 1. de S. Steph.

S. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. ad 4.

Idem q. 6. de verit. art. 6.

Idem 2. 2. q. 83. art. 2. in corp.

Lucæ 18.

S. Gregor. dialog. lib. 1. cap. 8. à medio.

X. Accedit, quòd hac vita durãte, seclusa speciali Dei reuelatione, nullus põt esse certus, quis ad numerũ prædestinatorũ pertineat, quis ad numerũ reproborũ. Vnde sicut desiderare nos decet, & orare, vt homines oẽs, nullo ex-

cepto, salui fiant: ita etiam zelus animarum exposcit, vt simus de salute omnium soliciti. Vnde Sanctus Augustinus: *Ad nos, ait, qui nescimus, quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet, nullum exceptum facere, nullumque discernere, sed velle omnes saluos fieri quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est, ne perdamus eam, si ille, cui prædicamus, non est filius pacis, ignorantibus nobis. Ad nos enim reuertetur, idest, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: si autem super eum pax prædicata requieuerit, & nobis, & illi. Quia ergo nos, qui salui futuri sint, nescientes, omnes, quibus prędicamus hanc pacem, saluos fieri velle Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur diffundendo istam charitatem in corda nostra per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et infra: *Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio. Dei est autem illis eam facere vtilem, quos ipse præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat: cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis viscera maiora gestamus, quam beatus Apostolus, qui dicit: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. Vbi intelligendum est, tunc potius malum pro malo reddi, si corripiendus, non corripiatur: sed praua dissimulatione negligatur. Dicit enim, Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant.*

Aug. libr. de Correptione, & grat. c. 15.

Reprobi etiam corripiendi sunt, & quare.

Capit. 16. eiusd. libri.

1. Thes. 2.

1. Tim. 5.



CA-

CAPVT XIX.

Septima, & octaua Ratio contra eandem prædestinationem proponitur, & soluitur.



On videtur illa sententia consentanea naturali rerum ordini, & cursui, ac gubernationi vniuersi. Si enim ita facta est omnium saluandorum electio: Ergo etiam si Adam non peccasset, & permansisset statũs innocentiæ, nihilominus ijdem homines, & non alij saluandi fuissent, & ad eosdem gradus gloriæ, quos modo obtinebunt, peruenissent. Sequela patet; quia electio, quoad numerum, & personas, & opera, & gradus gloriæ, facta est ante præuisum peccatum originale: cumque fuerit absoluta non pendens vllo modo à conditione futuri, non potuit euerti per peccatum superueniens. Falsitas autem consequentis probatur primo; nam quomodo omnes saluandi, qui nunc nascuntur, etiam tunc nascituri erant, cum tam multi nascantur modo occasione peccatorum, & per actus peccaminosos, per sacrilegos incestus, adulteros, & fornicarios concubitus, & ab hominibus reprobis, quæ omnia tunc non fuissent? I. 7. Ratio quod non consentiat ordini naturali rerũ

Confirmatur; quia non solum animæ, sed etiam corpora saluandorum sunt electa ante omnem præuisionem futurorum, vt volunt Auctores sententiæ contrariæ. Si ergo Adam non peccasset, debuisset diuina prouidentia ad exequendum illud decretum procurare, vt omnes saluandi vterentur eodem pane, eodem lacte, ijsdem carnibus, & piscibus, ijsdem fructibus, denique eodem cibo, & potu, quibus modo vtuntur; alioquin non fuissent eadem corpora.

Secundo parum credibile est, omnes peruenturos ad eosdem gradus gloriæ, ad quos modo pertingunt. Nam Beata Virgo, Apostoli, S. Ioannes Baptista, & multi Martyres habent modo maiorem gradum gloriæ, quam sit ille, quem in illo statu obtenturi fuissent. Nam incarna-

carnatio Christi, & eius præsentia, quæ in illo statu non fuisset, & immensæ illius charitatis exemplum, & alia extraordinaria salutis adminicula, quæ ex Verbi incarnatione proueniunt, multum conduxit eos, vt ad excellentem gradum gloriæ, quem obtinent, peruenirent.

Tertiò non magis videtur verisimile, saluandos in illo statu eosdem actus bonos, eandem fidem, spem, & charitatem, & similia meritoria opera cum omnibus suis circumstantijs habituros fuisse: præsertim cum omnia ferè præsupponat Christum, & religionem ab ipso institutam, si loquamur de hominibus noui testamenti, vel originale peccatum.

Simile argumentum fieri potest de reprobis. Nam illa reprobatio negatiua omnium non saluandorum facta est ante præuisum peccatum originale, nempè in primo, vel secundo signo rationis, in quo facta est electio saluandorum. Tunc enim habuit se Deus circa cæteros negatiuè. Ergo etiam si Adam non peccasset, omnes illi fuissent perituri.

RESPONSIO.

II. QValiter facta fuisset à Deo prædestinatio, & reprobatio, quot homines essent nascituri, & quot pia opera electorum, & peccata reproborum essent futura, si Adam non peccasset, nõ põt à nobis cognosci, quia id pēdet ex simplici Dei volũtate præordinatis, vel permittẽtis, neq; nobis est in Scripturis sacris reuelatũ. Hoc certissimũ esse debet, quod si Deus statuisset primũ parentẽ cõseruare in statu iustitiæ originalis, etiam disposuisset omnia, quæ in illo statu essent futura. Sicut si decreuisset creare aliud vniuersum, etiam prçordinasset, quot creaturas, tam corporales, quam spirituales esset producturus, & secundum speciem, & secundum numerum differentes, & cætera omnia, quæ pertinerent ad integritatem, & perfectionem eiusdem vniuersi; eo quod fieri non potest, vt aliquæ creaturæ procedant à Deo, & non sint per diuinam prouidentiam inter se rectè dispositæ, & ordinatæ: nam (sicut dicit Apost.) *Omnia quęcumque* Rom. 13.
sunt à Deo, ordinata sunt. Quia vero de facto Deus non

statuit

statuit creare aliud vniuersum, non oportet in eo con stituere speciale decretum,quo prædefinierit species,& numerum creaturarum, quas esset producturus in eodē vniuerso,si statuisset illud producere. Neque etiam est necessarium, vt prædefinierit numerum electorum, qui peruenturi erant ad vitam æternam ex hypothesi,quod crearetur aliud vniuersum,neque numerum reproborū, qui ab hoc fine in eodem vniuerso deficerent; quia id non pertinet ad perfectionem sapientiæ diuinæ,aut pro uidentiæ, vt supra ostensum est. Pari ergo ratione dicendum est, non esse à nobis cognoscibile, qualiter facta esset prędestinatio,& reprobatio ex hypothesi,quod Adam non peccasset,vel quot opera meritoria,vel pec cata essent futura data illa hypothesi, vel ad quos gradus gloriæ electi peruenissent. Neque est necessarium statuere in Deo speciale decretum,quo prçordinauerit, quid circa hæc esset futurum data illa hypothesi; nam hæc pendent ex simplici Dei voluntate:id autem,quod pendet ex Dei voluntate, non potest à nobis cognosci, nisi habeatur expressum in sacris literis,aut ex illis colligatur,sicut colligit Sanctus Thomas,quòd si Adam nō peccasset,Verbum Diuinum carnem humanam non assumpsisset; & similiter, quòd si Adam perseuerasset in statu innocentiæ,esset immortalis,& alia huiusmodi,de quibus agit 1. p. q. 97. 98. & 99. & sequentibus. Hoc ergo supposito, ad obiectionem factam dicendum est, non sequi ex nostra sententia,quod si permansisset status innocentiæ,ijdem homines,& non alij saluandi fuissent,aut quòd ad eosdem gradus gloriæ, quos modo ob tinent,peruenissent.Quin potius Sanctus Thomas quod libeto quinto art. 8. expressè docet,quòd si Adam non peccasset,non saluarentur ijdem numero homines, qui nunc saluantur,quod ibidem probat S. Doctor artic. 8. *Quia in primo statu unus homo non habuisset plures uxores,nec etiam aliqui ex fornicatione, vel adulterio nascerentur,quod nunc contingit etiam in his, qui saluantur. Multi enim filij unius parentis ex pluribus vxoribus nati saluantur, sicut patet de filijs Iacob. Multi etiam ex fornicatione, vel adulterio nati: alioquin eis frustra sacramenta salutis adhiberentur. Vnde relinquitur,*

In Deo constituenda non est decretū aliquod conditionatum circa gubernationē alterius mundi.

Lib. 1 cap. 1.num.46.

S.Thom. 3. p.q.1.ar.3.

S. Thom.

quod aliqui nunc saluantur, qui, si primus homo non peccasset, non nascerentur, & per consequens non saluarentur: nec tamen Dei prædestinatio falleretur; quia Deus prædestinauit homines habens scientiam futuri euentus, nimirum peccati originalis, quod in præscientia diuina præsupponitur ad prædestinationem Christi, tanquam obiectum, in cuius remedium Verbum Diuinum carnē humanam assumpsit. Ad probationem respondetur, prædestinationem electorum ad gloriam non fuisse factam ante præuisum peccatum originale: & idem est de numero electorum, & designatione personarum, & prædiffinitione gradus gloriæ, & operum, per quæ electi peruenturi erant ad vitam æternam. Hæc enim omnia, & similiter reprobatio præsupponunt præuisum peccatum originale, vt obiectum, in cuius remedium prædestinatus est Christus, secundum illud Apostoli: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prędestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*, &c. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd vt disput. 37. de Auxilijs num. 8. explicaui, quamuis Deus vnico simplicissimo actu intellectus, & voluntatis, simul ab æterno intelligat, & velit quæcumque vult; nihilominus nostro modo intelligendi distinguenda sunt diuersa instantia, & signa rationis, in quibus ex parte obiecti dicitur prius intelligere, aut velle vnum, quàm aliud.

Rom. 1.

III. *Signa rationis qualiter in Deo distinguantur.*

In primo ergo signo rationis cognouit Deus scientia simplicis intelligentiæ omnes creaturas possibiles, & similiter diuersos ordines vniuersi, quos poterat producere. In secundo signo ex omnibus creaturis possibilibus pro sua mera voluntate decreuit ad ostensionē suæ bonitatis, producere hoc vniuersum cum omnibus creaturis corporalibus, & spiritualibus, quæ ad illum pertinent, & inter illas primos parentes cum gratia, & iustitia originali, in quo signo nondum intelligitur Adam prædestinatus, neque aliquis alius. Nam gratia illa non fuit effectus prædestinationis Adæ, nec per illam ordinabatur efficaciter ad vitam æternam: sed fuit effectus cuiusdam supernaturalis prouidentiæ: aliàs fuisset illi collata ex meritis Christi, cuius contrarium est verum, vt

vt disput. 40. de Auxilijs ostendi. In tertio signo decreuit permittere peccatum Adæ propter maius bonum, videlicet, vt in remedium illius Verbum Diuinum assumeret carnem humanam. In quarto signo voluit Verbi incarnationem in remedium peccati, & prædestinauit Christum, secundum quod homo; tanquam omnium prædestinatorum caput, & exemplar, cuius quidem prædestinatio fuit causa nostræ prædestinationis, vt 3. par. q. 24. art. 4. docet Sanctus Thomas. In quinto signo dilexit, elegit, & prædestinauit in Christo, & per Christum omnes electos, & absoluta voluntate voluit illis bonum vitæ æternæ, tanquam finem; reliquos vero reprobauit absoluta voluntate, non volens illis hoc bonum, quod est vita æterna. In Sexto signo statuit conferre gratiam efficacem electis, donum perseuerantiæ, & prędefiniuit omnes pias operationes, & merita, per quæ prædestinati infallibiliter consequerentur gradum illum gloriæ, ad quem erant præordinati. Reprobis vero statuit non conferre donum perseuerantiæ: sed permittere, vt in peccatum caderent, & in illo perseuerarent vsque in finem, ac propter peccatum eos punire pœna æterna; idque, vt in electis manifestaretur diuina misericordia, in reprobis verò eluceret iustitia, vt dispur. 111. de Auxilijs ostensum est. S. Thom.

Ex quibus omnibus euidenter colligitur, prædestinationem, & reprobationem hominum factam fuisse post præuisum peccatum originale: etenim prædestinatio Christi facta est post præuisum peccatum originale, alias etiam si Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset: cuius contrarium docet Auctor cum Sancto Thoma. Cum ergo prædestinatio electorum, & impiorum reprobatio facta fuerint post prædestinationẽ Christi, relinquitur, eiusmodi prædestinationem, & reprobationem præsupponere in signo rationis permissionem peccati originalis, & præuisionem illius. Vnde ruũt omnia argumẽta in hac septima ratione coaceruata. Sicut enim si Christus non fuisset incarnandus, Deus præordinasset homines saluari per aliam causam, vt 3. par. q. 24. art. 4. ad 3. dicit Sanctus Thomas: ita proportionabiliter, si Adam non peccasset, sed perseuerasset

IV. *Prędestin. facta est post pręuisum orig. peccatum.*

Lessius de Prędestin. Christi sect. 1. num. 2. & seqq.

S. Thom.

Vuu 2 in

in statu innocentiæ, Deus præordinasset eius, & aliorum saluandorum salutem alio modo, quàm supposita præuisione peccati originalis de facto præordinauit. Quia vero in statu illo non perseuerauit, & ante prædestinationem, & reprobationem præuisum est peccatũ illius; ideo præordinauit media, quibus supposito peccato primi parentis peruenturi erant electi ad vitam æternam,& similiter statuit permittere peccata reproborum,quibus supposito originali peccato,pœnam æternam incurrant.

V. Ad 1.conf. Illud autem, quod in Confirmatione prima huius septimæ rationis asseritur, videlicet, esse necessarium ad vnitatem numericam corporis humani, vt vescatur eodem pane,eodem lacte, eisdem carnibus, & piscibus, eisdem fructibus, ac denique eodem cibo, & potu, quo de facto vtitur,non videtur principijs Philosophiæ congruere, ex quibus habetur,ad vnitatem numericam corporis viuentis,præsertim humani, nõ esse necessarium, vt vtatur eodem cibo, & potu, quo de facto vsus est: alias fratres Carthusiani,qui in sæculo vescebantur carnibus, cum peruenerunt ad senectutem, non haberent idem numero corpus; quia in Religione alijs cibis diuersis vsi sunt,quod tamen admitti non potest, & ita non resurgeret idem numero corpus eorum, quod in pueritia,& infantia habuerunt,quod tamen S. Thomas 4. contra Gentes c.84.ratione 5. probat esse falsum ex illo Iob 19. *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum,quem visurus sum ego ipse, & non alius.* Ad vnitatẽ ergo numericã corporis humani sufficit vnitas numerica formæ,& materiæ,quæ non variatᷓ, formaliter loquẽdo, per hoc,ꝙ successiuè pars eius corrũpatᷓ per actionẽ caloris naturalis,& pars ex diuersis cibis genereᷓt;quia materia illa carnis noua,ossis,cartilaginis,&c.de nouo aduenĩẽs succedit materiæ corruptæ sub eisdẽ dispositionibus,& cũ habitudine ad eãdẽ numero formã:sicut locus corporis locati immobilis permanentis sẽper idẽ numero perseuerat, etiã si materialiter varietur superficies aeris,v.g. in superficiẽ aquæ;quia vna superficies succedit alteri sub eodẽ formali respectu, & sub eadẽ distantia ad centrũ terræ,& ad polos mundi,vt

Corpor. humani vnitas numerica quid requirat.

docent

docent cōmuniter Philosophi lib.4.Physicorū. Ad secūdā,tertiā,& quartā cōfirmationē patet solutio ex dictis. Ad 2 3 & 4 conf.

RATIO OCTAVA.

IN illo modo electionis absolutæ non solum personæ, & gradus gloriæ statuuntur prædefinitæ ante præuisionem futurorum meritorum ex gratia: sed etiam omnia opera bona cum omnibus suis circumstantijs in particulari, exceptis ijs,quæ intrinsecè supponūt peccatum: idque absque mutua inter se depēdentia in ratione meriti,aut finis;quia,inquiunt,hęc depēdentia pertinet ad ordinem executionis,qui est posterius ratione volitus à Deo. Sed talis prædefinitio efficax operum non est admittēda:Ergo neque illa prædestinatio absoluta. Minor probatur. Nam talis prædiffinitio videtur repugnare humanæ libertati,cum tollat indifferentiam,quæ est de intrinseca ratione illius;nam quatenus voluntas subest efficaci decreto,concipitur,vt determinata ad opus, nec potest impediri absolutè, quin ponatur in re,sicut Doctores tradunt de voluntate Christi in acceptanda morte. Et si enim spectata intrinseca dispositione illius voluntatis,seposita interim visione beata,ipsa non erat determinata ad acceptationem mortis à Patre imperatā, & poterat non acceptare,& consequenter peccare? tamen quatenus suberat custodiæ,& decreto Diuinæ prouidentiæ non poterat non acceptare,& sic absolutè loquendo,non poterat peccare. Ergo simili modo,dicendum erit,electos absolutè non posse omittere illa opera bona,quæ faciunt, quia subsunt efficaci decreto Dei, illos dirigenti, & applicanti: quod tñ videtur derogare perfectæ libertati,quæ postulat,vt omnibus præuijs non solum intrinsecis,sed etiam extrinsecis positis, absolutè possit opus omitti. Item etiam id videtur derogare laudi,& glorię Sanctorum, quæ in eo sita est, quod absolutè potuerint transgredi,& omittere bona,quæ fecerunt, & tamen non sunt transgressi,vt Ecclesiast. 31. dicitur: Parua enim videtur laus facere bona,quę tantis decretis,& tanta prouidentiæ cura sunt præparata,& vallata, vt absolutè omitti nequeāt. Alijs pluribus rationibus hoc argumentum confirmat, quę tamen lib. 2. Responsionū cap. 1. num. 15. & sequentibus adductæ sunt, & solutæ.

VI. 8. *Ratio ex prædefinitione operum.*

SO-

SOLVTIO.

VII. FAtemur quidem esse certum, non solum personas, & gradus gloriæ esse à Deo prædefinita ante omnem præuisionem meritorum gratiæ: sed etiam omnia opera bona in particulari, quibus prædestinati ad gradum illum gloriæ, ad quem sunt electi, pertingent. Nec putamus, posse admitti, vel approbari consequentiam illam, qua ex eiusmodi prædestinatione, vel prædiffinitione absoluta bonorum operum deducitur, destrui libertatem arbitrij, & fatalem necessitatem induci. Hæc enim argumentatio fuit Massiliensium, vt indicant verba illa Prosperi superius inducta: *Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Constitutio enim, & prędestinatio pręueniens humanas voluntates, idem est, quod prædefinitio, præordinatio, & prædeterminatio Dei absoluta præueniens in signo rationis præuisionem determinationis voluntatis creatæ, aut boni vsus gratiæ. Eadem fuit argumentatio Fausti Regiensis, vt indicant illa eius verba, *Et intra gratia vocabulum absconditum erat fatale decretum.* Existimabat enim, decretum illud Dei prædestinantis ad gloriam ante præuisa merita, esse fatale; hoc est fatalem necessitatem inducens. Quæ illatio quam sit inanis, disputat. 18. 22. 23. 115. & 116. de Auxilijs ostensum est. Ibi enim explicuimus, quænam indifferentia sit de essentia libertatis, & qualiter tam prædeterminatione extrinseca, quæ desumitur ex decreto Dei absoluto, quàm intrinseca, quæ fit per motionem præoperantis gratiæ, nedum non destruatur, aut minuatur: sed mirum in modum roboretur, & perficiatur eiusdem arbitrij libertas. Quam sit autem infirmum hoc argumentum ostendit et Prosper lib. 1. de Vocatione gentium c. 1. cum ait: *Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus, & gradibus disputandum est. Inter quam & gratiam Dei quorumdam non sana discretio est existimantium quod prædicatione gratię liberum negetur arbitrium: nec aduertentium*

Prædiffinita sunt omnia bona opera electorum.

Prosp. Epist. ad Aug.

Faust. lib. 1. de grat. & human. mentis arbitrio c. 4.

tentium eadem regula sibi posse obijci, quod gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem. Et cap. 11. contra Collatorem: *Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refouendo, deficientis fumi nidorem in rediuiuã flammam conaris accendere? non est periculum liberi arbitrij ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cum in ipsa bene velle generatur.* Vnde ad rationem, quæ contra hoc obijcitur, dicendum, quod voluntas, vt subest efficaci decreto Dei prædestinantis, concipitur, vt determinata in fieri ad opus bonum, non quidem per modum naturæ: sed per modum libertatis sibi congruentem, qui in vera, & expedita facultate ad vtrunlibet consistit. Semper enim potest absolutè, si velit, non facere opus illud, ad quod prædeterminatur, & præmouetur à Deo; quia etiã in instanti, quo mouetur ad consensum, & consentit Deo excitanti, & mouenti, potest dissentire, si velit, vt ex Tridentino constat. Quamuis non stent simul hæc duo, quòd prædeterminetur ad consensum, & dissentiat. Vnde semper manet libera absolute in suis operationibus, quamuis secundum quid tales operationes sint necessariæ: necessitate videlicet ex suppositione, seu necessitate consequentiæ, & infallibilitatis, quæ non obstat libertati, vt disput. 25. de Auxilijs ex communi sententia Sanctorum Patrum, & Scholasticorum ostendi.

Prædeterminat. Dei efficax qualiter cum libertate cohæreat.

Conc. Trid. sess. 6. de Iust. can. 4.

VIII. Ad exemplum autem voluntatis Christi in acceptanda morte, responsum est disput. 116. de Auxilijs num. 12. & nunc respondetur, quòd licet non potuerit peccare, transgrediendo præceptum moriendi sibi impositum à Patre; nihilominus absolutè potuit mori, & non mori. Nam secundum fidem catholicam liberè mortuus est, vt patet ex illo Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Ioan. 10. *Ego pono animam meam vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Quibus verbis non obscure significatur, hæc duo simul esse vera: quod scilicet fuerit à Patre impositum filio præceptum moriendi, & quod filius liberè

Christus liberè mortuus est.

Isaiæ 53.

Ioann. 10.

mortuus fuerit, potueritque non mori, si vellet. Quod enim absolute peccare non potuerit, non obstat eius libertati, nec eam minuit; nam posse peccare, non est perfectio libertatis, sed potius imperfectio consequens libertatem creatam: secundum quod est ex nihilo producta, vt sæpe docent Sancti Augustinus, & Thomas. Proportionabiliter ergo dicendum est de bonis operibus à Deo prædiffinitis: possunt enim absolutè ea omittere etiam electi, & facere illa, & non facere; quamuis hæc duo simul cohærere non possint, quòd scilicet Deus absoluta voluntate præordinauerit, vt prædestinati faciant illa opera, & tamen ipsi ea non faciant, sed omittant, vnde liberè ea faciunt. Nam ad veram libertatem sufficit, quod cum decreto absoluto Dei prædeterminantis, vt fiant illa opera per liberum arbitrium, simul stet in eodem arbitrio vera facultas, qua possit eadem opera non facere, si velit. Et in hoc sensu intelligenda est illa propositio: Liberum arbitrium est, quod, positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari, & nõ operari. Non enim est sensus, quòd cum omnibus requisitis ad operandum talem actum stet simul, quòd liberum arbitrium non operetur eundem actum: sed sensus est, quòd cum omnibus prærequisitis stet simul in libero arbitrio vera facultas, qua possit non operari illũ actum, si velit, vt supra lib. 4. cap. 1. & disputat. 115. de Auxilijs ostensum est, & iuxta hanc doctrinam intelligenda sunt verba illa inducta: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Et licet huiusmodi bona opera prædestinatorum sint prædictis decretis diuinis, & tanta prouidentiæ cura præparata, & vallata, quod negari non potest, nisi velimus contradicere Apostolo dicenti: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus;* adhuc tamen non in paruam, sed in magnam laudem electorum cedunt illa opera, eo, quòd absolute poterãt, si vellent, ea omittere, vt dictum est.

S. Aug lib. 12. de Ciu. Dei cap. 6.

S. Thom. 2. sent. dist. 37. q. 2 ar. 1. ad. 2. & distinc. 34. q. 1. art. 3. in fi corp. & ad 4.

Eccl. 31.

Ad Eph. 2

Ad alia, quæ in hac ratione obijcit Auctor contra prædiffinitiones absolutas bonorum operum, responsum est lib. 2. cap. 1. n. 15. & sequentibus cum de prædeffinitionibus diuinis ageretur.

C A-

CAPVT XX.

Ratio Nona contra eandem absolutam prædestinationem dissoluitur.



EA sententia non videtur vera, quæ explicata populo, & diligenter expensa pareret scandalum, & licentiam vitæ: Sed prædestinatio absoluta, & reprobatio ante præuisa merita, vel demerita est talis. Nō ergo putanda est veritati consona. Minor probatur experientia ipsa. Nam quidam ex ea sententia in grauissimos mœrores, & baratrum desperationis delapsi sunt. Multi etiam doctissimi, & optimi viri eam grauiter hoc nomine accusant, quod metuerent sibi effrenem vitæ licentiam, si eam in animum demisissent. Nihil autem horum incommodorum habet altera sententia, quæ electioni absolutæ, & efficaci præscientiam operum supponit: per hanc enim præscientiam Sancti Patres diuinam prouidentiam ab hac calumnia vendicarunt: sed præsertim Sanctus Thomas 3. parte quæst. 1. art. 3. ad 4. vbi dicit, prædestinationem supponere præscientiam futurorum. Ergo. I. *9. Ratio quod pariat scandalum.*

RESPONSIO.

IN hac obiectione duo inconuenientia inferuntur ex nostra sententia, quæ olim Massilienses deduxerunt ex prædestinatione, & reprobatione tradita à Sancto Augustino asserente, Deum electis suis pro suo mero beneplacito tale adiutorium perseuerantiæ præparasse, vt per illud infallibiliter, perseuerarent vsque in finem: reliquis vero eiusmodi adiutorium non præparasse. Proclamabant enim, hanc doctrinam populo scandalum parere, & propter illam homines in quandam desperationem induci, vt constat ex Sancto Prospero epistola ad Augustinum, vbi postquam retulit sententiam Sancti Doctoris circa prædestinatinem, & reprobationem, ante II. S Prosper Epistol ad Augustin.

te præuisa merita, vel demerita, quæ eisdem Massiliensibus displicuerat, sic ait: *Eò postremo peruicacia tota descendit, vt fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant, ac sic, etiam si vera sit, non promendam; quia & perniciose non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeant, conticeantur.* Et San-

S. Hilar. ctus Hilarius epistola ad eundem Augustinum: *His* (inquit) *verbis sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant, quandam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adiutus est, vt & stare posset in iustitia, & à iustitia declinare: & nunc ita sancti iuuantur, vt declinare non possint. si quidem eam acceperunt volendi perseuerantiam, vt aliud velle non possint: vel sic quidam deseruntur, vt aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant, ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis vtilitatem, quæ, & persistendi, & desistendi obtinebat liberam potestatem: non ad hanc, cui nolle iustitiam ineuitabili necessitate coniunctum est: præter illos, qui sic concreati sunt his, qui cum vniuersa massa damnati sunt, vt exciperentur per*

Augustin. *gratiam liberandi.* Huic obiectioni occurrit Sanctus Augustinus libro de Dono perseuerantiæ respondens querimonijs Massiliensium sibi à Sanctis Prospero, & Hilario insinuatis, ex cuius doctrina facile erit obiectioni satisfacere.

III. *Prędestin. & reprob. ante pręuisa merita scandalum non parit.*

Negandũ est ergo, ex prædicatione prædestinationis absolutæ ad gloriam ante præuisa merita sequi aliquod scandalum, nisi forsitan passiuum pusillorum, quod absq; vllo periculo contemnendum est, nec propter illud est veritas aut tacenda, aut relinquenda, secundum illud de regulis iuris in sexto: *Si de veritate scandalum nascitur, facilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Vnde & Christus Dominus discipulis

Matt. 15. dicentibus: *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt*, respondit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem, si cęco ducatum præstet, ambo in*

S. August. *foueam cadunt.* Vnde Sanctus Augustinus libro de Dono Perseuerantiæ cap. 15. ait: *Numquid ergo propter huiusmodi causas ea, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda. Tunc scilicet, quando si*

do si non dicantur, in alios itur errores. Prædestinatio ergo Dei absoluta ante præuisa merita, aut eius prædicatio, si debito modo, & cum debitis circumstantijs prædicetur, nullum per se scandalum parit: sed potius non modicam consolationem, quoniam iuxta illam compellimur non in nobis, sed in Deo, vt patebit infra, spem nostram constituere, quæ eo erit securior, & firmior, quo in solidiori lapide fundatur. Dixi, si debito modo, & cum debitis circumstantijs prædicetur; quia prædestinationis arcanum, & difficultates, quæ in Scholis doctioribus, & solidioribus ingenijs explicantur, non sunt rudi populo exponendæ. Similiter etiam in explicatione prædestinationis absolutæ ad gloriam ante præuisa merita, vtendum est terminis, quo fieri potest suauioribus, qui rigorem, quem præseferre videtur hæc prædestinatio, temperent, vt prudentissimè obseruauit Augustinus lib. de Bono Perseuerantiæ cap 21. *Nimia igitur contentionis est* (inquiens) *prędestinationi contradicere, vel de prędestinatione dubitare: quę tamen non ita populis prędicanda est, vt apud imperitam, vel tardioris intelligentię multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædestinatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei, quam certè negare non possunt.* Et eodem lib. cap. 16. ait, *Dicatur ergo verum, maximè vbi aliqua quæstio, vt dicatur, impellit, & capiant qui possunt: ne fortè cum tacetur, propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate nudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas, possunt. Facile est enim, imò vtile, vt taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam vnde est illud Domini, Ad huc multa habeo vobis dicere: sed non potestis illa portare modo. Et illud Apostoli. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus; sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi: non escam: nondum enim poteratis, sed ne adhuc quidem potestis. Quamuis modo quodam dicendi fieri possit, vt id quod dicitur, & paruulis lac, & grandibus esca sit: sicut In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, quis Christianus tacere potest? quis caperet? Aut quid in doctrina sana potest inueniri*

Aug. lib. de Bono Perseuer. cap. 21.

Eod. libro cap. 16.

Prędestin. qualiter sit populo prædicanda.

Ioann. 16.

1. Cor. 3.

Ioann. 1

ueniri grandius ? quod tamen, & paruulis non tacetur, & nec grandibus, nec paruulis occultatur. Legat Theologus attentè caput 22. eiusdem libri de Dono Perseuerantiæ, vbi diuersos modos loquendi, quibus etiam rudi populo prædicari potest, & explicari mysterium prædestinationis absque vllo periculo, etiam pusillorum, tradit Augustinus.

IV. *Prædestin. & reprob. nõ inducit homines in desperationem.* Multo minus ex prædicatione eiusdem prædestinationis absolutæ ad gloriam ante præuisa merita datur hominibus occasio despondendi animo, aut desperandi, sed potius spes nostra mirum in modum roboratur, & solidatur, dum non in homine, nec in eius arbitrio defectibili: sed in Deo, qui non potest deficere, collocatur. Ita respondet pluribus in locis Sanctus Augustinus obiectioni Massiliensium, sed prælertim libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. vbi sic loquitur. *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, vt videant, quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis, quam exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare quando spem suam non in se ipso, sed in Deo didicerit ponere: cum Propheta clamet: Maledictus omnis, qui spem ponit in homine.* Hier. 17. Et paulo superius in eodem capite ex dictis Massiliensium eos redarguit. Ipsi enim concedebant castitatem, charitatem, pietatem, & reliquas virtutes esse Dei dona, ac per consequens ab illo prædestinata; & nihilominus fatebantur prædicatione prædestinationis horum donorum non tolli vtilitatem, aut necessitatem exhortationis, qua ipsi hortabantur omnes ad has virtutes, neque induci homines in desperationem tales virtutes obtinendi. Ergo pari modo ex hoc, quod prædicetur, initium fidei, & perseuerantiam vsque in finem esse donum gratuitum, ac Deum pro suo mero beneplacito prædestinasse, quibus esset daturus fidem, & perseuerantiam vsque in finem, quibus non esset daturus, non inducuntur homines in desperationem, nec vtilitas, aut necessitas tollitur exhortationis, qua homines hortamur ad fidem, & ad perseuerantiam vsque in finem. Ergo idem erit sentiendum de prædicatione absolutæ præ-

prædestinationis ad gloriam ante præuisa merita. Verba Augustini sunt. *Hęc dicentes nolunt hominibus prędicare, dona Dei esse, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide, ne plus desperatio, quam exhortatio videatur afferri, dum cogitant, qui audiunt, incertum esse humanæ ignorantiæ, cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona. Cur ergo & ipsi nobiscum prędicant, dona Dei esse sapientiam, & continentiam? Quod si hæc, cum Dei dona esse prędicantur, non impeditur hortatio, qua homines hortamur esse sapientes & continentes: quæ tandem causa est, vt existiment impediri exhortationem, qua exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere vsque in finem?* S. Aug. eodem c. 17. de Bono Perseuer.

Si dicatur: Ego non sum certus de voluntate Dei; an me elegerit ad gloriam; iam ipse ab æterno pro suo beneplacito prædeterminauit numerum electorum, & designauit omnes saluandos; si ego ad illum numerum non pertineo, frustra erit omnis labor, omnis diligentia, omne studium virtutis; quia fieri non potest, vt extra illum numerū aliquis ad Regnū cœlorū perueniat. V. *Obiectio cōtra prædestinationē.*

Hæc fuit etiam obiectio Massiliensium, cui Sanctus Augustinus libro de Prædestinat. Sanct. cap. 11. respondet: *Sane*, inquiens, *cum Apostolus dicat, Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio, miror homines infirmitati suæ se male committere, quā firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi*, inquit, *de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua nè tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cū igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori: quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit.* Et lib. de Dono Perseuer. capite 22. remedium efficacissimum tradens, quo baratrum desperationis effugere valeant, qui circa prædestinationem eiusmodi varijs perturbationibus agitantur, quædā verba cōsolatoria illis proponenda pręscribit: *Vos itaque ipsam etiam obediendi perseuerantiā à patre luminū, à quo descendit omne datū optimū, & omne donū perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atq; hoc faciēdo, cōfidere, nō vos esse a prædestinatione populi eius alienos; quia etiā hoc vt faciatis, ipse largit. Absit autē a vobis ideo desperare* S. August. Rom. 4. 1. Cor. 10. Augustin. Iacob 1.

de vobis, quoniam spem vestram cum ipso habere iubemini,
Hier. 17. *ni, non in vobis. Maledictus enim omnis homo, qui spem*
Psal. 117. *habet in homine, & bonum est confidere in Domino, quã confidere in homine; quia beati omnes, qui confidunt in*
Psalm. 2. *eo. Et hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, quoniam de vita æterna, quam filijs promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cum consumata*
Iob. 7. *fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed facit nos perseuerare in se vsque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus: Ne nos inferas in tentationem.* Sed de his plura in disput. 110. de Auxilijs nu. 22. dicta sunt. Neque est admittendum, Sanctos Patres per diuinam prædestinationem ex præuisis meritis prouidentiam Dei ab his calumnijs vindicasse, qualiter enim intelligendi sint, & cum sententia Sancti Augustini circa prædestina-
Cap. 13. tionem gratuitam concordandi, iam sufficienter in superioribus explicatum est. Vbi etiam responsum dedimus ad verba inducta S. Thomæ ex 3 p. q. 1. art. 3. ad 4.

Ad aliud inconueniens, quod in hac nona obiectione tangit, nimirũ per electionẽ illam absolutã ad gloriam introduci licentiam vitæ, iam in solutione ad octauam rationẽ respõdi, vbi idẽ incõueniens fuit iterũ obiectũ.

CAPVT XXI.

Decima rationi contra eandem prædestinationem occurritur.

I.

10. Ratio quod à sententia Diu. August. in multis discordet.



Rædestinatio, & reprobatio ante præuisa merita, vel demerita in multis discrepat à sententia Beati Augustini. Primò; quia in ea ponuntur etiam Angeli simili modo electi absoluto decreto ad gloriam ante omnem præuisionem. At hoc apertè videtur contra Diuum Augustinum, qui diuersis locis perseuerantiam ponit in libero eorum arbitrio,

nempe

nempe donis gratiæ habitualis instructo, & ex lapsu, vel perseuerantia eis decretam pœnam, vel gloriam. Nam libro de Correptione, & gratia cap. 10. sic ait: *Saluberrimè confitemur Deum Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suę gratię beneficium, iustitiaque Iudicium. Denique Angeli quidam, quorum Princeps est, qui dicitur. Diabolus, per liberum arbitrium à Domino refugę facti sunt, refugientes tamen eius bonitatem, qua beati fierent, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miserrimi facti sunt: cęteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimè scire meruerunt* Vbi Diuus Augustinus perseuerantiam illorum non refert ad prædestinationem, qua ipsa in se prædestinata fuerit absoluto decreto: sed in liberum arbitrium gratia instructũ. Et in fine capitis illius dicit, idem futurum fuisse in homine, si vt poterat, perseuerasset. Et cap. 11. vbi cum dixisset, fuisse relictum in libero arbitrio primi hominis, vt perseueraret, si vellet, addit: *Sed quia noluit permanere, profecto eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per ipsum liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt. Tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper in illa esse mansuros*, &c. Et idem patet ex toto discursu illius capitis, & sequentis, quibus verbis docere videtur, prædestinationem Angelorum non fuisse absolutam ante prę uisionem meritorum, & perseuerantiæ vsque in finem. Augustin.

Secundò discrepat in eo, quod eandem electionem absolutam ponat etiam pro statu innocentiæ, si is perseuerasset, quod est contra Sanctum Augustinum, qui passim docet, eandem in hoc negotio esse rationem illius status, atque conditionis Angelicæ, vt ex locis citatis constat. II.

Tertiò discrepat à sententia Sancti Augustini, quatenus totam prædestinationem, & reprobationem docet fuisse factam ante præuisum peccatum originale, cuius con-

contrarium docet S. Augustinus, qui initium electionis constituit in separatione à massa damnata, vt indicant illa eius verba de Bono Perseuerantiæ cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur,* non autem liberantur, nisi à communi peccato, & damnatione. Simili modo reprobari apud Augustinum est, relinqui in massa perditionis, vt patet ex eod. c. 14. & c. 19. Vnde passim docet, peccatum originale causam esse reprobationis, vt constat ex epist. 105. ad Sixtum, & in Enchirid. cap. 94. 98. 99. & alibi.

Augustin. de Bono Perseuer. cap. 14.

Confirmantur hæc omnia; quia electio omnium facta est in Christo, idest, propter Christi merita, vt patet ad Ephes. 1. & alibi. Atqui Christus secundum D. Augustinum non erat venturus, si Adam non peccasset: Ergo electio nō est facta ante præuisum peccatum, sed eius præuisione absoluta iam supposita.

Ad Eph. 1.

Quartò discrepat eadem sententia à Sancto Augustino: quoniam Auctores illius ponunt electionem Christi factam ante omnem præuisionem futurorum, quod repugnat doctrinæ Sancti Augustini: Ergo probabilius est, Augustinum à sententia, quę prædestinationem, & reprobationem absolutam post præuisa merita, vel demerita, & non antea, constituit, non discrepare. Imò & Sanctum Thomam fauere eidem sententiæ, & non probare illam operum prædiffinitionem, aperte colligitur ex q. 6. de verit. art. 3. Similiter non probat illam absolutam electionem ante præuisum peccatum, cum ipsum Christum non velit esse prædestinatum ante peccati præuisionem, vt constat ex 3. p. q. 1. art. 3. pręsertim solutione ad 4. vbi ait, *quòd prædestinatio supponit præscientiam futurorum, & ideo sicut Deus pręedestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam: ita etiam prædestinauit opus incarnationis in remedium humani peccati.*

S. Thom.

Idem.

III. *Pręd. ante præuisa merita gratiæ est de mente August.*

RESPONSIO.

QVam sit conformis nostra sententia; imo & eadem prorsus cum doctrina Augustini satis aperte constat

tat ex eius testimonijs cap. 8. adductis. Vnde ad primam rationem, qua hoc impugnatur, fatemur quidem, etiam Angelos electos fuisse absoluto decreto ad gloriam ante omnem præuisionem meritorum gratiæ; nam rationes, quibus superius, & in libro de Auxil. disp. 37. & 110. id probauimus, æquè procedunt de hominibus, & de Angelis, nec S. Augustinus docet contrarium, quin potius illo lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 9. expressè docet nostram sententiam. Vbi multis rationibus ostendit, Angelos, qui ab accepta gratia in peccatum ceciderũt, ex libertate arbitrij cecidisse, eos vero qui in veritate steterunt, Dei adiutorio in bono permansisse. Verba Augustini sunt. *At si non potuerunt se ipsos facere meliores quam eos ille fecerat, quo nemo melius quisquam facit, profecto, & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio creatoris habere non possent.* Et infra: *Si vtrique boni æqualiter creati sunt; istis mala voluntate cadentibus illi amplius adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt: sicut iam etiam in libro, qui sequitur, ista tractabimus. Confitendum est igitur cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.* Rom. 5.

Discretio inter Angelos vnde proueniat.

Ead. sect. 2. num. 23.

Respondet, Sanctum Augustinum loqui de adiutorio diuinæ cooperationis, quod habuerunt in actu illo plenè libero, quo Deo adhęrere, & subesse elegerunt, quod adiutorium etiam alijs præparatum erat, & veluti in actu primo aderat ita, vt illud in sua potestate haberẽt: sed quia noluerunt Deo subesse conuertentes se ad superbiam, non habuerunt in actu secundo. Hæc tamen solutio non videtur ad mentem Augustini. Nam ibi, & vbicumque loquitur de adiutorio illo gratiæ efficacis, nomine adiutorij non intelligit solum concursum simultaneum, quo Deus concurrit nobiscum ad piam operationem, si volumus: sed illud, quo Deus etiam efficit, vt velimus, quo in nobis, atque nobiscum, sicut dicit Concilium Arausicanum, vt operemur, operatur, vt ex professo disp. 82. & 86. de Auxil. ostẽdi. Hoc autẽ adiutoriũ

Concilium Arausic.

Deus misericorditer præparauit Angelis prædestinatis ad gloriã,nõ autẽ præparauit illud alijs, qui in veritate nõ steterunt:nam si tale adiutoriũ præparasset,aut præordinasset conferendum illis, absque dubio in veritate stetissent. Neque admittendum est, tale adiutorium præoperantis gratiæ efficacis fuisse Angelis malis præparatum, vt si voluissent, habuissent illud; licet fuerit in eorum potestate, se ipsos impedire, ne sibi donaretur à Deo. Nam,vt 1.2 q.112.art.3.ad 2.dicit.S.Thom. *prima causa defectus gratiæ est ex nobis: sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud* Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Vnde S. Anselmus libro de Casu diaboli cap. 3. ait, *quòd ista est causa, quare Deus non concedit diabolo gratiam,quia non voluit accipere, nec paratus fuit.* Ex quo tamen non licet inferre,quod si Angeli vellent accipere gratiam,præsertim actualem,necesse sit,quod eis daretur. Hanc enim consequentiam negat S. Thomas in solutione allegata ad 2.propter rationẽ superius assignatam, & auctoritatem inductam ex Oseæ 13. cap. Angelis ergo prædestinatis fuit collatum à Deo (iuxta sententiam S. Augustini) aliquod adiutorium speciale præuenientis gratiæ,quod quidem alijs, qui ceciderunt, non fuit collatum, nempe adiutorium efficax præoperantis gratiæ, quo Deus efficit, vt perseuerarent vsque in finem,quod quidem adiutorium alijs,qui ceciderunt, neque in actu primo, neque in actu secundo fuit collatum. Illud enim adiutorium eis collatum,quo perseuerare poterant, si voluissent, non erat idem: sed longe diuersum ab eo, quo Deus fecit, vt Angeli boni perseuerarent: quia illud tribuebat Angelis reprobis posse perseuerare, si vellent: hoc autem tribuit prædestinatis Angelis ipsum velle perseuerare vsque in finem. Neque locus adductus ex S. August. probat oppositum. Cum enim ait,*quòd cæteri per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt*, non excludit; sed potius præsupponit auxilium efficax præoperantis gratiæ, quo magis adiuti sunt, vt ipsemet affirmat cap. 9. allegato de Ciuitate Dei, quo & donata est illis perseuerantia vsque in finem.

Oseæ 13.

S. Anselm. lib. de Casu diabol. c. 3.

Ad

Ad secundum discrimen similiter respondetur, quod cum in cap. 11. ait, fuisse relictum in libero arbitrio primi parentis, vt in iusticia originali perseueraret, si vellet, intelligit relictum id esse suo arbitrio, ita videlicet, vt quod non perseuerauerit, ex libero eius arbitrio descenderit: si autem de facto perseuerasset, vt poterat, id ex adiutorio Dei speciali, donante illi ipsum velle perseuerare vsque in finem processisset, vt cap. 1. huius libri ostensum est, & disputat. 106. de Auxilijs. Vnde non oportet eadem in præsenti repetere. IV.

Sed dicent. Ergo nulla est differentia, quam in eodem capite assignat S. Augustinus inter statum Angelorum, & primi parentis in natura integra ex vna parte, & statum naturæ per originale peccatum corruptæ ex altera, quantum ad necessitatem adiutorij diuinæ gratiæ: nam in vtroque statu (in nostra sententia) præter adiutorium præuenientis gratiæ, quo poterat homo, vel Angelus perseuerare, si vellet, asserimus esse necessarium, vt actualiter perseueret, aliud adiutorium præoperantis gratiæ, quo Deus facit, vt perseueret vsque in finem.

Homo in natura integra, et lapsa qualiter differat.

Respondetur, esse magnam differentiam in vtroque statu, quantum ad necessitatem auxilij diuinæ gratiæ. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod (vt 1. 2. q. 109. art. 9. in corp. docet Sanctus Thomas) homo in gratia habituali existens post lapsum primi parentis indiget auxilio actuali ad rectè agendum propter duo. *Primo quidem ratione generali propter hoc, quod (sicut supra dictum est) nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ. Secundo ratione speciali, propter conditionem status humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam sanetur, quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio, quantum ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dicitur ad Roman. 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, vt etiam dicitur Roman. 8. quid oremus, sicut oportet, nescimus. Propter varios enim rerum euentus, & quia etiam nos ipsos non perfectè cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expediat, secundum illud Sapientiæ nono, Cogita-* V.

S. Thom.

1. Differ.

Ad Rom. 7. 8.

Sapient. 9.

tiones mortalium timidæ, & incerta prouidentia nostra, & ideo necesse est nobis, vt à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia nouit, & omnia potest. Et propter hoc etiã renatis in filios Dei per gratiam conuenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem, &c. Ex hoc principio art. 10. eiusdem quęstionis infert S. Tho. quòd homo in gratia constitutus, vt perseueret vsque in finem, indiget diuino auxilio ipsum dirigente, & protegente contra tentationum impulsus, quibus infestatur in statu naturæ corruptæ, etiam si per gratiam habitualẽ sanetur, quantum ad mentem. His suppositis dicendum est, differentiam assignatam à Sancto Augustino inter statum naturæ integræ, & statum naturæ corruptæ cõsistere in duobus. Primo quidem; quia in statu naturæ corruptæ duplici ratione, seu duplici titulo indiget homo etiam in gratia constitutus speciali auxilio Dei mouentis ad rectè operandum, vel perseuerandum vsque in finem, scilicet, & ratione generali, & ratione speciali superius assignatis. Cæterum Angelus, vel homo in statu naturæ integræ indigebat ad rectè operandum, & perseuerandum vsque in finem prædicto auxilio solum propter primam rationem generalem, eo quòd in illo statu nulla erat corruptio, aut rebellio carnis contra spiritum. Vnde S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 4. docet, necessarium fuisse homini in natura integra auxilium Dei mouentis, vt diligeret Deum super omnia, & impleret diuina mandata, idque propter illam rationem generalem superius assignatam. Secunda differentia est, quam assignat Aug. lib. de Correptione, & Gratia cap. 11. nam si Angelo, vel homini in natura integra non contulisset Deus auxilium, quo perseuerare posſent, si vellent, non cecidissent sua culpa; eo quod absque proprio peccato defuisset illis auxilium, sine quo perseuerare non poterant, quia nemini imputatur id, quod absque propria culpa præcauere non potest. Cęterum post peccatum originale, licet Deus in pœnam eiusdem peccati, vel alterius actualis non daret alicui auxilium, quo perseuerare posset, si vellet, & sine quo perseuerare non posset, adhuc peccaret, non perseuerando; quia sua culpa tale adiutorium ei defuisset. Verba August. sunt: *Si autem hoc*

Naturę integ:ę, & corruptæ duplex differentia.

2. Differ.

adiu-

adiutorium, vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. Idem etiam docet S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. & 3. contra Gentes cap. 160. vbi ait. *Quamuis autem illi, qui sunt in peccato, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, vt ostensum est, nisi auxilio gratiæ præueniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur: sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit.* Præterea licet ille, qui est in peccato, non habeat hoc in propria potestate, quòd omnino vitet peccatum: habet tamen potestatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum, vt dictum est. Vnde quodcumque committit, voluntarie committit, & ita non immerito sibi imputatur ad culpam.] Et hoc tantum docere intendit Augustinus cap. 10. & 11. præallegatis de Correptione, & gratia, vt colligitur ex ipso contextu, & ex capitulo quinto, & sexto eiusdem libri.

Prædestinatio Christi facta fuit post præuisum pecc. orig.

Ad tertium discrimen, quod assignatur inter nostram, & S. Augustini sententiam, respondetur, quòd tàm Sanctus Augustinus, quàm nos statuimus absolutam prædestinationem electorum ad gloriam post præuisum originale peccatum, quatenus fuit obiectum, in cuius remedium prædestinatus est Christus, secundum quod homo, quia non fuit præuisum, vt causa, vel effectus reprobationis, vt ex præmissis constat. Sanctus autem Augustinus, dum constituit prædestinationem in separatione à massa damnata, non intelligit massam efficaciter reprobatam; alias reprobatio damnandorum fuisset facta prius, quàm prædestinatio electorum, cuius contrarium ostensum est supra: sed intelligit massam, quæ post prædestinationem Christi intelligeretur totaliter reprobata, nisi per prædestinationẽ

Aug. quid intelligat nomine massæ damnatæ.

fuisent electi Dei benignitate à damnatione discreti. Vel nomine masſæ dānatæ intelligit maſsam, quæ quantum eſt in ſe, intelligebatur cum ſufficienti cauſa damnationis; quia præintelligebatur cum originali peccato, vt opponebatur iuſtitiæ originali, & vt erat malum naturæ, in cuius remedium venit Chriſtus. Neque S. Auguſtinus vnquam docuit, peccatum originale præuiſum, fuiſse cauſam efficacem reprobationis, quantum ad integrum effectum illius, neque id dicit locis in obiectione inductis: ſed ſolum ait, dari cauſam obdurationis ex parte noſtra, vt diſput. 110. de Auxilijs num. 16. oſtenſum eſt, & patebit amplius 1. par. q. 23. art. 3. & 5. Sed ante obdurationem in peccato præintelligitur in Deo permiſſio peccati, in quo obduratur quis, & propter quod damnatur, quæ quidem permiſſio eſt primus effectus reprobationis, cuius nulla datur cauſa demeritoria ex parte hominis; nam ante permiſsionē primi peccati nullum præintelligitur in eodem homine peccatū, propter quod mereatur, quod Deus permittat, vt in peccatum cadat.

Ad Confirmationem fatemur quidem, electionem omnium factam fuiſse in Chriſto, & propter eius merita, & conſequenter poſt præuiſum originale peccatum, vt fuit obiectum, in cuius remedium venit Chriſtus: nō autem poſt præuiſum peccatum, ſecundum quod dicit ordinem ad reprobationem, vt ſupra dictum eſt.

VII. Ad 4. diſcrimen. *Aug. mens circa præd. aperitur.*

Ex his facile reſponderi poteſt ad quartū diſcrimē, q in obiectione proponitur. Nullū enim eſt tale diſcrimē, ſed potius magna conſenſio inter noſtram, & Auguſtini ſententiam. Docet quidem S. Auguſtinus, prædeſtinationem Chriſti, in quantum homo, factam fuiſse poſt præuiſum peccatum originale, ſecundum quod fuit obiectum, in cuius remedium venit Chriſtus: idem prorſus, & nos aſſerimus cum S. Thoma. Docet S. Auguſtinus, prædeſtinationem Chriſti abſolutam factam fuiſse ante omnem præuiſionem meritorum eius, ſiuè ante præuiſa eius merita ex gratia procedentia, id quod efficaciter probat libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. cuius verba, quia maximè confirmant noſtram ſententiam, & omnia ferè argumenta aduerſantia diſſoluunt, in-


in præsenti transcribere, & expendere non grauabor. *Est etiam* (inquit) *præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ ipse Saluator, ipse Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus; qui vt hoc esset, quibus tandem suis, vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparauit? Respondeatur quæso, ille homo, vt à verbo Patri coæterno in vnitate personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruerit? Quod eius bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? &c. Nunquid metuendum est, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? an non ideo in illo libera voluntas erat, ac non tanto magis erat; quanto magis peccato seruire non poterat? nempe ista omnia singulariter admiranda, & alia, si qua eius propria verissimè dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est, nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis. Respondeat hic homo Deo, si audet, & dicat, cur non & ego? & si audierit, ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? nec sic cohibeat: sed augeat impudentiam, & dicat: Quomodo audio, Tu qui es, ò homo? cum sim quod audio, idest, homo, quod est & ille, de quo ago, cur non sim quod ille? at enim gratia ille talis, ac tantus est. Cur diuersa est gratia, vbi natura communis est? Certe non est acceptio personarum apud Deum. Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat?* Et intra: *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrũ esset; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus. Humana hic merita conticescant, & regnet Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrũ.* Idem repetit, & confirmat libro de Bono Perseuerantiæ capite 24. Quibus verbis tria fatetur Augustinus, quæ maximè fauent nostræ sententiæ, & oppugnant oppositam. Primum est, prædestinationem absolutam Christi, quæ prima est inter omnes, caput, & exemplar prædestinationis nostræ, factam fuisse ante omnia præuisa eius merita, & similiter aliorum electorum prædestinationem fuisse factam ante præuisa eorum merita, sicut nos asserimus, cuius tamen contrarium docet Auctor. Secundum est, eiusmodi prædestinationem absolu-

S.August.

Rom. 9.

absolutam ante præuisa merita non præiudicare vllo modo libertati arbitrij ipsius prædestinati, quod & nos fatemur: contrarium autem docet Auctor, vt cap. 19. visum est, vbi octauam eius rationem dissolui. Tertium est, talem modum prædestinandi nullo modo facere Deum iniustum, vel acceptorem personarum, quod & nos similiter dicimus: & tamen idem Auctor infert, videri Deum iniustum, & acceptorem personarum, si ante omnia præuisa merita, vel demerita, istum eligat ad gloriam, quia sibi placet; illum non eligat, quia non sibi placet, vt ex eius ratione quarta capite 17. impugnata constat. Non ergo fauet Augustinus eius sententiæ, sed potius illi expressè aduersatur, & nostram clarissimè docet.

VIII. *Prædestinatio Christi, & B. Virginis qualis fuerit.* Confirmari hoc ipsum potest ex concessis ab eodem Auctore. Ipse enim fatetur, beatissimam Virginem prædestinatam fuisse absoluta, & efficaci Dei voluntate ante omnia præuisa eius merita. Idque ex speciali priuilegio. Ergo similiter fateri tenetur, humanitatem Christi prædestinatam fuisse absoluto decreto ad vnionem hypostaticam, & beatificam ante omnia præuisa eius merita. Priuilegium enim concessum Beatissimæ Virgini Matri non est denegandum humanitati Christi. Si ergo ex illa absoluta prædestinatione Beatæ Virginis ante præuisa merita non sequuntur inconuenientia, quæ in hac obiectione, & præcedentibus ex nostra sententia inferuntur, euidens profectò est, talia inconuenientia ex absoluta prædestinatione aliorum electorum ad gloriam ante præuisa merita gratiæ nullo modo consequi, alias enim etiam in prædestinatione Beatæ Virginis, & humanitatis Christi locum haberent, quod tamen Auctor, cum quo disputamus, non admittet, nec re vera est admittendum.



CA-

CAPVT XXII.

Explicantur alia tria Testimonia S. Augustini, & mens S. Thomæ circa eandem prædestinationem aperitur.



ED adhuc obijciuntur contra præmissa tria testimonia S. Augustini, in quibus videtur docere, prædestinationem absolutam ad gloriam ex præuisis meritis gratiæ. Primum testimoniũ habetur lib. 83. quæst. 68. vbi explicans illud Rom. 9. vt secundum electionem propositum Dei maneret, ait: *Nisi esset electio, non essent electi, nec recte diceretur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distãs ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.* Quibus verbis ad præscientiam meritorum gratiæ reuocat electionem absolutam prædestinatorum ad gloriam. Ergo secundum Augustinum ante huiusmodi præscientiam prædestinatio ad gloriam solum est conditionata. I.

Primum Testimonium Augustini.

Secundum testimonium habetur lib. 1. quæst. ad Simplicianum quæst. 2. vbi explicans illud Malachiæ 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Cui vult miseretur Deus, & quem vult indurat: Sed hęc,* inquit, *volũtas Dei iniusta esse non põt. Venit enim de occultissimis meritis; quia & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatum vnam massam fecerunt, tamen nonnulla inter eos est diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione. Et item pręcedit in alijs peccatoribus, quo digni sũt obtusione.* Ecce hic videtur Augustinus dicere, quod & ipsa Dei voluntas, qua alios eligit, alios reprobat, ex meritis proueniat, sed occultissimis, id est, promeritis alios

Secũdum Testimonium.

voluerit eligere, alios reprobare, & quod pro meritis alijs apponitur gratia iustificationis; alijs non, vnde obtunduntur.

II. Tertium Testimonium desumitur ex libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. vbi ait: *Quos enim prædestinauit, ipsos & vocauit, illa scilicet vocatione, secundum propositum: non ergo alios, sed quos prædestinauit, ipsos & vocauit, nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit: nec alios, sed quos prædestinauit vocauit iustificauit, ipsos & glorificauit*. Quibus verbis Augustinus eam vocationem esse dicit propriam electorum, & prædestinatorum; quia est secundum propositum, vbi per vocationem secundum propositum illam intelligit, qua Deus prædestinatos eo modo vocat, quo præscit, eos non reluctaturos, sed consensuros vocanti: Ergo secundum Augustinum ante præscientiam cooperationis liberi arbitrij cum gratia nullus est absoluta Dei voluntate prædestinatus ad gloriam.

Quarto hæc omnia confirmantur à posteriori argumento, quo vtitur Vasquez 1. p. disput. 89. cap. 5. nu. 30. Nam Massilienses nihil contra S. Augustinum docuerunt circa electionem absolutam ad gloriam ex meritis gratiæ, vt constat ex toto illo libro de Prædestinatione Sanctorum, & de Bono Perseuerantiæ, vbi nunquam Augustinus eorum redarguit sententiam, quod ex meritis gratiæ dicerent, præparatam esse vitam æternam, sed quod ex nobis aliquod initium faterentur, cui gratia esset subiungenda.

III. Ad primum Testimonium respondetur primo, quod S. Augustinus illam sententiam retractauit in simili. Ita

Mag. Sent. respondet Magister Sentent. in primo distin. 41. §. *His tamen*, vbi ait, *Quid Augustinus in verbis inductis intelligere voluerit, ignoratur, nisi forte hoc dicatur intellexisse, quod supra diximus, eum retractasse, nam ibidem etiam quædam alia continuè subdit, quæ 1. lib. retractationũ apertè retractat, quod vtcũq; legenti patebit. Vnde verisimile est, in præmissis etiam hoc retractasse.* Eandem solutionem confirmat S. Thom. quæst. 6. de Veritate art. 2. ad 10. & Magister Bannes prima parte, quæst. 23. art. 5. dub. 1. ad 6. argumentum Iaueli.

Secun-

Secũdo reſpõdetur, quod in verbis inductis non loquit̃ Aug. de prędeſtinatione ad gloriam, ſed de iuſtificatione: & per merita occulta, nõ intelligit meritũ ſtrictè sũptũ, prout ſignificat meritum de condigno, & ex iuſtitia, quale eſt illud, quo iuſti per bona opera vitam æternam promerentur: nam hoc modo certiſſimum eſt, *nihil eorum, quę iuſtificationem pręcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promereri*, vt docet Sacrum Conc. Trident. Seſs. 6. de iuſtific. cap. 8. ſed per occultum meritum intelligit contritionem, cui debetur de congruo gratia iuſtificans, nõ quidem tanquam merces merito: ſed tanquam forma ſuę vltimæ diſpoſitioni. Iam enim lib. 5. cap. 13. oſtenſum eſt, contritionem eſſe vltimam diſpoſitionem non ſolum moralem, ſed etiã phyſicam ad iuſtificationis gratiam conſequendam. Fauet huic ſolutioni S. Thom. in prælegata ſolutione ad 10. vbi ait, quod ſi auctoritas illa S. Auguſt. debeat ſuſtineri, *referendum eſt ad effectum prædeſtinationis, qui habet aliquam cauſam meritoriam, vel diſpoſitiuam.* Iuxta mentem autem S. Auguſt. & communem ſententiam Theologorũ actus ille cõtritionis, ſeu pœnitentiæ non procedit, nec procedere poteſt ex ſolis viribus naturæ, ſed ex auxilio ſpeciali præuenientis gratiæ, quod omnino gratis peccatori cõfertur, vt lib. 5. c. 8. oſtenſum eſt. Concil. Trident.

Hanc eſſe mentem Auguſt. locis inductis, conſtat manifeſte ex ipſo contextu, tum in verbis illis inductis, *præcedit ergo aliquid in peccatoribus*, tùm etiam in conſequentibus: ſubdit enim: *Quia etiam ſi leuioribus quiſque peccatis, aut certè quamuis grauioribus, & multis, tamen magno gemitu, & dolore pœnitendi miſericordia Dei dignus fuerit, non ipſius eſt, qui ſi relinqueretur, interiret, ſed miſerentis Dei, qui eius precibus, doloribuſque ſubuenit. Parum eſt enim velle, niſi Deus miſereatur: ſed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat, niſi voluntas præceſſerit; quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Et quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus, ſiuè intrinſecus vbi nullus hominum vidit, ſiuè extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia, efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* Vnde locus ille nihil fauet præ- IV.

V. destinationi absolutè ad gloriã ex præuisis meritis gratię

Ad secundum testimonium respondetur, quòd ibi loquitur August. de electione, vel prædestinatione, quantum ad realem exequutionem, quæ fit in tempore, iuxta illud Matth. 13. *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Electio autem est de bono, imò & de meliori bono: nullus enim eligit malum, vnde electio supponit bonitatem eius, quod eligitur, & propterea inquit August. quòd *iustificatio præcedit electionem.* Hæc autem bonitas, quæ ad electionem præsupponitur, pendet, tanquam ex prima radice, & causa, ex æterna dilectione Dei, qua voluntate absoluta, & gratuita voluit prædestinatis bonum vitæ æternæ ante omnia præuisa eorum merita, quod tamen bonum non voluit reprobis, vt 1. p. q. 23. art. 3. ad primum dicit S. Tho. Etenim (vt lib 5. c. 14. n. 19. ostensum est) amor Dei non præsupponit bonitatem in creaturis, sed illud causat. Electus ergo, seù prædestinatus ad gloriã efficitur distans à reprobo, tũ ex æterna, & absoluta prædestinatione ad gloriã, tanquã ex prima radice, & causa, tum etiam ex meritis gratię, & perseuerantiæ in illis vsque in finem. Sed hæc secunda differentia, seù distantia oritur ex prima, tanquam effectus ex causa: causa autem prius intelligitur, & est, saltem in signo rationis, quam eius effectus. Vnde ex illis verbis S. August. potius confirmatur nostra sententia, quàm impugnetur. Nec obstat id, quod ait, *Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.* Etenim nomine præscientiæ non intelligit scientiam mediam cooperationis liberi arbitrij futuræ ex hypothesi, quòd in talibus circumstantijs excitetur; hanc enim præscientiam nunquam agnouit, vt lib. 1. cap. 1. num. 24. ostensum est. Nec etiam intelligit præscientiam meritorum gratiæ, quasi ab illis præuisis dependeat absoluta prædestinatio electorum ad gloriam, sed intelligit *præscientiam beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*, vt ipsemet August. ait lib. de Bono Perseuerantiæ cap. 14. Inter hæc autem Dei beneficia primum, & potissimum, à quo cætera omnia dependent, quæ in tempore donantur electis, est æterna dilectio,

ele-

Marginal notes: Matth. 13. (beside "quitur August. de electione"); S. Thom. (beside "ponit bonitatem in creaturis"); Augustin. (beside "tiam beneficiorum Dei")

electio,& absoluta prædestinatio ad gloriam, ante omnia præuisa merita gratiæ,vt ex supradictis constat.

VI. Ad tertium Testimonium respondetur, quòd S. Augustinus per vocationem secundum propositum non illam intelligit,quæ præsupponit præscientiam cooperationis creati arbitrij: hæc enim vocatio non est secundum propositum voluntatis diuinæ,sed potius est vocatio secundũ propositum hominis à Deo præcognitũ,seù (quod idem est,) est vocatio secundum præscientiam liberæ determinationis,& cooperationis voluntatis humanæ: Nec potest S. Augustinus de hac vocatione intelligi, vel explicari,nisi violenter trahendo eius verba in alienum ab eo sensum. Ipse enim S. Doctor declarat per *vocationem secundum propositum* se illam intelligere, quæ est secundum propositum non hominis vocati, sed Dei vocantis. Et in hoc sensu cap. 16. præcedenti explicat illud Romanorum 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Vt totum daret Deo dixit ergo, sed ex vocante non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens.* Hæc enim est vocatio secundum propositum Dei, qua non solum præsciuit prædestinatos sequuturos sed etiam vt sequerentur prædestinauit, & absoluta voluntate ab æterno præordinauit, & in tempore vocatione sua, vt sequerentur, effecit. Imò ideò præsciuit sequuturos,quoniam id prædeterminauit, vt alijs pluribus in locis cap. 10. nu. 6. allegatis idem Augustinus ait. Et quidem quòd per *vocationem secundum propositum* illam intelligat, quæ est secundum propositum Dei vocantis,non autem hominis vocati,constat ex lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 9. vbi ait. *Ideò dictum esse,qui secundum propositum vocati sunt,vt Dei, non hominis propositum intelligant, quo eos,quos præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui, elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes vocati secundum propositum sunt vocati; quoniam multi vocati, pauci electi. Ipsi ergo secundum propositum vocati, qui electi ante constitutionem mundi. De hoc proposito Dei dictum est & illud, quod iam commemoraui de geminis Esaù, & Iacob, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est,* Rom. 8. Matth. 20.

maior

maior seruiet minori. Hoc propositum Dei & illo commemoratur loco, vt ad Timotheum scribens ait, Collabora Euangelio secundum virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu. Et libro de Correptione, & Gratia cap. 7. explicans illud Rom. cap. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt*, inquit: *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicit, vt secundum electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori. Et alibi, Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum, & gratiam.* Quibus verbis ad propositum, & decretum Dei (quod vtique absolutum esse debet) Augustinus reuocat, quod electi, & prædestinati cooperentur cum gratia, & perseuerent vsque in finem. Vnde rectius Auctor veraciusq; loqueretur, si vbi dixit, gratiam congruam, quam efficacem vocant, illam esse, cum qua Deus nouit hominem consensurum, diceret potius, cum qua Deus absoluta voluntate voluit, & decreuit, vt hominis consentiret arbitrium. Vnius enim verbi correctio sentẽtiam suam sobrietate aliqua temperasset, vt in alia non dissimili causa contra Collatorem cap. 35. ait Prosper. Sic enim dicendo determinationis, & influxus liberi arbitrij, & cooperationis illius cum præueniente gratia, Deum profiteretur Auctorem, & primam causam vere efficientem, à qua dependet quod voluntas creata liberè se determinet ad cooperandum, & cooperetur cum Deo mouente per gratiam præuenientem iuxta ea, quæ lib. 4. cap. 6. & 7. dicta sunt.

[Margin: 2. Tim. 1. — Ephes. 1. — Rom. 8. — Prosper.]

XII. Ad Confirmationem respondetur, Augustino quęstionem fuisse cum Pelagianis, & Semipelagianis, tum circa prædestinationem ad gratiam absquę præuisis meritis naturæ, tum etiam circa gratuitam prædestinationem absolutam ad gloriam absque præuisis meritis gratiæ; & hæc secunda quæstio fuit cum Massiliensibus, sed

præ-

præsertim cùm Fausto Regiensi, qui vt disput. 2. de Auxilijs ostensum est, contendebat contra S. August. Deū esse iniustum, si ante omnia præuisa merita, vel demerita vnum prædestinasset ad gloriam, alterum reprobasset, vt constat ex lib. 2. de Gratia, & humanæ mentis arbitrio cap. 3. vbi ait: *Nisi præscientia explorauerit prædestinatio nihil decernit:* quod etiam constat, ex apertissimis testimonijs S. Prosperi, & Hilarij cap. 8. huius libri num. 5. & 6. adductis. Vnde S. August. lib. de Prædestinatione Sanctorum, & de Bono Perseuerantiæ respondens Prospero, & Hilario, hanc Massiliensium sententiam vehementer impugnat, vt patet ex locis cap. 8. huius libri num. 3. & capite 12. num. 8. & 9. adductis. Faustus.

VIII. *S. Thomæ sententia circa prædestinationem experitur.*

Quod vero attinet ad Sanctum Thomam, certissimum est, non fauere prędestinationi ex præuisis meritis gratiæ, sed potius eam expressè impugnasse, & statuisse cum S. Augustino prædestinationem absolutam electorum ad gloriam ante omnia præuisa merita gratiæ, vt patet ex 1. p. q. 23. art. 3. in corp. & art. 5. in corp. & ad 3. & 3. contra Gentes cap. vltimo, cuius verba superius adduxi, & disp. 110. de Auxil. nu. 11. Neque saltim leuiter fauet sententiæ oppositæ in quæstione illa sexta de Veritate articulo tertio, sed potius eandem, quam in alijs locis docuit, confirmat: ait enim: *Non potest dici, quod prædestinatio supra certitudinem prouidentię nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ, vt si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium; sed cum hoc de prædestinato scit, quod non deficiet à salute. Sic enim dicendo, non diceretur, prędestinatus differre à non prędestinato ex parte ordinis: sed tantum ex parte præscientiæ euentus, & sic præscientia esset causa prędestinationis: nec prędestinatio esset per electionem prędestinantis; quod est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.* Idem docet expressius ar. 2. eiusdem quæstionis, vbi omnia fere argumenta, quæ contra prædestinationem absolutam ante præuisa merita superius sunt obiecta, dissoluit. Nec obstant verba illa in corpore eiusdem articuli tertij (in quibus forsitan obijciens vim facit) vt

liberum

liberum arbitrium deficere potest à salute, tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula pręparat, quòd, vel non cadat, vel si cadat, resurgat: sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Non enim his verbis intendit S.Thom. negare prædestinationem Dei absolutam ante præuisa merita, nec intendit docere, non esse à Deo absoluta voluntate prędiffinita omnia opera bona, ea præsertim, per quæ prædestinati peruenient ad vitam æternam, cum oppositum doceat alijs pluribus in locis disput. 37. & 110. de Auxilijs allegatis. Imo & in calce eiusdem corporis, cum ait, *quòd respectu causæ primæ, quæ est prædestinatio, salus hominis habet certitudinem,* ex electione videlicet prædestinantis, quæ antecedit pręscientiam meritorum, vt superius dixerat. Solum ergo vult ostendere flexibilitatem arbitrij, quod non obstante absoluta Dei prædestinatione ad gloriam, quantum est ex parte sua, dum homo est in via, semper potest deficere à salute: sed ex efficacia prædestinationis diuinæ habet, quòd nõ cadat in peccatum mortale, vel si (Deo permittente) ceciderit, resurgat, & perseueret vsq; in finẽ. Illa ergo adminicula prædestinatis præparata, vt salutem infallibiliter consequantur, non excludunt, sed potius præsupponunt absolutam electionem ad gloriam ante pręuisa merita gratiæ; nam (iuxta doctrinam S. Thomæ, quæ verissima est) talis prædestinatio est prima causa efficiens, à qua procedunt eiusmodi bona merita, & adminicula saluandis præparata.

IX. Ad illud vero, quod vltimo loco opponitur ex S.Thoma de præuisione peccati originalis ante prædestinationem Christi, & omnium electorum, iam iterum superius obiectum fuit, & responsum. Vnde voluntariè, & absque vllo prorsus fundamento Pater Vasquez 1. p. q. 23. art. 5. disput. 89. cap. 12. num. 111. pertrahere conatur S. Thomam in suam sententiam, contra eius mentem interpretando verba illa S. Doctoris eadem quæst. art. 4. vbi ait, *quod prædestinatio aliquorum in salutem ęternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem,* non enim intelligit nomine

Vasquez.

salutis

salutis æternæ solam iustificationem, & perseuerantiam, vt contendit Vasquez, sed intelligit æternam beatitudinem, vt ex verbis inductis constat: loquitur enim de *salute æterna*. Salus autem æterna est ipsa gloria, seu beatitudo, quæ in clara Dei visione consistit, per quam hominis infirmitas non solum mentis, sed etiam carnis aufertur. Etenim salus, quæ per gratiam iustificantem confertur in via, non est sempiterna ex natura sua, nec perfecta; cuius ratio est, nam, vt 1. 2. quæst. 109. art. 9. in corp. dicit S. Thomas, *licet homo per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in eo corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dicitur ad Rom. 7.* Similiter etiam gratia inchoata, quæ habetur in via, propter vertibilitatem arbitrij amitti potest, sicut & charitas, vt 2. 2. quæst. 24. art. 11. probat S. Thom. Vnde non habet ex sua intrinseca ratione, quod in æternum duret. Cæterum salus, qua per gratiam consumatam beati perfruuntur in patria, est salus perfecta, non solum mentis, sed etiam corporis infirmitatem remouens, & sempiterna salus, de qua Isaię 51. scriptum est: *Salus autem mea in sempiternum erit*, quam Deus nobis per suam gratiam concedere dignetur, qui per eandem gratiam absque vllis nostris præcedentibus meritis nos redemit, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sempiterna.

Rom. 7.

Rom. 8.

FINIS.

HÆC OMNIA, ET QVÆCVMQVE ALIA SCRIBENDO, VEL DICTANDO, AVT ETIAM TYPIS COMMITTENDO, A ME DICTA SVNT, CORRECTIONI S. ROM. ECCL. QVÆ COLVMNA, ET FIRMAMENTVM EST VERITATIS, HVMILITER SVBIICIO.

INDEX LOCORVM SAC. SCRIPTVRAE, QVAE IN HOC OPERE EXPLICANTVR.



100 Mi-

1 ver-

Quid

Romanorum.

1. ad Corinthios.

9 *Qui*

Ad

F I N I S.



INDEX RERVM ET SENTENTIARVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



A

Bbbb Amor

Dei,

ad

Glo-

Lex

Pœni-

Vir-

ERRATA SIC CORRIGE.

Pagina 9. lin. 8. curare leg. curuare. pag. 11. lin. 18. & 28. auxium leg. auxilium. pag. 17. lin. 7. adiuuure leg. adiuuare. pag. 18. lin. 33. ingenia leg. ingentia. pag. 43. lin. 39. nueatur leg. moueatur. pag. 128. lin. 23. efficax leg. inefficax. pag. 390. lin. 21. cap. 10. leg. cap. 11. pag. 348. lin. 19. in nomine leg. in semine. pag. 278. lin. 29. post illa verba, præexistens, Addè. Vnde Sanctus Thomas 1. 2. q. 100. art. 12. in corpore ait, *quod iustitia propriè dicta potest accipi prout est in habitu; vel prout est in actu: & secundum hoc iustificatio dupliciter dicitur. Vno quidem modo secundum quod homo fit iustus adipiscens habitum iustitiæ. Alio vero modo, secundum quod opera iustitiæ operatur, & secundum hoc iustificatio nihil aliud fit, quam iustitiæ executio.* Hoc Ergo secondo modo iustus per opera remissa iustificatur amplius, & crescit in iustitia de die in diem, non autem primo modo, videlicet secundum physicam intensionem habitus.

F I N I S.

REGESTVM.

†ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſs Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc.

Omnes ſunt Duernio.









TRANI, Typis Laurentij Valerij, MDCXXIV.
SVPERIORVM PERMISSV.